UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In singulos Canones De Jurepatronatus

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Montisfalisci, M.DCC.XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72191

Visual Library

Th
396a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 396 a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M
V
22

COMMENTARIA
IN SINGULOS CANONES
DE JUREPATRONATUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COMMENTARIA
IN SINGULOS CANONES
DE IURE PATRONATUS

FRANCISCI
DE FARGNA

CIVITATIS PLEBIS PATRITII

Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, ac J.U. Doctoris, & in Romana Curia in Beneficialibus, sivè in Jure Canonico Advocati

COMMENTARIA

In singulos Canones

DE JUREPATRONATUS,

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur.

In quibus plures deciduntur Casus ad materiam Juris-Patronatus concernentes.

Et quibus accedunt quamplures Decisiones SACRÆ ROTÆ ROMANÆ nullibi adhuc impressæ, & recentissima Decreta SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII, unà cum Votis Auctoris in Causis in eadem Sacra Congregatione ventilatis, & ad materiam JURISPATRONATUS spectantibus.

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ 1747.

TOMUS PRIMUS.



MONTISFALISCI M.DCC.XVII.
Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM FACULTATE.

FRANCISCI
DE PARGNA
CIVITATIS PLEBIS PATRITII

Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, ac J.U. Doctoris, & in Romana Curia in Beneficialibus, sive in Jure Canonico Advocati

COMMENTARIA
In singulos Canones
DE JUREPATRONATUS.

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur.

In quibus plures decidunt Casus ad materiam Juris-Patronatus concernentes.

Et quibus accedunt quamplures Decisiones SACRÆ ROTÆ ROMANÆ nullibi adhuc impressæ, & recentissima Decreta SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII, unà cum Votis Auctoris in Causis in eadem Sacra Congregatione ventilatis, & ad materiam JURISPATRONATUS spectantibus.

TOMUS PRIMUS.

MONTISFALISCI M.DCC.XVII.
Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPÆ XI.

PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS FARGNA
Felicitatem.

CUM nihil mihi foret antiquius, BEATISSIME PATER, quàm aliquid de mei ingenii tenuitate VESTRÆ SANCTITATI devotum facere, has qualescunque elucubrationes publicæ luci expositurus, Tibi sistere operæ pretium

tium duxi. Etenim nullum alium meliorem Patronum Commentaria Canonica de Jurepatronatus nanciſci poterant, quàm Pontificem Maximum, Sacrorum Canonum Defenſorem acerrimum, Eccleſiaſticæ libertatis conſtantiſſimum vindicem, Fidei Catholicæ ampliſſimum decus, & ornamentum. Hoc autem indubiè non eſt à veritate alienum: Teſtantur namque tot Sapientiſſimæ Sanctiones, quibus SANCTITAS VESTRA, *tot hæreſum monſtra turgidis virus evomentia pectoribus debellavit, ac Petri Naviculam tot Aquilonibus impetitam, tot tenebrarum poteſtatibus agitatam invictiſſimo zelo defendit, ac roboravit; Teſtantur tot, in Pannonia adversùs Chriſtiani nominis hoſtes, Victoriæ, quas orationibus, & ærariis non ſemel evacuatis, mirabiliter peperit; Teſtantur tot reliqua præclariſſima geſta, quæ in vindicandis Chriſtianæ Reipublicæ juribus Te verè Patrem faciunt, atque Eccleſiæ univerſalis Patronum; Verumtamen neque hæc tuarum eſt Summa virtutum: O quantum debent Bonæ Artes Tibi Sapientiſſimo Principi! Ad priſtinum ſplendorem redactæ, tam præſidium ſuſcepere, quàm incrementum. Alma Urbs, ſive Templorum majeſtate, ſive Platearum nitore, ſive cæterarum ædium ornamento; de Tua munificentia ſuperbit, ac gloria-*

tur.

tur. Academiæ erectæ, Bibliothecæ vel fundatę, vel tot Codicibus Græcis, Hebraicis, Syriacis, Arabicis auctæ, Typographiæ restitutę satis superque innuunt, Principem omni eruditione refertum, quàm ardentissimè virtuti, & glorię patrocinari. Quodque magìs admiratione dignum: omnia Belli temporibus. Tunc equidem ob tot, tantasque calamitates, oppressiones, incommoda, quibus Christiana Respublica adhuc afficitur, debuerant Bonę Artes aut perire, aut torpescere; sed tantum fuit erga illas SANCTITATIS VESTRÆ patrocinium, ut revivìscerent, ac florerent, cùm se crederent miserrimè interituras. Quinimmo id sub uno Principe splendoris assequutę sunt, quod vel plurium continuato presidio non facilè potuissent. Invicta denique animi Tui constantia, quâ Viris bonum certamen certantibus, fidem servantibus, cursumque feliciter consummantibus, murum factis pro Domo Israel, justus Judex, ad Sacrum Cardinalatus Apicem nuper evehens, Justitię coronam reddidisti, toto Terrarum Orbi Testimonium perhibet, Te non humanis rationibus, nec Carni, nec Sanguini conquievisse. Hinc clarissimè liquet quàm justissimè librum de Jure-patronatus immortali Tuo Nomine decorandum excogitarim. Accedit etiam quòd cùm primitię

Deo debeantur, primitias laboris mei Tibi ejus Vicario in Terris offerre non dubitavi. Licèt autem eloquentiæ candore sint destitutæ, candor tamen animi mei, reverentia, & humilitas, illas de excelso Solio, super Thronos Principum posito, respicere benignissimè Te nequaquam dedignaturum confidit. Excipe igitur, Beatissime Pater, Clementiâ illâ, quâ Pontificiam temperas Majestatem, opus tenue, sed devotum, ac in Foro versantibus non ingratum, ut spero, nec inutile futurum. E Pontificio etenim Throno Canones processere, ad Pontificium pariter Thronum Commentaria jure ac meritò accedunt, horumque Auctor ad Sanctitatis Vestræ Pedes Sanctissimos provolutus, illos quàm humillimè exosculatur.

LECTORI BENEVOLO.

UTILITATI meæ potiùs, Amice Lector, quàm alienæ prospiciens, in unum quasi locum redegi singulos Canones de Jurepatronatus, qui sparsim tam intrà, quàm extrà Corpus Juris Canonici vagantur; Nimirùm omnes Canones *Decreti Gratiani*, *Decretalium*, *sexto Decretalium*, *Clementinarum*, *Concilii Tridentini*, *Bullarum*, *sive Constitutionum Apostolicarum*, & *Regularum Cancellariæ*, materiam Jurispatronatus concernentes; sub unoquoque Canone suam conclusionem deduxi, quàm Doctorum Sacræ Rotæ, & resolutionum Sacræ Congregationis Concilii auctoritatibus, nec non rationibus pro viribus confirmavi, ac sub unaquaque conclusione quamplures Casus differui. Materiam hanc patronalem in sex partes placuit dividere; Prima Pars continet septem Canones *Decreti Gratiani*, Casus autem quinquaginta, & octo, Secunda Pars complectitur Canones *Decretalium* 31.; Casus verò 135. Tertia continet Canonem Unicum *Sexti Decretalium* casus sex, Quarta comprehendit duos Canones *Clementinarum*, Casus decem, Pars Quinta amplectitur Canones Sacri Concilii Tridentini tresdecim, Casus triginta; Pars denique sexta continet Canones vigintiquinque desumptos ex Bullis, sive Constitutionibus Apostolicis, & ex Regulis Cancellariæ, Casus verò viginti octo.

Ad hujusmodi opus publicæ censuræ exponendum numquam adduci potuissem, nisi desiderium proficiscendi in materia, & Doctrina Canonica, cujus semper studiosus fui, ad hoc me impulisset; Accessit etiam Amicorum suasio, qui laborem privato commodo susceptum, aliis non omninò inutilem fore judicarunt. Scio me multos fecisse Judices, inter quos fortasse non deerunt, qui hosce meos labores, ac primos ingenii fœtus carpent, & qui eosdem uti juvenili ætate conceptos immaturè in lucem editos suspicabuntur: sed legant, qui velint, qui nolint, negligant; magis enim, ut Hieronymi verbis utar, paucorum charitate provocor ad studium, quàm multorum detractione, & odio deterreor. Interea benevole Lector, si quid boni in hoc opere reperies da laudem Deo, à quo omne Bonum; si quid autem mali invenies, mihi parce, nec enim ulli sinè venia placuit ingenium. Vale.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
Th. Cervinus Epiſcopus Heracleæ Viceſger.

EX Commiſſione mihi delegata per Reverendiſs. P. Gregorium Sellerum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum perlegi primam partem operis, cui titulus: *Commentaria in ſingulos Canones de Jurepatronatus* compoſiti per Dominum Franciſcum Fargnam mei Studii Alumnum, cumque in eo nihil invenerim, quod noſtræ Catholicæ Fidei, aut bonorum morum obviet Inſtitutis, immò laudandum laborem ſtudioſi Juvenis ſibi ſpem famæ, aliis ſpatium exemplorum crediderim fore daturum; Cenſeo poſſe publicis Typis mandari, ſi Paternitati Suæ Reverendiſſimæ ità videbitur. Datum Romæ hac die 20. Februarii 1717.

Franciſcus Maria Pitonius in Romana Curia Advocatus.

MAndante Reverendiſſimo Patre Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, geminos poſteriores libros operis, cui titulus: *Commentaria in ſingulos Canones de Jurepatronatus Franciſci de Fargna*, accuratè perlegi, nilque in iis, quod Catholicæ Fidei, bonis moribus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſacrorumve Canonum politiæ adverſetur, offendi. Quinimò fælix æquè, ac perſpicax Auctoris ingenium, ſimulque in rebus difficilioribus enodandis, diſcutiendiſque facilitatem, ac Judicii ſoliditatem, quæ junioribus ſcriptoribus plerumque negatur, demiratus ſum. Quamobrem ejus labores digniſſimos cenſeo, qui ad communem in foro verſantium utilitatem proferantur in lucem. Romæ die 20. Aprilis 1720.

Joſeph Accorambonus in Romana Curia Advocatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicat. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſt.

IN-

INDEX
ARGUMENTORUM

Quæ in Prima Parte Operis continentur

In Canones de Jurepatronatus desumptos
ex Decreto Gratiani XVI. quæst. VII.

COMMENTARIA

Pars Prima

CANON I., & II.

Isti Canones concedunt Fudanti Ecclesiam jus processionis.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

1 QUi, & quot honores, seu præeminentię competant Patrono in Ecclesia Patronali? pag. 5.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

2 Fundans Ecclesiam non acquirit jus sepulturæ, nisi illud expresse reservaverit in limine fundationis, nec defuncto Patrono absque electione sepulturæ Ecclesia Patronalis potest prætendere jus tumulandi illius cadaver. pag. 8.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

Tradens fundum in Emphyteusim pro ædificanda Ecclesia, reservato sibi certo Canone annuatim non acquirit Juspatronatus in illa. pag. 12.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

4 Ædificata Ecclesia in fundo, inscio Proprietario, an hic acquirat in illa Juspatronatus ratione fundi? pag. 12.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

5 Episcopus tradens fundum suæ Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio, an acquirat in illo Juspatronatus? pag. 13.

CANON III.

Iste Canon cõcedit Dotanti Ecclesiam jus alimentorum in casu inopiæ

CASUS I.

ARGUMENTUM.

6 DE requisitis necessariis, ad hoc ut Ecclesia teneatur præstare alimenta Patrono. pag. 17.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

7 Patrono egeno debentur alimenta non deductis necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de aliis beneficiis. pag. 18.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

8 An Patrono extraneo debeantur alimenta in casu inopiæ; Et quid si Patronus sit persona ficta, nempe

INDEX

Communitas, aut Collegium? pag. 18.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

9 Si ex tribus Patronis Ecclesiæ unus vergat ad inopiam, an huic debeantur pro alimentis omnes fructus superflui, & superextantes Ecclesiæ Patronalis. pag. 25.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

10 Defuncto uno ex tribus Patronis egenis, an portio ei assignata pro alimentis sit æqualiter inter superstites dividenda? pag. 33.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

11 Fundator an possit dotare Ecclesiam de bonis emphyteuticis? pag. 34.

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

12 Tradens pro dote Ecclesiæ Parochialis quædam bona insufficientia pro sustentatione Rectoris non acquirit juspatronatus, sed si alius suppleat defectum dotis, ambo insolidum erunt Patroni. pag. 38.

CASUS VIII.

ARGUMENTUM.

13 An minor possit dotare Ecclesiam sinè decreto Judicis; Et an in relictis ad pias Causas sint servandæ solemnitates juris Civilis. pag. 40.

CASUS IX.

ARGUMENTUM.

14 Ex ditatione non acquiritur Juspatronatus, seu jus alimentorum. pag. 51.

CASUS X.

ARGUMENTUM.

15 De requisitis necessariis ad acquirendum Juspatronatus ex redotatione pag. 52.

CANON IV.

Iste Canon cōcedit construenti Ecclesiam jus eam defendendi.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

16 MUrarius impendens operas absque mercede in constructione Ecclesiæ acquirit Juspatronatus. pag. 56.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

17 Non ab incipiente, sed à perficiente construere Ecclesiam acquiritur Juspatronatus. pag. 56.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

18 Ex reædificatione Ecclesiæ acquiritus Juspatronatus, dummodo concurrant requisita, de quibus in corpore. pag. 57.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

19 Si Ecclesia destructa sit alibi reædificata, an Patronus primæ Ecclesiæ sit etiam Patronus secundæ, & an dismembrari, & erigi possit nova Ecclesia; aut Oratorium in præjudicium alterius Ecclesiæ Parochialis. pag. 59.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

20 Destructa Ecclesia à Rectore an Patronus possit repetere ab ipso dotem, Iconem, Calices, paramenta, candelabra, & alia ornamenta, & Sacra supellectilia propriæ Cappellæ Patronalis in dicta Ecclesia existentis. pag. 78.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

21 An Patronus habeat jus prohibendi, nè ab aliis pulsentur Campanæ Ecclesiæ Patronalis, & Jus eligendi Campanarium, necnon retinendi claves; Et an in dismembratione, alienatione, ac permutatione bonorum Ecclesiæ Patronalis, requiratur consensus Patroni? pag. 84.

CASUS

ARGUMENTORUM.

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

22 Patronus an possit prohibere, ne ab alio ponatur scamnum, aut sedile, nè introducatur Confraternitas, & nè apponantur insignia, & arma in propria Ecclesia Patronali? pag. 89.

CASUS VIII.

ARGUMENTUM.

23 Patronus an habeat Jus prohibendi, nè ab aliis excaventur Sepulchra in Ecclesia Patronali? pag. 93.

CASUS IX.

ARGUMENTUM.

24 Parochus an possit exercere in Ecclesia Patronali Jura, seu functiones tam Parochiales, quàm non Parochiales ad sui libitum invito Patrono, vel potius exercitium functionum non Parochialium spectet ad Rectorem Ecclesiæ Patronalis; Electio Diaconi, & Subdiaconi pro celebratione Missæ solemnis in Ecclesia Patronali, ad quem spectet? pag. 96.

CASUS X.

ARGUMENTUM.

25 An Patronus pro defensione Ecclesiæ Patronalis teneatur litem sustinere propriis expensis, seu potius ex redditibus Ecclesiæ, & in casu succumbentiæ, an teneatur ad refectionem expensarum ipse, vel potiùs Ecclesia? Et an Rectores Ecclesiarum de Jurepatronatus possint inire confœderationem inter se pro sustinendis litibus, ac tuendis juribus earumdem Ecclesiarum? pag. 110.

CASUS XI.

ARGUMENTUM.

26 Rector Ecclesiæ Patronalis, si deficiat in reparatione Ecclesiæ minantis ruinam, si damnificet, dissipet, & dilapidet bona Ecclesiæ, an Patronus possit instare in judicio pro condemnatione ejusdem Rectoris ad damna, & ad alias pœnas à jure statutas? pag. 119.

CASUS XII.

ARGUMENTUM.

27 Mulier ex fundatione, dotatione, aut constructione Ecclesiæ potest acquirere Juspatronatus? pag. 125.

CASUS XIII.

ARGUMENTUM.

28 Judæus, Paganus, Infidelis, Hæreticus, illegitimus, an possint acquirere Juspatronatus, & per quod delictum hoc amittatur. pag. 126.

CANON V.

Iste Canon cõcedit Fundatori Ecclesiæ jus præsentandi.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

29 An, & quando Patronus possit constituere Procuratorem ad præsentandum? pag. 131.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

30 Ad effectum præsentandi non sufficit, quod Procurator exhibeat mandatum procuræ intrà terminum juris, nisi intrà eumdem terminum reducat illud ad actum. pag. 132.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

31 Ingrediente Patrono Religionem, & ibi solemniter profitente, an Religio possit obtinere, & exercere Juspatronatus ex persona Patroni professi, ei competens jure sanguinis, & quatenùs possit exercere Juspatronatus, an Superior Religionis, aut Monasterii possit præsentare absque consensu Capituli, seu aliorum Religiosorum ejusdem Monasterii? pag. 139.

CA-

INDEX

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

32 Patronus, qui post datum mandatum procuræ ad præsentandum, donat alicui Juspatronatus, per hujusmodi donationem non censetur revocare mandatum procuræ. pag.158.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

33 Præsentatio facta cum pactis,& conditionibus contrariis dispositioni juris est illicita, & simoniaca. Renunciatio facta in manibus Patroni Laici est nulla. pag.158.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

34 Spectante Jurepatronatus ad Communitatem, à quibus fieri debeat præsentatio? pag.160.

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

35 Ad validitatem præsentationis spectantis ad Communitatem, quæ requirantur? pag.165,

CASUS VIII.

ARGUMENTUM.

36 An possessio dignitatis,cui est annexum Juspatronatus malitiosè impedita, habeatur pro capta in ordine ad præsentandum? pag.177.

CASUS IX.

ARGUMENTUM.

37 Uno ex Patronis non præsentante, cæteris præsentantibus vox illius, favore cujus augeatur. pag.178.

CASUS X.

ARGUMENTUM.

39 Ad validam præsentationem personæ ad dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis, quid requiritur? Et de requisitis in promovendo ad hujusmodi dignitates. pag.181.

CASUS XI.

ARGUMENTUM.

40 An Patronus possit præsentare ad beneficium vacans eum, qui est irregularis ex homicidio. Et varia de irregularitate hìc pertractantur? pag.186.

CASUS XII.

ARGUMENTUM.

41 Præsentatio Eunuchi, seu Castrati ad Beneficium, an sit valida; Et qui possint, & qui non possint præsentari ad Beneficia de Jurepatronatus? pag.199.

CASUS XIII.

ARGUMENTUM.

42 Præsentatio facta de Laico est nulla, etiamsi Laicus petat postea Clericari; Clericatus namque requiritur de tempore præsentationis. pag.201.

CASUS XIV.

ARGUMENTUM.

43 Præsentatio facta de Regulari ad Ecclesiam, seu Beneficium Sæculare, an sit nulla. pag.214.

CASUS XV.

ARGUMENTUM.

44 Stante Privilegio Pontificis,quod Beneficia conferantur solis personis oriundis alicujus Civitatis, & non alienigenis; An in Beneficiis patronatis possint alienigenæ præsentari? pag.221.

CASUS XVI.

ARGUMENTUM.

45 An Patronus de consensu Episcopi possit præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas? pag.222.

CASUS XVII.

ARGUMENTUM.

46 Reservato Jurepatronatus passivo favore Parochianorum Parochiæ A an

an præsentatio ad Beneficium facta de eo; qui se transtulit ad habitandum in dicta Parochia absque translatione domicilii sustineatur? pag.223.

CASUS XVIII.

ARGUMENTUM.

47 Reservato Jurepatronatus passivo favore Civium alicujus Civitatis, an præsentatio facta de Clerico Territoriali in concursu Clerici Civitatensis sustineatur? pag.236.

CASUS XIX.

ARGUMENTUM.

48 In casu, quo Juspatronatus spectet ad infantem, & pupillum; Præsentatio, ad quem spectet? p.244

CASUS XX.

ARGUMENTUM.

49 Patronus an possit præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum simpliciter tonsuratum, & qui non sit nec in sacris, nec in minoribus ordinibus constitutus? p.245.

CASUS XXI.

ARGUMENTUM.

50 In quibus casibus valida sit Institutio factaab Ordinario absque præsentatione. pag.249.

CANON VI.

Iste Canon disponit, quod Episcopus, invito Patrono, non possit de Ecclesia simplici facere Monasterium, seu Ecclesiam Collegiatam.

CASUS I.

ARGUMENTUM.

51 Ecclesia ut sit, & dicatur Collegiata, quid requiratur? pag.251.

CASUS II.

ARGUMENTUM.

52 Cappellania an, & quando erigi possit in titulum beneficii, & erecta in titulum beneficii, an Cappellanus indigeat nova præsentatione ad effectum retinendi illam sic erectam, & commutatam in beneficium Ecclesiasticum? Et an fieri possit præsentatio ad beneficium erigendum? pag.252.

CASUS III.

ARGUMENTUM.

53 Cappellania erecta in beneficium Ecclesiasticum ab Ordinario, an ad instantiam Fundatoris asserentis, post dictam erectionem, se non habuisse intentionem fundandi Beneficium Ecclesiasticum possit reddi, & restitui in Cappellaniam merè Laicalem? pag.259.

CASUS IV.

ARGUMENTUM.

54 Patronus an, & in quibus casibus possit instare apud Superiorem pro translatione Cappellaniæ merè Laicalis de loco ad locum? pag.261.

CASUS V.

ARGUMENTUM.

55 Episcopus an possit erigere novum Canonicatum ex fructibus super excrescentibus in Ecclesia Collegiata de Jurepatronatus Laicali absque consensu Patroni; Et an Patrono respectu Canonicatus noviter erecti competere possit Juspatronatus, & hoc, cujus naturæ erit Ecclesiasticæ, ne, an Laicalis? pag.263.

CASUS VI.

ARGUMENTUM.

56 Erecto novo Canonicatu in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, cum admissione novi Canonici ad stallum in choro, vocem in capitulo, & distributiones ordinarias, & cum reservatione Jurispatronatus an huic debeantur distributiones tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, itaut Patronus instare possit apud capitulum, ut ejus præsentato, & instituto in dicto Canonicatu concedantur etiam distributiones extraordinariæ? pag.269.

CASUS VII.

ARGUMENTUM.

57 Rector beneficii Patronalis, an possit repudiare legatum factum favo-

vore ejusdem beneficii absque consensu Patroni, & an fundans Cappellaniam assignando pro ejus dote certa bona, & sub certo modo, hoc non servato possit ejusdem Cappellaniæ fundationem revocare? pag. 277.

CANON VII.

Iste Canon disponit, quod juspatronatus titulo permutationis in alium transferri possit.

CASUS UNICUS.

ARGUMENTUM.

58 Juspatronatus Gentilitium an permutari possit cum Jurepatronatus hæreditario, & an in permutatione juriumpatronatus necessarius sit consensus, sive auctoritas legitimi Superioris? pag. 290.

INDEX CANONUM, Qui in Opere continentur.

Primus numerus Partem, Secundus paginam significat.

A

AD exequendum. Pius V. const. 47. VI. 290.
Ad Sacram. Nicol. V. const. 1. VI. 233.
Apostolicæ Sedis. Pius V. const. 38. VI. 284.

C

Cameræ nostræ. Sixt. V. const. 33. VI. 285.
Consuluit. De Jurepat. II. 135.
Consultationibus. De Jurepat. II. 441.
Cum ab Apostolica. Innoc. VIII. const. 5. VI 242.
Cum Adolescentium. Concil. Trident. sess. 23. cap. 18. V. 112.
Cum autem de Jurepat. II. 153.
Cum dilectus de Jurepat. II. 601.
Cum ex Apostolatus officio. Paul. IV. constit. 19. VI. 262.
Cum illud Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. V. 90.
Cum Laici de Jurepat. II. 135.
Cum propter de Jurepat. II. 372.
Cum sæculum de Jurepat. II. 228.
Cura Pastoralis de Jurepat. II. 284.
Cum singulorum. Sixt. V. const. 105. VI. 338.

D

Decernimus 16. q. 7. I. 130.
De Jure de Jurepat. II. 209.

E

Eam te. De Jurepat. II. 372.
Et si omnibus. Pius V. const. 139. VI. 291.
Ex insunuatione. De Jurepat. II. 284.
Ex literis. De Jurepat. II. 227.
Expedit. Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. V. 162.

F

Filiis. 16. q. 7. I. 55.
Frigentius. 16. q. 7. I. 4.

H

Humano vix judicio. Gregor. XIII. constit. 85. VI. 316.

I

Illud. De Jurepat. II. 283.
In Ecclesiis. Concil. Trident. sess. 24. cap. 15. V. 143.
In pluribus. Concil. Trident. sess. 24. cap. 14. V. 140.
In Sacrosancto. Sixt. V. const. 64. VI. 333.
Item cupiens. Clem. XI. Regul. 9. Cancell. VI. 365.
Item reservavit. Clem. XI. Regul. 2. Cancell. VI. 300.
Item statuit. Clem. XI. Regul. 36. Cancell. VI. 387.
Item voluit. Clem. XI. Regul. 42. Cancell. VI. 390.

M

Magnam. Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. V. 226.
Monasterium 16. q. 7. I. 251.

N

Nemini. 16. q. 7. I. 289.
Nemo. Concil. Trident. sess. 14. cap. 12. V. 82.
Nobis. De Jurepat. II. 575.
Non licet. Concil. Trident. sess. 14. cap. 13. V. 87.

Nullus. De Jurepat. II. 284.

O

Onus Apostolicæ. Gregor. XIV. constit. 6. VI. 342.

P

Pastoralis. De Jurepat. II. 153.
Patriarchæ. Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. V. 132.
Per latum de Jurepat. II. 1.
Per nostras de Jurepat. II. 598.
Piæ mentis. 16. q. 7. I. 4.
Plures. Clement. 2. de Jurepat. IV. 36.
Postulasti. De Jurepat. II. 603.
Postquam. Paul. IV. const. 14. VI. 257.
Præsentati. Concil. Trident. sess. 7. cap. 13. V. 73.
Præterea. De Jurepat. II. 135.
Præterea, il 2. de Jurepat. II. 478.

Q

Quanta. Pius V. const. 58. VI. 315.
Querimoniam. De Jurepat. II. 332.
Quæcumque. De Jurepat II. 1.
Quicumque. 16. q. 7. I. 16.
Quia Clerici. De Jurepat. II. 209.
Quia refrigescente. Gregor. IX. constit. 7. VI. 228.
Quod autem. De Iurepat. II. 153.
Quoniam. De Jurepat. II. 111.

R

Ratio postulat. Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. V. 183.
Relatum de Jurepat. II. 136.
Romanum Pontificem. Pius IV. constit. 85. VI. 263.

S

Sanctissimus. Hadrian. VI. const. 33. VI. 244.
Sanctissimus. Paul. III. const. 3. VI. 249.
Sanctissimus. Jul. III. const. 21. VI. 250.
Sanctissimus. Pius V. const. 55. VI. 300.
Si cunctas. Sixt. V. const. 19. VI. 331.
Sicuti legitima. Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. V. 204.
Significasti. De Jurepat. II. 416.
Si Laicus de Jurepat. in 6. III. 1.
Si quem. Concil. Trident. sess. 22. cap 11. V. 99.
Si verò. De Jurepat. II. 372.
Speculatores. Innoc. XII. const. 44. VI. 345.
Suggestum. De Jurepat. II. 285.

T

Transmissæ. De Jurepat. II. 136.

V

Ut constitutio. Clement. 1. de Jurepatron. IV. 27.

INDEX

Textuum, & Gloſſarum materiam Juriſpatronatus concernentium, quæ extra Titulum Juriſpatronatus in corpore Juris vagantur, & in hoc Opere per extenſum referuntur.

Prior numerus Partem, Secundus Paginam, Tertius numerum marginalem indicat.

ADmonet *Conſt. Clementis VII. la* 41. §. 2. *Bullar. nov. tom.* 1. VI. 234. in Coment.

Clement. unic. *de ſupplen. neglig. Prælat. verb. Sæcularibus*. I. 214. 1.

Clement. 1. §. *Præſentatos de exceſſ. Prælat.* II. 122. 9.

Cum Bertoldus *de ſent. & re judic.* II. 240. 1.

Cum & plantare §. *in Eccleſiis de Privileg.* II. 250. 13.

Cum dilecta *de conceſſ. Præben.* II. 416. in Comment.

Cum vos *de offic. Ordinarii*. II. 435. 13.

De Monachis *de Præben. & dignitat.* IV. 29. in Comment.

Durum nimis *conſtit. Divi Pii V. la* 104. *Bullar. nov. tom.* 2. V. 141. 1.

Ea noſcitur *de his, quæ fiunt à Prælatis*. II. 122. 9.

Eleutherius 18. *quæſt.* 2. II. 478. in Comment.

Etſi Capitulum *de inſtit. in 6.* V. 89. 5.

Extirpandæ *de Præben. & dignit.* IV. 29. in Comment.

Gloſſ. in cap. final. *de elect. in 6. verb. Electione*. II. 157. 11.

Gloſſ. in Canon. neminem *diſtinct.* 70. *verb. Sive Proceſſionis*. II. 182. 5.

Gloſſ. in Clement. Paſtoralis verb. Subjectæ *de ſent. & re judic.* II. 244. 1.

Gloſſ. in Can. filiis 16. quæſt. 7. *verb. Propinquis*. II. 245. 4.

Gloſſ. in cap. 2. verb. Collatio *de Præben. in 6.* VI. 381. 1.

Gravis *de Cenſ.* II. 478. in Comment.

In quibuſdam *de pœn.* II. 245. 6.

In conferendis *conſt. Divi Pii V. la* 33. *Bull. Rom. nov. tom.* 2. V. 165. 1.

Noverint 10. *quæſt.* 1. II. 111. in Comment.

Paſtoralis *de his, quæ fiunt à Prælat.* II. 287. 2.

Paſtoralis *de donat.* II. 287. 4.

Placuit 1. *quæſt.* 2. II. 579. 4.

Presbyteri *de Cappell. Monach. in 6.* II. 332. in Comment.

Præterea il 1. *de tranſact.* II. 212. 5.

Propoſuit *de fil. Presbyt.* II. 604. in Comm.

Quantò *de Judic.* II. 374. 4.

Quærelam *de Elect.* II. 442. in Comment.

Sacroſancta *de election.* II. 592. 8.

Si is *de Inſtit. in 6.* I. 247. 5.

Sicut *de ſupplen. neglig. Prælat.* III. 4. 1.

Significaverunt *de Judic.* II. 374. 1.

Significavit *de Teſt. & atteſtationibus*. II. 591. 1.

Super eo *de offic. & poteſt. Judic. Delegat.* II. 375. 7.

Suſcepti *de Præben. & dignit. in 6.* IV. 31. 4.

Veniens *de verbor. Significat. in 6.* II. 250. 13.

INDEX
RESOLUTIONUM
SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII

Una cum Votis Auctoris per Diœceſes, quæ in hoc Opere habentur in Cauſis ſpectantibus ad materiam hujus Tractatus.

Primus numerus Partem, Secundus Paginam, Tertius numerum marginalem indicat.

A

ABellinen. Concurſus 28. Feebruarii 1711. V. 170. 14.
Acernen. Vicarii Capitularis 23. Februarii 1709. V. 90. 11.
Alatrina Reductionis Miſſarum 20. Februarii 1712. II. 567. 3.
Alexandrina 18. Martii 1719. VI. 399.
Alexanen. Vicarii Capitularis 17. Decembris 1712. V. 89. 9.
Aliphana Reparationis Cathedralis Eccleſiæ 21. Auguſti 1717. V. 96. 15.
Aliphana Redditionis rationis 17. Decembris 1718. VI. 393.
Amalphitana Canonicatus 10. Aprilis 1717. V. 217. 1.
Amerina Translationis Parochialis 17. Martii 1708. I. 58. 7.
Amarina Subſidiorum dotalium 5. Julii 1710. II. 188. 2.
Ampurien. Quartæ funeralis 6. Junii 1716. II. 270. 9.
Anagnina diſtributionum 27. Maji 1713. II. 521. 3.
Antequexen. in Indiis occidentalibus 22. Aprilis 1719. VI. 409.
Aprutina Irregularitatis 15. Decembris 1708. I. 193. 49.
Aquen. 8. Julii 1719. VI. 415.
Aquilana Unionis, ſeu translationis Parochialium 9. Aprilis 1712. V. 97. 1.
Aquilana Unionis Parochialium 14. Martii 1711. V. 152. 41.
Aquipenden. ſeu Soanen. Permutationis 9. Februarii 1715. I. 86. 13.
Aquipenden. Indulti 18. Martii, & 1. Aprilis 1719. VI. 405.
Aretina Concordiæ 16. Januarii 1712. II. 212. 6.
Ariminen. Commutationis Miſſæ 14. Martii, & 13. Junii 1711 V. 202. 17.
Aſculana Viſitationis 4. Martii 1719. VI. 398.
Aurien. Parochialium 28. Martii 1716. II. 346. 11.
Aurien. Vicarii Curati 18. Maji 1715. II. 347. 12.
Auximana Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis 26. Auguſti 1719. VI. 421.

B

Bayonen., & Pampilonen. Beneplaciti 13. Martii 1717. V. 103. 5.
Balneorigen. Miſſæ Parochialis, & Conventualis 19. Auguſti 1714. II. 536. 18.
Bergomen. Jubilationis 8. Auguſti 1716. II. 528. 29.
Biſuntina 22. Aprilis 1719. VI. 408.
Bononien. Facultatis alienandi 9. Aprilis 1712. II. 575. 1.
Bononien. Celebrationis Miſſarum 1. Junii 1709. II. 517. 16.
Bononien. 5. Junii 1717., & 21. Maji 1718. V. 119. 8.
Bononien. 17. Decembris 1718. V. 134. 3.
Boven. Taxæ Seminarii 12. Januarii 1709. V. 122. 8.
Bracharen. Reductionis onerum 11. Septembris

ptembris 1717. II. 565. 4.
Brictinorien. Exemptionis, & Eleemosynarum 12. Decembris 1711. II. 264. 6.
Brundusina Adimplementi 26. Augusti 1719. VI. 418.
Burgi S. Donnini Missæ Conventualis 16. Maji 1716. II. 537. 22.

C

Cajetana 2. Julii 1718. III. 14. 12.
Calaguritana Distinctionis Beneficiorum II. 178. 14.
Callien. 4. Martii. 1719. V. 198. 6.
Camerinen. Cappellaniarum 4. Junii 1712. I. 254. 3.
Camerinen. Erectionis Seminarii 15. Martii 1710. V. 122. 14.
Carpenctoraten. Oblationum, & Præeminentiarum 6. Junii 1716., & 15. Maji 1717. II. 263. 4.
Cassanen. 3. Decembris 1718. V. 142. 2.
Casalen. Commutationis voluntatis 24. Septembris 1718. V. 202. 18.
Casalen. Residentiæ 18. Martii 1719. VI. 401.
Casertana Indulti 8. Augusti 1716. II. 358. 11.
Cervien. Translationis piorum onerum 18. Maji 1715. I. 261. 1.
Cæseneten. Commutationis voluntatis 5. Maji 1708. V. 202. 13.
Civitatis Castellanæ 21. Maji 1718. II. 547. 21.
Civitatis Castelli 18. Martii 1719. VI. 359. 10.
Collen. Cappellaniæ 12. Decembris 1716. II. 208. 5.
Comen. Jurium Parochialium 9. Junii 1714. I. 102. 15.
Comen. Distributionum 6. Maji 1719. VI. 410.
Cracovien. Dismembrationis fructuum 3. Octobris 1711. I. 266. 8.
Cremonen. Beneficii 6. Junii 1716. II. 165.
Cremonen. Commutationis voluntatis 7. Decembris 1709. V. 202. 14.
Crotonen. Cappellaniæ 30. Januarii 1717. I. 278. 1.
Cusentina Subsidii dotalis 7. Februarii 1711. V. 201. 4.

D

Derthonen Translationis Cappellaniæ 9. Februarii 1715. I. 262. 1.
Derthonen. Prætensæ Irregularitatis 17. Junii 1713. I. 196. 6.
Dubia Jubilationum 17. Decembris 1718. V. 137. 21.

E

Æsina Cappellaniæ 22. Aprilis 1719. V. 203.
Æsina Concursus 1. Decembris 1708. V. 172. 20.
Æsina Translationis Ecclesiæ Parochialis 7. Decembris 1709. V. 98. 9.

F

Fanen. Cappellaniarum 14. Junii 1710. II. 359. 12.
Fanen. Patrimonii sacri, & Missarum 21. Augusti 1717. VI. 353. 2.
Fanen. 18. Martii 1719. VI. 400.
Faraonen. Reductionis Missarum 7. Maji 1718. II. 566. 9.
Feretrana Irregularitatis 5. Maji 1708. I. 193. 46.
Ferrarien. Applicationis Missarum 26. Martii 1718. II. 541. 1.
Ferrarien. 18. Martii 1719. VI. 403.
Firmana Cappellaniæ 18. Aprilis 1711. II. 366. 7.
Firmana Sacrarum suppellectilium 8. Julii 1713. II. 573. 1.
Florentina 12. Martii 1718. II. 509. 4.
Florentina Jurispatronatus 24. Januar. 1711. II. 512. 1.
Florentina Præeminentiarum 9. Aprilis 1718. II. 610. 7.
Florentina Missarum 20. Februarii, & 5. Martii 1712. II. 564. 1.
Florentina Abolitionis oneris 11. Decembris 1717. V. 197. 4.
Forosempronien. Præelectionis ad Parochialem 16. Novembris 1709. V. 172. 27.
Frequentina, seu Abellien. Erectionis Parochialis 27. Maji 1713. I. 62. 13.

G

Gebennen. Beneplaciti 19. Augusti 1713. V. 103. 4.

H

Hiſpalen. Nullitatis Ordinis 2. Maji 1716. VI. 355. 3.
Hortana Irregularitatis 15. Junii 1709. I. 194. 52.

I

Januen. Beneplaciti 5. Septembris 1711. V. 102. 2.
Januen. Pii oneris 16. Novembris 1715. II. 508. 46.
Imolen. Conſortii 4. Maji 1715. I. 240. 19.
Imolen. Legati pii 27. Nevembris 1717. II. 190. 10.
Iſclana Parochialis 23. Julii 1718. V. 173. 28.
Iſernien. Canonicatus 22. Februarii 1710. II. 531. 41.

L

Lauden. Funerum 2. Maji 1711. II. 269. 6.
Leodien. Fructuum, & diſtributionum 2. Decembris 1713. II. 522. 5.
Leodien. Indulti 10. Julii 1717. II. 524. 9.
Lucana Juris deferendi Crucem 8. Auguſti 1716. II. 257. 10.
Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis 16. Julii 1712. I. 61. 10.
Lycien. Unionis 16. Maji 1711. V. 124. 26.

M

Maceraten. Jurium Parochialium 17. Junii 1719. VI. 412.
Magdalunen. 22. Aprilis 1719. VI. 233. 8.
Mantuana Applicationis Sacrificii 19. Novembris 1718. V. 81. 7.
Marianen. Subſidii charitativi 11. Martii 1713. II. 259. 3.
Marſicana Diſpenſationis 9. Junii 1708. I. 127. 9.
Mediolanen. Diſtributionum 4. Februarii 1713. II. 525. 17.
Mediolanen. Unionis 21. Auguſti 1717. V. 152. 44.
Melevitana Seminarii 2. Auguſti 1710. V. 122. 6.
Melevitana Expoſitionis SS. Sacramenti 4. Februarii 1716. VI. 397.
Melevitana Jurium Parochialium 23. Februarii 1715. I. 100. 11.
Melevitana Divinorum Officiorum 29. Januarii 1718. V. 188. 20.
Melevitana 13. Auguſti 1718. VI. 357. 4.
Melphien. Congruæ 27. Junii 1711. IV. 33. 6. & V. 96. 15.
Mileten. Archidiaconatus 24. Aprilis 1717. II. 197. 17.
Monaſterien., ſeu Paderbonen. Legitimitatis 5. Septembris 1716. II. 156. 7.
Monopolitana Concurſus 13. Maji 1713. V. 174. 31.
Montis Peluſii Erectionis Cappellaniæ 12. Maji 1714. I. 261. 5.
Murana Erectionis Canonicatuum 12. Decembris 1711. I. 276. 26.
Mutinen Onerum Miſſarum 25. Junii 1712. II. 570. 3.

N

Narnien. Viſitationis Hoſpitalis 28. Martii 1716. II. 253. 23.
Narnien. Juriſpatronatus 6. Maji 1719. VI. 412.
Nazarena Electionis Vicarii Capitularis 11. Septembris 1717. V. 90. 11.
Neapolitana prætenſæ ſimoniæ 13. Auguſti 1718. VI. 282.
Neapolitana, ſeu Vici Equen. Ordinationis 12. Martii 1718. VI. 354. 3.
Nepeſina Procurationis, & exactionum 3. Decembris 1712., & 27. Maji 1713. II. 261. 16.
Nepeſina Canonicatus 4. Februarii 1719. V. 138. 1.
Novarien. Prætenſæ Irregularitatis 16. Julii 1712. I. 195. 55.
Novarien. Doctoratus 8. Auguſti 1716. II. 573. 5.
Nullius, ſeu Brittinorien., & Policaſtren. 21. Januarii 1719. VI. 394.
Nullius, ſeu S. Severini Juriſdictionis 4. Februarii, & 17. Junii 1719. VI. 395.

O

Oppiden. Contributionis 16. Novembris 1715. V. 122. 12.
Ordinis Capuccinorum, ſeu Senogallien.
Ordinationis 10. Januarii 1711. VI. 355. 4.
Ordinis S. Franciſci 18. Martii 1719. VI. 406.

P

Paderbonen. Participationis 12. Novem- 1712. I. 276. 23.
Parmen. Dispensationis 12. Aprilis 1710. V. 197. 5.
Pennen. Beneficii 13. Maji 1713. II. 503. 12.
Pennen. Concursus 23. Junii 1708. V. 170. 15.
Pientina Laureæ Doctoralis 16. Maji 1716. I. 223. 5.
Pistorien. Canonicatus 1. Aprilis 1713. II. 556. 6.
Placentina Erectionis Canonicatus 16. Januarii 1712. I. 276. 25.
Placentina Commutationis voluntatis 27. Januarii 1714. I. 263. 4.
Polignanen Dispensationis 19. Junii 1717. II. 358. 11.
Pragen. Jurisdictionis 14. Januarii, & 9. Junii 1708. IV. 35. 18.

R

Ragusina Delationis Crucis, & Censurarum 26. Martii 1711. II. 257. 8.
Ratisbonen. Juris præsentandi 19. Maji 1708. I. 215. 7.
Ratisbonen. Parochialis 27. Novembris 1717. II. 368. 7.
Ratisbonen. Juris deputandi Vicarium 29. Julii 1713. II. 343.
Reatina Cathedratici, & Decimarum 8. Julii 1713. II. 259. 5.
Regien. Dispensationis 24. Maji 1710. V. 202. 15.
Regien. 5. Augusti 1719. VI. 414.
Regien. 5. Augusti 1719. VI. 417.
Ripana Confraternitatis 30. Martii 1715. II. 265. 12.
Romana Cappellaniarum 1. Decemb. 1708. I. 215. 7.
Romana Nominationis ad Canonicatum 27. Augusti 1712. I. 159.
Romana Cappellaniarum 3. Decembris 1712. II. 557.
Romana Reductionis Missarum 3. Decembris 1712. II. 570. 1.
Romana Oneris Missarum 20. Februarii 1712. II. 515. 1.
Romana Jubilationis 6. Augusti 1712. II. 527. 26.
Romana Subsidiorum dotalium 9. Junii 1714. II. 188. 4.
Romana, seu Januen. Legati 13. Martii 1717. II. 188. 7.
Romana Eleemosynæ Missarum 5. Septembris 1716. II. 144. 2.
Romana Legati 23. Julii 1718. III. 16. 6.
Romana, seu Nonantulana 11. Septembris 1717. V. 117. 1.
Romana Cappellaniæ 4. Februarii 1719. V. 139. 3.
Romana, seu Sabinen. Subsidii dotalis 24. Aprilis 1717. V. 201. 6
Romana Dotium 24. Septembris 1718. V. 201. 6. 19.
Romana Cappellaniæ 14. Junii 1710. V. 202. 16.
Romana seu Sipontina 23. Julii 1718. VI. 352. 7.
Romana Præposituræ 1. Aprilis 1719. VI. 342. 5.
Romana 21. Maji 1718. VI. 356. 5.
Ruben. Juris funerandi 29. Julii 1713. II. 268. 4.

S

Salamantina Beneplaciti 2. Maji 1716. I. 113. 9.
Salisburgen. Residentiæ 4. Februarii 1713. II. 519. 1.
Salisburgen. Commutationis voluntatis 1. Junii 1715. V. 201. 5.
Sanctæ Agathæ Gothorum divisionis 15. Junii 1709. IV. 49, 3.
Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus 8. Julii 1719. VI. 416.
Sarnen. Jurium Parochialium 15. Januarii 1718. V. 148. 15.
Senen. Suppressionis Canonicatuum 8. Augusti 1711. I. 267. 9.
Senen. Reductionis fructuum Canonicatuum 20. Februarii 1712. II. 567. 1.
Senogallien. Reædificationis Ecclesiarum 23. Aprilis 1712. V. 96. 20.
Senogallien. Censuum 2. Julii 1718. V. 104. 10.
Syracusana Collegiatæ 18. Februarii 1713. V. 84. 8.
Spoletana Parochialis 16. Novembris 1715. V. 99. 10.
Spoletana Juris amovendi Curatum 8. Julii 1713. II. 342. 5
Spoletana Cappellaniæ 15. Novemb. 1710. II. 224. 9.
Spoletana Visitationis 29. Julii 1713. II. 253. 26.

Squil-

Squillacen. Missæ Conventualis, & Communeriæ 24. Septemb. 1712. II. 535. 10.
Strigonien. 17. Decembris 1718. V. 103. 9.
Sutrina Canonicatus 28. Novembris 1711. II. 554. 3.
Sutrina Jurisdictionis 7. Decembris 1715. II. 252. 21.
Sutrina Oratorii 11. Junii 1718. V. 119. 9.

T

Tarantasien. 22. Aprilis 1719. VI. 407.
Tarentina Commutationis voluntatis 21. Aprilis 1708. V. 202. 12.
Taurinen. Commutationis voluntatis 3. Augusti 1715. I. 241. 20.
Thelesina Archipresbyteratus 31. Julii 1717. V. 185. 4.
Tiburtina Cappellaniæ 14. Junii 1710. VI. 359. 9.
Toletana 7. Maji 1718. V. 199. 5.
Triventina Deputationis Coadjutoris II. 606. 6.
Tudertina Funerum 8. Augusti 1716. II. 268. 2.
Tudertina Cappellaniæ 12. Martii 1718. II. 509. 1.
Tusculana Missæ Conventualis 21. Aprilis 1708. II. 534. 9.
Tusculana Explicationis verbi Dei 29. Julii 1713. II. 513. 1.

V

Veliterna Cantus 23. Februarii 1715. & 25. Januarii 1716. III. 20. 12.
Veneta Reductionis Missarum 4. Februarii 1719. VI. 396.
Vercellen. Reductionis Missarum 17. Junii 1713. II. 571. 2.
Vercellen. Beneplaciti 27. Aprilis 1709. II. 229. 9.
Verulana Visitationis SS. Liminum 21. Januarii 1719. V. 187. 13.
Ugentina Jurisdictionis, & Censurarum 16. Martii 1715. II. 249. 9
Vicen. Suppressionis, seu Reductionis Beneficiorum 28. Martii 1711. V. 150. 25.
Viglevanen. Seminarii 27. Januarii 1714. V. 118. 4.
Ulyssiponen. Beneplaciti 31. Julii 1717. V. 103. 6.
Ulixbonen. Gradus 30. Martii 1715. II. 563. 4.

INDEX
DECISIONUM
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

Per Diœceſes, quæ in hoc Opere continentur.

Primus numerus Partem, Secundus Paginam deſignat.

A

Alatrina Juriſpatronatus 15. Junii 1705. coram Eminentiſs. Scotto. Par. II. pag. 189.

Alexanen. Beneficii 11. Aprilis 1712. cor. R.P.D. Aldrovando. IV. 41.

Aprutina Parochialis 15. Januarii 1703. cor. Eminentiſs. Priolo. II. 130.

Aſten. Prioratus ſuper pertinentia 20. Martii 1709. cor. R.P.D. Aldrovando. II. 42.

Aſten. Prioratus de Coſta ſuper pertinentia 6. Martii 1711. cor. R.P.D. Anſaldo. II. 80.

Aſtoricen. Parochialis 8. Junii 1716. cor. R.P.D. Foſcaro II. 448.

Eadem 7. Decembris 1716. cor. eodem. II. 450.

Auguſtana Juriſpatronatus ſuper negocio principali 31. Januarii 1692. cor. R.P.D. Urſino. I. 87.

Auximana Juriſpatronatus 17. Junii 1718. cor. R. P. D. Rovault de Gamaches VI. 278.

B

Barchinionen. Beneficii 20. Junii 1701. cor. Eminentiſs. Priolo. II. 118.

Bituntina Juriſpatronatus 31. Januarii 1716. cor. R.P.D. Foſcaro. II. 328.

Bituntina Beneficii 13. Martii 1716. coram R.D.P. Criſpo. II. 453.

Bononien. Parochialis 26. Januarii 1711. cor. R.P.D. Caffarello. I. 162.

Brixien. Juriſdictionis 26. Junii 1710. cor. R.P.D. Kaunitz. II. 353.

Burgen Beneficii, ſeu portionis de Gredilla 17. Februarii 1702. cor. R.P.D. Muto. I. 242. num. 22.

Nota hìc, quod Titulus hujus Deciſionis fuit ibi à Typographo per errorem omiſſus.

C

Calaritana Cappellæ 14. Junii 1713. coram R.P.D. Lancetta. I. 81.

Calaguritana Dimidii Beneficii de Foronda 27. Junii 1712. cor. R.P.D. Anſaldo. II. 172.

Camerinen. Beneficiatus 2. Julii 1708. cor. Reverendiſs. Molines Decano II. 558.

Caſertana Beneficii 27. Martii 1715. coram Eminentiſs. Scotto. II. 466.

Eadem 15. Junii 1716. cor. R.P.D. Althann. II. 468.

Civitatis Plebis Jurium Parochialium 16. Junii 1708. cor. R.P.D. Anſaldo. I. 107.

Civitatis Caſtelli Canonicatus 12. Martii 1714. cor. Eminentiſs. Scotto. II. 59.

Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ 13. Decembris 1709. cor. R.P.D. Lancetta. I. 225.

Eadem 10. Decembris 1710. coram R.P.D. Anſaldo. I. 229.

Colonien. Fundationis Monaſterii 11. Januarii 1717. coram R. P. D. Foſcaro. I. 281.

Colonien. Vicariæ 6. Martii 1719. coram R.P.D. Criſpo. VI. 447.

Colonien. Paſtoratus 24. Martii 1719. cor. R.P.D. Cerro VI. 452.

Comen. Archipresbyteratus 5. Martii 1717. cor. R.P.D. Criſpo. II. 124.

Comen. Parochialis ſuper recurſu ad Judicem Laicum 23. Junii 1712. cor. R.P.D. Falconerio. II. 376.

Compoſtellana Parochialis 16. Novembris 1716. cor. R.P.D. Falconerio. V. 212.

Compoſtellana Beneficii 15. Martii 1717. cor. R.P.D. Althann. VI. 376.

Compſana Immiſſionis 24. Januarii 1707. cor. Eminentiſs. Scotto. I. 49.

Craco-

Cracovien. Plebaniæ 22. Januarii 1717. cor. R.P.D. Cerro. II. 290.
Cremonen. Beneficii 4. Februarii 1715. cor. R.P.D. Cerro II. 547.
Cremonen. Beneficii 2. Maji 1718. coram R.P.D. Lancetta. VI. 322.

E

Essendien. Præposituræ 6. Februarii 1719. cor. R.P.D. Cerro. VI. 438.

F

Farfen. Canonicatus 11. Decembris 1711. cor. R.P.D. Crispo V. 189.
Faventina Beneficii 24. Aprilis 1705. cor. R.P.D. Kaunitz. II. 412.
Faventina Beneficii 23. Junii 1719. coram R.P.D. Falconerio. VI. 458.
Eadem 10. Junii 1705. coram eodem. II. 414.
Firmana Beneficiorum 19. Januarii 1711. cor. R.P.D. Lancetta. IV. 45.
Firmana Beneficii 26. Junii 1719. cor. R.P.D. Rovault de Gamaches. VI. 466.
Forolivien. Parochialis 26. Aprilis 1706. cor. R.P.D. Omanna. VI. 295.
Frisingen. Decanatus 27. Junii 1708. cor. Reverendiss. Molines Decano. V. 78.
Frisingen. Juris deputandi Curatos 24. Martii 1713. cor. R.P.D. Ansaldo I. 216.

H

Hildesimen. Canonicatus 16. Martii 1716. cor. R.P.D. Crispo. VI. 383.
Hispalen. Divisionis simultaneæ 4. Junii 1700. cor. Eminentiss. Priolo. IV. 66.
Hostunen. Beneficii 10. Decembris 1708. cor. R.P.D. Crispo. III. 8.

I

Ilcien. Beneficii 2. Julii 1706. cor. R.P.D. Kaunitz. II. 429.

L

Lauretana Jurispatronatus 11. Decembris 1716. cor. R.P.D. Crispo. II. 203.
Leodien. Vicariæ de Jemeppe 23. Januarii 1719. cor. R.P.D. Herrera. VI. 429.
Legionen. Parochialis 11. Januarii 1706. cor. R.P.D. Kaunitz. V. 180.
Leodien. Dismembrationis 1. Februarii 1712. cor. R.P.D. Falconerio. I. 74.
Leodien. Pastoratus 20. Martii 1716. cor. R.P.D. Lancetta. II. 279.
Eadem 12. Aprilis 1717. coram R.P.D. Rovault de Gamaches. II. 281.
Leodien. Beneficii 20. Januarii 1717. cor. R.P.D. Crispo. V. 153.
Leodien. Cappellaniarum super bono jure 27. Februarii 1719. cor. R.P.D. Foscaro. VI. 441.
Lucana Beneficii 22. Februarii 1709. cor. R.P.D. Falconerio. II. 383.

M

Majoricen. Beneficii 6. Decembris 1709. cor. R.P.D. Ansaldo. I. 167.
Majoricen. Beneficii 20. Januarii 1716. cor. R.P.D. Falconerio. II. 312.
Mediolanen. Præposituræ 3. Martii 1704. cor. R.P.D. Ansaldo. I. 147.
Mediolanen. Prioratus super qualitate Agnatitia 18. Junii 1713. cor. Eminentiss. Scotto. II. 30.
Mediolanen. Prioratus super Mixtura, & Filiis familias 15. Junii 1705. cor. Eminentiss. Priolo. II. 33.
Eadem 29. Januarii 1706. cor. R.P.D. Caffarello. II. 36.
Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1717. cor. R.P.D. Ansaldo. II. 392.
Melevitana Beneficiorum 10. Junii 1712. cor. R.P.D. Aldrovando. I. 210.
Monasterien. Canonicatus 19. Februarii 1714. cor. R.P.D. Ansaldo. VI. 371.
Monasterien. Decanatus 17. Junii 1718. coram R.P.D. Foscaro. VI. 255.
Montis Regalis Prioratus 24. Januarii 1718. coram Reverendiss. Ansaldo Decano. VI. 272.
Neapolitana Unionis 23. Junii 1710. cor. Reverendiss. Molines Decano. V. 125.
Neapolitana Unionis super deputatione Ministrorum 23. Junii 1710. cor. Reverendiss. Molines Decano. V. 131.
Neapolitana Jurium Parochialium 13. Martii 1711. cor. R.P.D. Ansaldo. I. 103.
Novarien. Parochialis 11. Aprilis 1712. coram R.P.D. Ansaldo. II. 200.
Nullius, seu Montis Cassinen. Manutentionis 10. Junii 1712. cor. R.P.D. Lancetta. I. 71.

Pam-

P

Pampilonen Juriſpatronatus 4. Februarii 1715. cor. Eminentiſs. Scotto. III. 24.
Pampilonen. Miſſæ in Aurora 26. Junii 1716. cor. R.P.D. Althann. II. 606.
Pampilonen. Beneficii de Yrun. 23. Januarii 1719. cor. R.P.D. Lancetta. VI. 434.
Peruſina Penſionis 11. Maji 1716. cor. R.P.D. de Herrera. II. 486.
Piſana Juriſpatronatus 26. Junii 1709. cor. Eminentiſs. Priolo. II. 37.
Piſtorien. Beneficii 27. Martii 1716. coram R.P.D. Cerro. IV. 52.
Placentina Cappellaniæ 25. Junii 1714. cor. Eminentiſs. Scotto. II. 359.
Placentina Beneficii 27. Martii 1719. cor. R.P.D. Cerro. VI. 454.
Reatina Juriſpatronatus 12. Maji 1710. cor. R.P.D. Kaunitz. II. 233.
Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1707. cor Eminentiſs. Scotto. I. 133.
Eadem 3. Februarii 1708. coram eodem. I. 137.
Romana Cappellaniæ S. Nicolai 28. Junii 1709. cor. R.P.D. Anſaldo. II. 10.
Romana Cappellaniæ 3. Junii 1711. coram R.P.D. Anſaldo. II. 104.
Romana Cappellaniæ 19. Aprilis 1709. cor. R.P.D. Caffarello. II. 339.
Romana Fideicommiſſi 22. Februarii 1717. cor. R.P.D. Cerro. V. 108.

S

Sabinen. Cappellaniæ 22. Januarii 1707. cor. Eminentiſs. Scotto. II. 93.
Salernitana Alimentorum 12. Januarii 1712. cor. Eminentiſs. Scotto. I. 20.
Salernitana Alimentorum ſuper Taxatione 20. Julii 1712. cor. Eminentiſs. Scotto. I. 28.
Eadem 16. Decembris 1712. coram R.P.D. Falconerio. I. 30.
Salernitana Juriſpatronatus 11. Martii 1715. cor. R.P.D. Falconerio. II. 460.
Eadem 13. Januarii 1716. cor. R.P.D. Criſpo. II. 463.
Salisburgen. Vicariæ 16. Januarii 1719. cor. R.P.D. Falconerio. VI. 423.
Savonen. Reſtaurationis Parochialis Eccleſiæ 8 Martii 1709. cor. Eminentiſs. Scotto. I. 122.

T

Tarraconen. Parochialis de vimbodino 15. Januarii 1706. cor. R.P.D. Anſaldo. II. 347.
Tridentina Beneficii 20. Junii 1712. coram R.P.D. Anſaldo. I. 255.
Tridentina Cappellaniæ 5. Aprilis 1715. cor. R.P.D. Cerro. II. 70.
Trivicana Juriſpatronatus 17. Junii 1718. cor. R.P.D. Foſcaro. V. 222.
Triviren. Parochialis 26. Junii 1715. cor. R.P.D. Lancetta. VI. 240.
Tuden. Parochialis de Reverteme 17. Junii 1712. cor. R.P.D. Falconerio. II. 53.
Tuſculana Cappellaniæ 15. Martii 1715. coram R.P.D. Anſaldo. IV. 59.

V

Virdunen. Abbatiæ 3. Aprilis 1702. coram Reverendiſs. Molines Decano. VI. 304.
Viterbien. Cappellaniæ 26. Junii 1716. cor. R.P.D. Lancetta. II. 271.
Eadem. 15. Martii 1717. cor. eodem. II. 272.
Volaterrana Beneficii 7. Decembris 1708. cor. R.P.D. Criſpo. I. 204.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COMMENTARIA
IN SINGULOS CANONES
DE JUREPATRONATUS
Qui sparsim in Corpore Juris Canonici habentur.
APPARATUS
In quo de Origine, Definitione, & Divisione Jurispatronatus agitur.

SUMMARIUM.

1 *Disciplinæ ratio optima in rebus obscuris omnia à suis initiis sub brevitate repetere.*
2 *Auctores, qui de materia Jurispatronatus pertractarunt.*
3 *Juspatronatus est terminus æquivocus.*
4 *Juspatronatus unde originem habuit.*
5 *Juspatronatus quid sit?*
6 *Divisio animum incitat, mentem præparat, & memoriam reformat.*
7 *Juspatronatus quotuplex sit*, & num. 9. & 10.
8 *Juspatronatus an sit Ecclesiasticum, vel Laicale attendenda est qualitas personæ præsentantis non accidentalis, sed essentialis.*
11 *Juspatronatus passivum competere potest alicui dupliciter, scilicèt per vocationem directam, & per vocationem mediatam.*

1 CUm optima disciplinæ ratio sit in rebus paulò obscuris omnia à suis initiis, & origine sub brevitate repetere, ut nos docuit *Cajus in l. prima in princip. vers. Et certè de orig. jur.* Ideò, ut mihi, & non Reipublicæ Literariæ utilis sim, *Commentaria in singulos Canones de Jurepatronatus* acturus operæ pretium duxi Apparatum istum efformare, ibique de Jurispatronatus Origine, Definitione, & Divisione peragere.

2 Materia hæc Jurispatronatus in Jure Canonico præcipua, & in Tribunalibus satìs frequens plenè agitata reperitur particularibus tractatibus, nempe *Rocchi de Curt.*, *Lambertini*, *Pauli de Cittadin.*, *Viviani*, *Francisci de Roye*, *Francisci Florentis*, *Frassi de Regio patronatu Indiarum*, *Fontanell.*, *Cardinalis de Luca*, & in brevi Dominus Advocatus Pitonius Præceptor meus ad materiam est in lucem daturus Opus quoddam satìs celebre, & tanto Vi-

ro dignum, cujus titulus erit de *Controversiis Patronorum* continens centum Allegationes, seu Scripturas, vel ad defensam, vel pro veritate ab eodem promulgatas, quarum triginta circiter Ego summavi, & transcripsi sic illo mihi jubente, ut de ejus stylo, modo ac facilitate scribendi imbuerer.

3 Juspatronatus igitur terminus est æquivocus: primum namque est Juspatronatus Libertorum, quod provenit ex manumissione; secundum est Juspatronatus respectu Advocatorum, qui dicuntur Patroni Causarum; tertium est Juspatronatus, quòd sumitur pro Jure competente in Ecclesiis, quoad Rectoris præsentationem, ut desumitur ex *Abbat. in Rub. n.* 1. *de jurepatr. Roch. de Curt. eodem tract. in princ. oper. num.* 2.

4 Juspatronatus sumptum juxta hanc tertiam speciem, de quo hìc loquimur, prodiit, & originem habuit quinto sæculo, ut concludenter probat *Franciscus de Rojie in Prolegomen. ad tit. de jurepat. cap.* 2. ex Epistola 12. S. Paulini, qui obiit *an.* 431. & ex Epistola 10. *lib.* 2. & Epistola 18. *lib.* 3. *Sydonii Apollin.*, qui floruit *an.* 440., ubi reperiuntur nomina, & elogia Fundatorum in eorum Ecclesiis solemniter inscripta; *Ex can.* 10. Concilii Arausicani circa *annum* 441. sub Theodosio juniore, & Valentiniano Tertio Imperatore celebrati, ubi ædificanti Ecclesiam conceditur jus præsentandi his verbis -- *Reservata ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus Territorium est* -- & testatur *Thomasin. veter., & nov. Eccles. disciplin. p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 10., *& cap.* 30. *num.* 1., *& seqq.* Ratio vero, & causa finalis introducendi Juspatronatus fuit non solùm, ut Fideles excitarentur ad fundandas, & construendas Ecclesias, sed etiam gratitudo Ecclesiæ in Fundatores Ecclesiarum, ut nempe ita in perpetuum testetur Ecclesia quantum suis Fundatoribus debeat, ut tuetur idem *Franciscus de Rojie, ubi supra cap.* 3

5 Definitur autem hujusmodi Juspatronatus, *Jus honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia pro eo, quòd de Diœcesani consensu Ecclesiam fundavit, construxit, vel dotavit ipse; vel is, à quo causam habuit.*

Definitionem hanc explicant *Rocch. de Curt. de jurepat. num.* 4. *Paul. de Citad. eod. tract. p.* 1. *num.* 42. *Vivian. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *per tot.* asserentes Juspatronatus dici *Jus*, quia est quid incorporale, & intellectuale, dici *honorificum*, quia Patrono debetur honor in præsentando Rectorem, dici *onerosum*, quia Patronus tenetur defendere Ecclesiam. Dici *utile*, quia si Patronus deveniat ad inopiam, est alendus de Bonis Ecclesiæ. Dici *Competens alicui*, sive fœminæ, sive masculo, & etiam Populo, & & Universitati, & omni Christiano. *In Ecclesia*, sive Cathedrali, sive Collegiata, sive Seculari, sive Regulari, cum hac tamen restrictione, quod in Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, Patronus non habet jus præsentandi Prælatum. Dici *Pro eo, quod de Diœcesani consensu Ecclesiam fundavit construxit, & dotavit*, quia ad acquirendum Juspatronatus aliquo ex his modis requiritur consensus Episcopi. Dici denique -- *Ipse, vel is à quo causam habuit* ad ostendendum, quod Juspatronatus transferri possit de uno in alium, quod fit quatuor modis, scilicet successione, donatione, permutatione, & translatione Universitatis, cui sit annexum Juspatronatus.

Sed quia divisio animum incitat, mentem præparat, & memoriam reformat, ut dicit *Gloss. in §. Igitur in Verbo easdem in fine in proœm. instit.* Ideo, posita definitione Jurispatronatus, procedendum est ad ejusdem divisionem. Jus ergo Patronatus dividitur primò in Ecclesiasticum, Laicale, & mixtum. Juspatronatus Ecclesiasticum est, quod vel de bonis Ecclesiasticis fundatum, & creatum fuit, vel competit Clerico ratione suæ Ecclesiæ. Laicale est, quod Laico, seu Clerico ratione sui proprii Patrimonii competit. Mixtum verò est, quod partim de bonis Ecclesiasticis, & partim de Bonis Patrimonialibus fundatum, & creatum fuit.

8 Ad cognoscendam igitur qualitatem Jurispatronatus, inspicienda est qualitas personæ præsentantis non accidentalis, prout est qualitas Clericatus in eo, qui præsentat ratione successionis hæreditariæ, vel consanguinitatis; sed essentialis, & quæ requiritur ad habendum jus præsentandi. Nam si requiritur qualitas Ecclesia-

siastica, Juspatronatus erit Ecclesiasticum; Si verò hujusmodi qualitas non exposcitur, Juspatronatus dicitur Laicale. *Rota decis.* 157. *num.* 5. *part.* 7. *& decis.* 289. *n.* 11. *par.* 9. *recent. & decis.* 189. *num.* 12. *coram Pamphil.*

9 Dividitur secundò in Familiare, seu Gentilitium, Hæreditarium, & mixtum; Hæreditarium est, quod transit ad quoscumque hæredes etiam Extraneos. Familiare est illud, quod competit tantum illis de Familia. Mixtum verò, quod utramque qualitatem requirit.

10 Dividitur tertiò in passivum, & activum. Passivum est, per quod certi de tali familia sunt præsentandi. Activum, per quod fit, nè quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis Personæ. *Roch. de Curt. de jurepatr. verb. jus num.* 13. *Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *par. prima quæst.* 1. *artic.* 4. *Vivian. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *per tot. Garz. de Benefic. par.* 5. *cap.* 9. *num.* 208. *Lotterr. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 10. *num.* 2. *& quæst.* 11. *num.* 1. *& seqq. Capon. discept.* 72. *num.* 10. *&* 74. *nu.* 6. *tom.* 2. *& discept.* 364. *num.* 10. *& seqq.*

11 Juspatronatus autem passivum potest duplici modo alicui competere, scilicet mediante vocatione aut directa, aut mediata, seu indirecta; & quales sint isti modi plenè habetur apud Dominum Advocatum Pitonium in dicto ejus Opere *de controv. Patron. alleg.* 1. & dicam infra *Part. II. Can. I. & II. Cas. IX. nu.* 19. *&* 33.

Præsuppositа hujusmodi generali notitia Jurispatronatus omnino necessaria ad intelligentiam eorum, quæ sunt dicenda; jam descendo ad *Commentaria in singulos Canones de Jurepatronatus*, qui habentur in Decreto Gratiani, in Decretalibus, Sexto Decretalium, in Clementinis, in Concilio Tridentino, in Regulis Cancellariæ, & in Bullario Romano, quos omnes in unum collegi, & ad verbum hic transcripsi deducendo ex illis varias Conclusiones, eisque varios Casus annectendo, ut in uno haberem quidquid à Sacris Canonibus definitur circa hanc materiam.

IN CANONES DE JUREPATRONATUS.

Desumptos ex Decreto Gratiani 16. quæst. 7.

COMMENTARIA

PARS PRIMA.

CAN. I.

Gelasius Papa Senectiori Episcopo.

PIæ mentis amplectenda devotio est, quâ se Julius Nobis in re Juliana sui Juris fundasse perhibet Ecclesiam, quam &c. Hanc igitur frater charissime (si ad tuam Diœcesim pertinere non ambigis) ex more convenit dedicari: Collatâ priùs donatione solemni, quam Ministris Ecclesiæ destinasse præfati muneris testatur oblator. Sciturus sinè dubio (præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur) nihil ibidem se proprii Juris habiturum.

CAN. II.

Idem de eodem.

FRigentius verò petitoriâ nobis insinuatione suggessit in re sua, quod Sextilianum vocatur, Basilicam se Sanctorum Michaelis Archangeli, & Martini Confessoris pro sua defensione fundasse: ideo frater charissime (si ad tuam pertinet Parochiam) benedictionem super memoratæ Basilicæ, solemni devotione, & veneratione impende; nihil tamen sibi fundator ex hac Basilica noverit vendicandum, nisi Processionis aditum, qui Christianis omnibus in communi debetur.

COMMENTARIUM.

EX his duobus Canonibus talis communiter deducitur conclusio: FUNDANS ECCLESIAM ACQUIRIT IN EA JUSPATRONATUS, SEU JUS HONORIFICENTIÆ; & eam probant *Abb. Anan. Butr. Fagnan. Gonzal. Barbos. in cap. Nobis de Jurepatr. Gloss. in cap. unico de Jurepatr. in 6. ibique Monac. num. 15. Archidiac. num. 1.* quam sequuntur *Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 44. Ventrigl. in prax. tom. 2. annot. 1. de Jurepatr. §. 1. num. 3. Rota decis. 221. num. 13. par. 8. recent. & decis. 163. num. 19. par. 17. recent. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 1. num. 10. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 4. Rota decis. 615. num. 2. par. 1. recent. & decis. 106. num. 6. coram Coccin.*

1 Ratio est, quia fundans Ecclesiam dicitur quasi Pater, quia deducit Ecclesiam de non esse ad esse, juxta Doctores relatos à *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. quæst. 1. art. 2. num. 9.* Sed filius debet reverentiam, & honorem Patri, ita & Rector Ecclesiæ repræsentans ipsam Ecclesiam quasi filiam illius, qui eam fundavit, debet honorare Fundatorem præ cæteris aliis. Ratio etiam ulterior est, quia concedente Rectore Ecclesiæ hujusmodi honorem Fundatori præ cæteris aliis, sic alliciuntur
2 fideles ad fundandas Ecclesias. *Argumentum Text. in cap. 3. de Jurepatr.* Virtutis enim uberrimum alimentum est honos, *Valer. Maxim. lib. 2. cap. 6. tit. de Instit. Antiq.*

Et sic eodem ferè motu excitati videntur Patroni ad fundandas Ecclesias, quo impulsi, qui apud Romanos operibus publicis renovandis, & perficiendis impensas præbebant, ut nomina sua fronti (ita edicente Imperatore) inscribi curarent, ut patet ex *l. ultim. de oper. public.* vel qui ludis publicis instituendis pecunias erogabant, ut hæredes suos ludorum exhibitioni tanquam Agonothetas præesse mandarent. *Pinzon. de Benef. Eccles. cap. 4. §. 1. num. 4.*

Quoad hanc conclusionem sequentes examinantur Casus.

ARGUMENTUM.

Qui, & quot honores, seu præeminentiæ competant Patrono in Ecclesia Patronali?

SUMMARIUM.

1 *Honor est maximum Bonorum exteriorum.*

2 *Rector occurrere debet Fundatori venienti ad Ecclesiam, sed limita*, ut nu. 3.

4 *Patrono assignari debet scamnum in Ecclesia Patronali, necnon ejus hæredibus, & quid si plures essent hæredes.*

5 *Fundatori assignanda est Sedes non intrà, sed extra Chorum, seu Presbyterium Ecclesiæ*; Sed limita ut num. 6. & 7.

8 *Rector præstare debet primo loco Candelam Fundatori in die Purificationis, Palmæ ramum, Aquam, & Carbones Benedictos, & Cinerem*; Sed limita, ut num. 9.

10 *Rector non potest vocare Fundatorem in jus sinè venia.*

11 *Fundator potest apponere insignia, & inscri-*

scriptiones in Ecclesia Patronali; Sed limita, ut num. 12.

13 *Rector Ecclesiæ an teneatur facere in Missa commemorationem specialem pro Anima Fundatoris*.

14 *Magis sunt honorandi, qui Beneficia contulerunt, quàm qui conferre queunt*.

15 *Patronis non licet in suo servitio Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum retinere*.

CASUS I.

CUm celebraretur Festivitas cujusdam Sancti Titularis in Ecclesia A. Fundator pergens ad illam, supradictorum *Canonum* dispositioni innixus varios, & quamplures honores ab ejus Rectore sibi præstari intendebat, quos cum ei contenderet Rector, quæritur in hoc Casu, quid Juris?

Honor est propriè Reverentia, & Dignitas, quæ quavis ex causa alicui exhi-
1 betur; & cùm sit maximum bonorum exteriorum, juxta *Arist. lib. 4. Eth.* & nulla voluptas humana videatur ad Divinam accedere propiùs, quàm ea delectatio, quæ ex honoribus percipitur, ut testatur *Xenoph. in Cyrop.* jure meritò Fundator Ecclesiæ actione supradictorum Canonum jus honorificentiæ ei concedentium exigere potest ab ejusdem Ecclesiæ Rectore honores.

Qui verò, & quot honores præstari debeant à Rectore Fundatori Ecclesiæ; Doctores hìc quamplures esse testantur.

2 Primò enim Fundatori venienti ad Ecclesiam Rector unà cum Clericis occurrere debet usque ad ambitum Januæ,
3 dummodò sit Rex, aut Princeps, secus si fundans sit persona privata, ut limitat *Abb. in cap. nobis de jurepatr. in 2. Column. in verb. sed quia, ibique Butr. num. 21. Anan. num. 9. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 4.*

4 Deinde assignare ei debet primum locum in sessionibus, & processionibus, & ei concedere scamnum in nobili loco Ecclesiæ præ cæteris, quod jus retinendi scamnum, si essent plures hæredes Patroni, omnibus insolidum eis competeret; licèt enim jus sedendi, quoad ejus substantiam sit individuum, quoad ejus tamen fructum, nempe commoditatem sedendi est dividuum, & dividi potest inter plures cohæredes. *Cæsar de Grass. decis. 170. numer. 3. de jurepatr. Rota decis. 112. num. 3. coram Coccin.* Et si Scamnum esset adeò angustum, ut omnes cohæredes minimè caperet, sedendi commoditas inter eos alternis vicibus dividi deberet *per Text. in l. Rusticorum §. Aquæductus ff. de servit. Rustic.* & alios quos refert *Altograd. contr. 85. num. 29. tom. 2.*

5 Sed tamen si Ecclesia sit Cathedralis, aut Collegiata Sedes Fundatoris non intrà, sed extra Chorum, seu Presbyterium, & Sacrarium in dignori loco est collocanda, maximè si Fundator sit Fœmina, quæ arcetur à Choro, & Presbyterio ratione honestatis in Ecclesia servandæ. *Pignatell. cons. 3. numer. 7. tom. 3. & consult. 16. numer. 4. tom. 4. R. P. D. Petra in suis Comment. Const. 7. Greg. IX. tom. 2. pag. 544. numer. 55. & seqq. Rota in Valentina Cappellæ. 5. Martii 1599. coram bon. mem. Justo, quam allegat. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 13. num. 23.*

6 Quòd tamen limitarem in casu, quo Fundator esset Clericus, seu Persona Ecclesiastica, quia si fundator sit Clericus, non est cur non possit habere Sedem intrà Chorum, seu Presbyterium, dum *Text. in cap. Ut Laici de Vita, & honestate Cleric.* solùm prohibet Laicos sedere inter Clericos, *ibique Gloss. Abb. Anan. num. 1. Butrius num. 1. Gonzalez num. 8. Barbos. num. 2.* Et quidem optimâ ratione, dum congruum non est, ut Homines disparis professionis, vel habitûs socientur simul, *Gloss. in Clement. 1. de Elect. Verb. Cum rationis*.

7 Sed quid si Fundator sit Clericus conjugatus, an possit habere Sedem intrà Chorum, seu Presbyterium? Et affirmativè crederem respondendum, dummodò incedat cum Habitu, & Tonsura, quia juxta *Text. in cap. Si qui 32. distinct.* Clerici conjugati debent vigilare in psalmis dicendis; ergo eis permittitur cantare cum Clericis, & stare inter psallentes. Nec supradictus Textus prohibens Laicos sedere inter Clericos comprehendere videtur Clericos conjugatos; quia isti non sunt purè Laici, sed quoddam genus, seu

quæ-

quædam ſpecies mixta, & in materia odioſa non veniunt nomine Laicorum, ut expreſsè docet *Abb. in dicto Cap. Ut Laici num. 6.* quamvis *Butrius* contrarium ſentiat ibi *num.* 1.

1 Debet etiam Rector honorare Fundatorem præcæteris Laicis in Pace, & in Turribulo, eique præſtare debet primo loco inter Seculares candelam in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis; Palmæ ramum in Dominica Palmarum; Aquam, & Carbones Benedictos in die Sabbati majoris Hebdomadæ; Cinerem in primo die Quadrageſimæ juxta *Ventrigl. in prax. For. Eccleſ. Annot.* 1. *de jurepatr.* §. 4. *num.* 8. Eique priùs offerendus eſt Panis Benedictus. *Pinſon. de Benefic. Eccleſiaſt. cap.* 4. §. 3. *num.* 1.

9 Quod tamen limitandum eſt in concurſu Domini Temporalis illius Loci, ubi fundata eſt Eccleſia, aut Epiſcopi. Si enim in Eccleſia aſſiſterent functionibus Eccleſiaſticis Dominus Temporalis, Epiſcopus, & Fundator hic non deberet præferri illis, quoad honores, ut notat *Fagnan. in cap. Nobis de jurepatr. Pignattell. Conſult.* 81. *num.* 42. *tom.* 9.

10 Item Rector Eccleſiæ debet talem honorem Fundatori, ut non poſſit illum vocare in jus ſinè venia; nec contra eum machinari, tum propter rationem naturalem, quod benefacienti benefacere debemus, tum quia Patronus Eccleſiæ habet maximam ſimilitudinem cum Patrono Liberti; ſed Libertus non poteſt vocare in jus Patronum ſinè venia; ergo nec etiam Eccleſia, ſeu ejus Rector *Paulus de Cittadin. de jurepatr. par.* 6. *art.* 6. *verſ. ſecundò debetur honor.*

11 Honorandus eſt etiam Patronus in appoſitione Inſignium, & inſcriptionis in Cappella, vel Eccleſia Patronali, dum-
12 modo hujuſmodi ſtemmata gentilitia ſint intrà ſphæram honeſtatis Eccleſiæ accommodatæ. *Amoſtaz. de Cauſis Piis lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 38. *R. P. D. Petra in ſuis Comment. Conſtit.* 7. *Greg. IX. tom.* 2. *pag.* 543. *n.* 48. & dummodo ſit deſcendens à Fundatore, ſi enim ſit Patronus Extraneus non poteſt apponere Inſignia ſua *Tuſch. Concluſ. jur. concluſ.* 600. *num.* 19. *littera I. Paſcucc. in Compend. Pignatell. de Armis Gentilitiis ad conſult.* 26. *tom.* 1.

Inſignia autem, & Inſcriptiones amoveri, ſeu deleri non poſſunt ab Eccleſia abſque conſenſu Patroni, itaut Rector, ſeu Adminiſtrator Eccleſiæ delens, ſeu amovens dicta Inſignia ſinè licentia Patroni puniri debeat arbitrio Judicis. Immo nec Epiſcopus poteſt ea auferre, niſi graviſſima cauſa id poſtulet, etiamſi familia eſſet extincta. *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 31. *Tondut. quæſt. Benef. cap.* 37. *num.* 12. *Lambertin. de jurepatr. lib.* 3. *quæſt.* 5. *art.* 4. *num.* 7.

Sed Patronis Collegiatarum, aut Dominis Temporalibus Locorum non convenit, quòd quotieſcumque ad illas accedunt, audiendi causâ Divina Officia, quando dicitur Confeſſio, & decantantur Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, Magnificat, Clerici, & Canonici cum apparatu accedant ad locum, ubi dicti Patroni, & eorum familia ſedent, & quod, priùs factâ profundâ inclinatione, recitent illis ibidem dictas orationes, & iterum facta inclinatione revertantur ad Chorum; cum hujuſmodi actus non conveniant, niſi Epiſcopo, excepto incenſo, & pace, quæ danda ſunt dictis Patronis, & Dominis per eoſdem Miniſtros, qui ea dant Canonicis, vel Epiſcopo, ſi adeſſent, ut fuit reſolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Seguntina Auguſti* 1587. *lib.* 5. *par.* 24.

13 Quæri hic poteſt, an Rector Eccleſiæ debeat talem honorem Fundatori, ut quotidie teneatur facere in Miſſa commemorationem ſpecialem pro ejus Anima. Et in hoc diſtinguendum eſt, aut Fundator in limine Fundationis non injunxit hujuſmodi onus, & in hoc caſu Rector non tenetur facere commemorationem ſpecialem pro Anima Fundatoris quotidie; ſed juſtum, & laudabile erit, ſi facit pro ea commemorationem generalem, ut vult *Lud. Rom. in conſ.* 339. aut illud onus injunxit in limine fundationis, ſicuti poteſt ex *Text. in cap. Significatum de Præbend.* & in hoc caſu tenebitur, dum voluntas, & diſpoſitio Fundatoris eſt ſervanda, cùm jus non reſiſtat *L. Non aliter. ff. de Legat.* 3.

Sed contra hæc objici poteſt. Supradicti Canones ſolùm concedunt Fundatori illum honorem, qui debetur omni Chri-

Christiano; sed supradicti Honores, non debentur omni Christiano; Ergo isti *Canones* non concedunt supradictos honores Fundatori. Respondetur enim, *Canones* hos concedere illum honorem Fundatori, qui debetur omni Christiano non simpliciter, & absolutè, sed cum addito scilicet *Patrono*, ut sunt honores supradicti. Rectum enim est, ut cum honor sit benefactivæ Gloriæ indicium magis honorentur, qui beneficia contulerunt, deinde qui conferre queunt. *Arist. lib. 1. Rhet. ad Theodect.*

15 Non debetur tamen Patrono talis honor, ut scilicet in suo servitio retinere possit Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum de Jurepatronatus, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in una *Seguntina 20. Febr. 1593. lib. 7. pag. 93.* nisi in limine Fundationis hoc sibi reservaverit; sicuti potest, ut dicam infra *par. 2. Can. XXVII.*

Ex quibus omnibus patet opus Fundationis Ecclesiarum, cùm habeat pro præmio honorem, præstantius esse cæteris operibus, dum ut nos docet Aristoteles *in l. primo Rhet. cap. 9.* Quorum præmium honor est, atque laus longè præstantiora sunt, quàm ea, quorum præmium est pecunia. Unde de Fundatore Ecclesiarum canere possumus, quod olim cecinit Vates ille.

Dum juga montis aper, fluvium dum piscis amabit.
Dum thimo pascentur Apes, dum rora cicadæ;
Semper honor, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Virgil. Eclog. 5.

ARGUMENTUM.

Fundans Ecclesiam non acquirit Jus sepulturæ, nisi illud expressè reservaverit in limine fundationis. Nec defuncto Patrono absque electione sepulturæ Ecclesia Patronalis potest prætendere Jus tumulandi illius Cadaver.

SUMMARIUM.

1 *Sepulcrum numeratur ab Aristotile inter partes honoris.*
2 *Fundans Ecclesiam non acquirit in ea jus sepulturæ, nisi in limine fundationis hoc sibi reservaverit?* & num 6. sed limita, ut num. 7.
3 *Jus sepulturæ quid sit?*
4 *Jus sepulchri non transit ad hæredes extraneos.*
5 *Glossæ in cap. Unic. de jurepatr. in. 6. versic. Item, & in cap. Qui sentit de reg. jur. versic. Item eodem libro explicantur*
8 *Fundator non habet jus concedendi sepulturas, vel Cappellas in Ecclesia Patronali, sed limita ut ibi.*
9 *Jus sepeliendi Cadavera Parochianorum decedentium absque electione sepulturæ, & absque sepulchro majorum spectat ad Ecclesiam Parochialem.*
10 *Parochus sepeliens alienum Parochianum, tenetur restituere corpus.*
11 *Jus sepeliendi proprios Parochianos est jus Parochiale.*
12 *Patronus Ecclesiæ Parochialis, cujus est Parochianus decedens absque electione Sepulturæ est sepeliendus in illa.*
13 *Parocho debetur Canonica portio pro funeribus proprii Parochiani, & quare?*
14 *Consuetudo Sacris Canonibus contraria dicitur corruptela.*
15 *Immemorabilis difficilè probatur, & quæ requirantur ad ejus probationem?*
16 *Proprietas clara absorbet possessionem.*
17 *Consuetudo contra jus commune ad hoc ut sit valida quid requiritur.*
18 *Vocabulum* Matricis *est æquivocum.*
19 *Ecclesia Parochialis debet habere certum Territorium, aliàs non esset Parochialis.*

CASUS II.

FUndans Ecclesiam an acquirat unà cum aditu processionis, seu jure honorificentiæ jus sepulturæ cum privativa, nè alii nisi ipse, & ejus Descendentes sepeliantur in dicta Ecclesia.

Et videtur quod Fundans Ecclesiam ex eo quòd per supradictos Canones acquirat jus honorificentiæ, acquirat etiam jus sepul-

sepulturæ, scilicet Ius, ut ipse, & ejus Descendentes sepeliantur in ea Ecclesia, & Ius prohibendi, ne alii sepeliantur in
1 illa, dum sepulcrum numeratur inter Partes Honoris ab Aristotele lib. 1. Rhetor. ad Theodet. cap. 5. ibi: *Honoris Partes sunt Sacra, memorationes, Decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, loci, vel primi consessus, sepulcra, Imagines, Publici victus. Et gloss. in Cap. Unic. de Iurepatr. in 6. versic. Item, & in Cap. Qui sentit de regul. Iur. versic. Item eodem lib.* dicit, quòd Patronus sit præ cæteris honorandus in sessionibus, & sepultura.

2 Contrarium tamen verius de Iure est, quia Ius sepulturæ est omnino diversum, & nihil habet commune cum Iurepatronatus, ut docent *Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 11. art. 13. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 4. num. 22. Ventrigl. in prax. For. Eccles. Annot. prima de Iurepatr. §. 4. num. 13. Rota decis. 163. num. 15. par. 17. recent. & decis. 145. num. 8. coram Gregor. & decis. 162. num. 17. & seq. coram Bich.* Ius enim sepulturæ est Ius humandi proprium Cadaver, & suorum, &
3 prohibendi, ne alii sepeliantur in eodem sepulcro, quod ædificavit de licentia Ordinarii; Ius verò Patronatus est Ius honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia pro eo, quod illam fundavit, construxit, & dotavit; Ædificare, & construere Ecclesiam tendit ad Cultum
4 Divinum, non sic sepultura; Ius Patronatus transit ad hæredes extraneos, non verò Ius sepulcri; Quia quando deficit Progenies illorum, quibus tale Ius competit, extinguitur dictus usus Sepulturæ, & liberè transit ad Ecclesiam, sicut dicitur de usufructu extincto illo, cui fuit facta concessio *L. pen. Cod. de Usufruct. Rota in Calaguritana Sepulturæ 17. Maii 1606. coram Coccin.* Ergo ex eo, quòd prædicti Textus concedant Fundanti Ecclesiam Ius patronatus, seu Ius honorificentiæ, non proinde concedunt, ei etiam Ius Sepulturæ.

5 Nec obstant Glossæ supradictæ, quia imprimis non sunt veræ Glossæ, sed figurationes Casuum. Deinde loquuntur de honore Prælationis respectu illorum volentium Sepulturam in Ecclesia, quòd scilicet Patronus præferri debeat aliis concurrentibus in petitione sepulturæ. Ut declarat *Rota decis. 445. coram Cavaler. num. 5.*

6 Benè verum est, quòd potest Fundans Ecclesiam in limine fundationis reservare sibi, & pro suis Descendentibus Jus Sepulturæ cum privativa ad alios in illa Ecclesia; & tunc ex tali pactione, & lege conveniet illi Jus sepulturæ, ut advertit *Vitalin. in Clement. Dudum §. Hujusmodi num. 10. Archidiacon. in cap. 1. de pact. in 6. num. 6. Lotter. dicto lib. 2. quæst. 4. numer. 22. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 7. num. 38. Rota decis. 308. num. 4.*
7 *par. 4. tom. 1. recent.* Concurrente tamen licentia Episcopi, sive expressâ, sive tacitâ; nam quòd Laici habeant Jus Sepulturæ in Ecclesia, cum tolerentur solùm ex gratia, non possunt acquirere hujusmodi Jus Sepulturæ invito Episcopo. *Abb. in Cap. Abolendæ de Sepult. num. 5. versic. Quidquid. ibique Butrius num. 3. Rota decis. 222. num. 4. & decis. 223. num. 3. par. 1. diversi.* Et dummodò Sepultura sub Bradellis, aut propè Altare non fiat. *Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 7. num. 38.*

8 Multoque minùs Fundator, si vigore supradictorum Canonum non habet Jus Sepulturæ, poterit sibi vindicare Jus concedendi Sepulturas, vel Cappellas in Ecclesia Patronali, nisi id Jus sibi fuerit in in limine fundationis cum consensu Episcopi legitimè reservatum, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Seguntina 24. Januarii 1602. lib. 10. pag. 21.*

Et hìc non incongruum duxi annectere sequentem Casum, in quo olim Ego scripsi, scilicet: Defuncto Titio Patrono Ecclesiæ A, absque electione, & reservatione Juris Sepulturæ in eadem Ecclesia; hæc prætendebat tumulationem illius Cadaveris, necnon emolumenta funerum sub prætextu, quod cum sit ab ipso Patrono fundata debeat illum in sinu suo recipere, & exercere hunc actum gratitudinis erga illum, à quo habuit esse, ad exemplum boni Filii, qui omne debitum gratitudinis, & reverentiæ exercere debet erga proprium Patrem defunctum; & etiam sub prætextu, quòd ipsa sit ab immemo-

rabili in possessione tumulandi omnes Cives decedentes ab intestato, & absque electione Sepulturæ, cum solutione carolenorum duorum pro quolibet Defuncto; tum etiam eo sub fundamento, quòd ipsa sit Matrix; & habeat curam habitualem respectu aliarum Ecclesiarum.

Contra quam prætentionem insurrexit Ecclesia Parochialis B. vindicando dictam tumulationem ad se pertinere. Hinc orta lite inter has duas Ecclesias datum fuit dubium: An, & in qua Ecclesia tumulandum sit Cadaver præfati Patroni, & cuinam competat Jus exigendi emolumenta funerum? Quod resolvendum dicebam favore Ecclesiæ Parochialis B, licèt non fuerit mihi exhibita in facto ulla circumstantia militans pro dicta Ecclesia Parochiali B.

9 Clara est enim dispositio Juris, quòd decedentibus Parochianis absque electione Sepulturæ, & absque sepulcro majorum, Jus sepeliendi eorum Cadavera spectat ad Ecclesiam Parochialem, à qua tum in vita, tum in articulo mortis cælesti pabulo Parochiani reficiuntur, ut sunt Textus clari *in Cap. Dilectus de Cappell. Monach. cap. ex parte, cap. Cum liberum de Sepult. Sperell. decis.* 87. *num.* 5. *& decis.* 88. *num.* 4. *&* 33. Nec potest alia
10 Ecclesia Parochialis, seu alius Parochus alienum Parochianum sepelire, aliàs transgrederetur terminos proximi sui, & Iure cogeretur restituere corpus juxta *Textum in cap. primo de Sepultur.* adjuncta *ibi gloss. Verb. ne transgrediaris, & Textu in cap. Ex parte in cap. Cum liberum*
11 *eodem tit.* Quia cum Ius sepeliendi proprios Parochianos decedentes absque electione Sepulturæ sit Ius Parochiale non potest alter Parochus, aut alius Rector Ecclesiæ se ingerere in illo, ut expressè statuitur per Conc. generale Viennense in *Clement. Dudum de Sepult. Abb. Abolendæ num.* 6. *Extra eodem tit. & in rubr. de Paroch. num.* 2.

12 Stante hac Juris dispositione, cum Patronus defunctus absque electione Sepulturæ sit Parochianus Ecclesiæ Parochialis *B.* à qua recepit infra annum, nec non in articulo mortis Sacramenta, sepeliendus est de Iure in dicta Ecclesia Parochiali, & ipsi danda veniunt emolu-
13 menta funerum; Parochus enim fundatam habet intentionem super Canonica portione pro funeribus proprii Parochiani, ac super omnibus obventionibus contingentibus intra limites Parochiæ, & ad eum omnes spectant per *Text. in cap. Pastoralis de Sepult.* Eâ ratione, quòd eum Parochus habeat onus prædicandi, confitendi, administrandi alia Sacramenta, assistendi in articulo mortis, & invigilandi supra suos Parochianos; justum est, quòd istis decedentibus habeat ab ipsis emolumentum, pro eorum funeribus juxta illa principia rationi congrua; Qui sentit incommodum debet sentire, & commodum: Dignus est operarius mercede sua: Et ut apud Apostolum: Sint consolationum Socii, qui fuerunt passionum. *Textus in cap.* 1. 2. *&* 4. *de Sepult. ibique Gloss. verb. à quibus Assumpti Clement. Dudum eodem tit. Gratian. in cap. Placuit* 13. *quæst.* 2. §. *Sed aliud propè finem. Rota decis.* 501. *num.* 1. *par.* 13. *recent.*

Nec huic dispositioni, & assistentiæ Iuris favore Ecclesiæ Parochialis B. obstat prætensa observantia immemorabilis, quam ex adverso decantat Ecclesia Patronalis A. existendi in possessione, tumulandi omnes Cives, decedentes ab intestato absque electione Sepulturæ, & exigendi emolumentum carolenorum
14 duorum pro quolibet Defuncto; quia omisso, quòd consuetudo, vel observantia Sacris Canonibus contraria non valeat *cap. Cum causa de sent. & re judic.* diciturque potiùs corruptela. *cap. Cum Ven. septimo de consuetud.* itaut nec transcursu cujuscumque temporis firmetur; sed eo gravius damnetur *Rot. penes Posth. de Manut. decis.* 321. *num.* 18. *& seqq.* Non potest adhuc in dicta immemorabili fieri in Ecclesia Patronali ullum fundamentum pro manutentione in possessione tumulandi omnes Cives ab intestato decedentes, ac exigendi dictum emolumentum.

Quia in primis probatio immemora-
15 bilis est adeò difficilis propter rigorem omnium requisitorum juxta *Gloss. in cap.* 1. *de præscript. in* 6. ut rari sint casus, in quibus illa probata remaneat, ut advertunt *Trobat. de effect. immemorabil. quæst.* 9. *num.*

num. 9. & sequen. Card. de Luca de regal. disc. 146. num. 15. Requiritur enim ad illam primò, quòd Testes deponant de proprio visu per quadraginta anno continuos ante motam litem, ut patet ex *Adden. ad Buratt. decis. 973. num. 7. in fine, Rota coram Cerr. decis. 607. num. 16. & coram Merlin. decis. 532. num. 20.* Secundò: Ut deponant de primo auditu à majoribus, quòd nempè ita illis dixerint fuisse servatum in Ecclesia Patronali. *Rocch. disput. Iur. cap. 167. num. 21. Pœn. decis. 641. num. 3. Merlin. decis. 532. num. 20.* Tertiò: Quòd deponant etiam de secundo auditu, quòd nempe eorum majores hoc ipsum audiverint ab aliis eorum majoribus, ut est magistralis decisio 1392. *coram Coccin. & dicta dec. 641. coram Pœn. Pax Iordan. tom. 3. Lucubr. lib. 14. tit. 18. Sabell. in Summ. diversor. tract. in Verb. Consuetudo num. 15.* Quartò: Ut deponant, quòd neque ipsi Testes, neque eorum majores unquam viderint, atque audiverint contrarium *Pax Iordan. tom. 2. Lucubr. lib. 11. tit. 13. num. 54. Marescott. var. resol. lib. 2. cap. 100. n. 10. Rocch. disput. Iur. cap. 167. num. 21. Rota coram Gregor. decis. 691. num. 1.* Quintò denique: Ut deponant de publica voce, & fama per verbum *fuit, & est*, & sic percutiendo tempus tàm præsens, quàm præteritum, & addendo, quòd non extitit, nec extat memoria initii; *Rota coram Cerr. decis. 607. num. 20. & coram Bich. decis. 528. num. 11.*

In præsenti autem observantiam immemorabilem tumulandi omnes Cives, & exigendi dictum emolumentum, quam jactat Ecclesia Patronalis A., non video in facto probatam per supradicta requisita; Unde cum proprietas Iuris tumulandi clarè ex supradictis pertineat ad Ecclesiam Parochialem B. sequitur, quòd nulla sit possessio tumulandi, quam dicit habere Ecclesia Patronalis A., dum pro-
16 prietas clara absorbet possessionem juxta theoricam Panormitan. *in cap. Consultationibus de Iurepatr. Dominus meus Advocatus Pitonius discept. Eccles. 29. num. 2. Rota coram Priol. decis. 113. numer. 35. & 36. & coram Emerix Iun. decis. 1320. num. 15. cum aliis in Alatrina Iurispatr. 15. Iunii 1705. §. final. & 7. Decembris seq. §. Nullatenùs coram R.P.D. Scotto.*

17 Deinde hujusmodi consuetudini, quam vocant immemorabilem tumulandi omnes Cives ab intestato decedentes, cum obstet Ius commune, non sufficit, quòd bona fide fuerit introducta, sed insuper requiritur titulus juxta *Textum in cap. 1. De præscript.* Qui si sit insufficiens, aut nullus, nihil juvat immemorabilis, quæ tanquam accessoria ad titulum, eo corruente, corruit consequenter, & ipsa. *Barbos. in Rubric. De præscript. num. 349. Gratian. discept. 441. num. 18. Castill. decis. 12. num. 16. & 17. lib. 2. Rota in Bononien. Iurispatr. de Ghisleriis coram bo: mem: Pio impress. apud Balducc. ad Ramon. tom. 4. decis. 203. num. 22. Et in Nullius Fulden. Iurisdictionis 1. Iunii 1708. §. 153. & 2. Iunii 1710. §. Pro responsione coram R. P. D. Ansaldo.*

Non potest Ecclesia Patronalis B. allegare pro titulo Immemorabilis, *quòd*
18 *sit Matrix*, quia cum vocabulum *Matricis* sit æquivocum, & referribile ad quamdam matricitatem impropriam, quæ prædicatur de Ecclesia, quæ sit nobilior, & antiquior, non est aptum dandi Ius Ecclesiæ A. tumulandi omnia Cadavera; sed solùm dandi Ius Prælationis, & Præeminentiæ super omnes alias Ecclesias, *Card. de Luca de Paroch. disc. 27. num. 10.*

Nec valet allegare pro titulo, *quòd habeat curam habitualem* relatè ad omnes alias Ecclesias ejusdem Loci, quia cum
19 Ecclesia B. sit verè Parochialis debet habere certum Territorium aliàs non esset Parochialis juxta doctrinam Ioannis Andreæ *in cap. Super eo de præben. in 6. & aliorum*, apud *Gonzal. Gloss. 6. num. 92.* Dum duæ Parochiæ non possunt promiscuè in una eàdemque determinatione constitui, resistente *Textu in cap. Præcipimus 16. quæst. 1. & in cap. Tua nos de Eccles. ædifican. Rota decis. 281. num. 11. par. 15. recent.* Et sic cum etiam Ecclesia Patronalis A. haberet curam habitualem, sequeretur, quòd cura habitualis ejusdem populi esset penes duas Ecclesias, quod est prohibitum juxta *Textum in cap. Cum non ignores de Præben. Rota decis. 274. num. 10. par. 14. recen.*

Ac proinde deficiente titulo prætensæ immemorabilis, jus tumulandi Patronum defunctum competit Ecclesiæ Parochiali B. cui favet assistentia Iuris. *Menoch. de retinen. possess. remed.* 3. *num.* 122. *& seqq. Gratian. discept.* 898. *num.* 17. *Posth. de Manut. observ.* 10. *num.* 21. *& seqq.*

Nec adversatur, quòd Ecclesia A. cum sit fundata, & dotata à Patrono, debeat illi præstare honorem, & reverentiam recipiendi in se illius Cadaver, quia ut superius notavi, Patronus in Ecclesia Patronali non habet Ius sepulturæ, nisi hoc sibi specialiter reservaverit in limine fundationis.

ARGUMENTUM.

Tradens Fundum in Emphyteusim pro ædificanda Ecclesia, reservato sibi certo Canone annuatim non acquirit Jus Patronatus in illa.

SUMMARIUM.

1 *Tradens Fundum in Emphyteusim pro ædificanda Ecclesia, non acquirit in ea Juspatronatus, & Quare?*

2 *Dominus Fundi dando Fundum Ecclesiæ amittit dominium Fundi, sed acquirit in Ecclesia Jus honorificentiæ.*

CASUS III.

QUidam dedit in Emphyteusim pro ædificanda Ecclesia Fundum suum reservato sibi certo Canone annuatim; Quæritur an iste ratione assignationis Fundi acquirat Iuspatronatus?

1 Respondeo negativè, quia Textus in supradictis duobus capitibus concedit Iuspatronatus, seu Aditum processionis absolutè Fundanti, seu danti Fundum pro ædificanda Ecclesia transferendo in illam totum Ius suum scilicet: Dominium tam directum, quàm utile Fundi; sicuti dedit absolutè Fundum pro ædificanda Ecclesia transferendo in illam utrumque dominium Iulius ille, cui Gelasius Papa in supradicto Canone *Piæ Mentis* in retributionem hujusmodi Beneficii collati Ecclesiæ dedit Aditum processionis; sed ille, qui dedit Fundum in Emphyteusim pro ædificanda Ecclesia, non dicitur absolutè dedisse Fundum, quia non transtulit in Ecclesiam totum Ius suum cum reservaverit sibi dominium directum in Fundo; ergo Textus in supradictis duobus capitibus non concedit Iuspatronatus danti Fundum in Emphyteusim pro Ecclesia ædificanda; Ita tenent *Gae. in repet. cap. final. de Elect. lib.* 6. *in* 21. *col. Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2.

Quod comprobatur paritate Domini, & Servi; sicuti enim Dominus manumittendo servum, & privando se illo amittit dominium Servi, sed acquirit Iuspatronatus in eo *ex leg. prima, & secunda ff. de Jurepatr. & ex leg. prima, §. Circa ff. de Offic. Præfect. Urb. & Archidiaconus*
2 *in dicto cap. Piæ Mentis*; Ita Dominus Fundi dando Fundum Ecclesiæ amittit quidem dominium fundi, sed acquirit in Ecclesia Iuspatronatus, seu Ius honorificentiæ.

ARGUMENTUM.

Ædificata Ecclesia in Fundo, inscio Proprietario, an hic acquirat in illa Juspatronatus ratione Fundi.

SUMMARIUM.

1 *Ædificans Ecclesiam in Fundo meo, me inscio, Ego non acquiro in ea Juspatronatus ratione Fundi, sed limita, ut ibi.*

2 *Ædificans Ecclesiam in Fundo meo, me inscio, an acquirat Juspatronatus in illa ratione Ædificationis?*

3 *Ædificium cædit solo.*

CASUS IV.

QUidam ædificavit Ecclesiam in Fundo meo, me inscio, quæritur, an Ego ratione Fundi acquiram Iuspatronatus in illa Ecclesia:

1 Respondeo negativè, quia non possum acqui-

acquirere Iuspatronatus in Ecclesia ratione Fundi juxta Textum in supradictis duobus Capitibus, nisi transferam dominium tam utile, quàm directum Fundi in Ecclesiam; non possum autem transferre dominium Fundi in Ecclesiam meo insscio *leg. Id, quod nostrum est cum similibus ff. de Reg. jur.* Bene verum est, quòd si postquam sciverim esse ædificatam Ecclesiam in Fundo meo, Ego ero contentus transferre dominium Fundi in Ecclesiam, acquiram Iuspatronatus, seu Aditum processionis in ea ratione Fundi per Textum in supradictis capitibus.

2 Sed fieri potest quæstio an ædificans Ecclesiam in Fundo meo, me insscio, acquirat Iuspatronatus in illa ratione ædificationis; quæ resolvenda venit cum distinctione. Aut ædificans Ecclesiam illam construxit de consensu meo, postquam habui notitiam, & sic me volente, & consentiente, ac bona fide; & tunc ego ero Patronus Ecclesiæ ratione Fundi, ædificans verò ratione constructionis. Aut ædificans construxit Ecclesiam, me dissentiente, & nolente, adeòque mala fide, & in hoc casu, ego ero Patronus non solùm ratione Fundi; verùm etiam ratione constructionis, quia ædificium
3 cedit solo juxta *leg. Adeò*, §. *Cum in suo ff. de Acquir. rer. Domin.* & ita tenent *Joann. Andr. in cap. Nobis de Jurepatr. in secunda col. in verb. Acquiritur, Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 3. art. 12. num. 1. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 5. num. 61.* & solùm potero compelli ad restituendam pecuniam ædificanti, & ad reficiendas ei expensas, ut vult idem *Lambertin. ubi supra art. 19. num. 2.*

ARGUMENTUM.

Episcopus tradens Fundum suæ Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio, an acquirat in illo Juspatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus non potest alienare res Ecclesiæ.*

2 *Episcopus potest tradere Fundum de Bonis propriæ Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio.*

3 *Episcopus tradens Fundum de Bonis Ecclesiasticis acquirit Iuspatronatus ratione Fundi non sibi, nec suis hæredibus, sed ipsi Ecclesiæ sed intelligi, ut ibi.*

4 *Episcopus ædificans, & dotans Ecclesiam de Bonis propriæ Ecclesiæ non acquirit in ea Iuspatronatus sibi, aut suis hæredibus, secùs si etiam dotaverit, & ædificaverit de Bonis patrimonialibus.*

5 *Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio, præsumitur constructa, & dotata de Bonis patrimonialibus, si constat Episcopum aliquid habuisse de tempore promotionis, & fecerit Inventarium; secùs si de hoc non constet, aut dubitetur, sed limita, ut num. 6. & 7.*

CASUS V.

QUidam Episcopus dedit Fundum de Bonis propriæ Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio; quæritur primò, an possit Episcopus dare hujusmodi Fundum. Secundò; an ratione Fundi acquirat Iuspatronatus, seu Aditum processionis in illo Monasterio?

In ordine ad primum dubium videtur, quòd Episcopus non possit dare Fundum propriæ Ecclesiæ pro ædificando ibi
1 Monasterio, quia Episcopus non potest alienare res suæ Ecclesiæ, *cap. Quisquis Episcopus, cap. Non liceat 12. quæst. 2.*
2 Contrarium tamen verius de Iure est, quia cum Fundus pro ædificando Monasterium sit res exigua, & modici valoris, alienari potest ab Episcopo absque solemnitatibus, & auctoritate Papæ: Præsertim urgente aliqua necessitate, & si id fieri possit absque maxima læsione ejusdem Ecclesiæ juxta *Text. in cap. Terrulas 12. quæst. 2. ibique Archidiacon. Turricell. de rebus Eccles. non alienan. cap. 15. num. 51. Rota decis. 401. num. 3. coram Serafin.* cui Canoni *Terrulas* non fuit derogatum, nec per *Extravag. ambitiosæ de rebus Eccles. non alien. nec per Conc. Trident.* ut testatur *Rota decis. 444. num.*

num. 50. *par.* 4. *tom.* 2. *recent.* Quod magis procederet si ille Fundus non solùm esset exigui valoris, sed etiam esset res inutilis, sterilis, incerta, aut longè distans *Rota decis.* 624. *num.* 11. *par. prima recent. & decis.* 664. *num.* 1. *par.* 1. *diversi. & decis.* 210. *num.* 1. *coram Ottobon.*

3 Quoad secundum dico Episcopum acquirere Iuspatronatus ratione Fundi non sibi, nec suis hæredibus, sed ipsi Ecclesiæ, quia hujus erat Fundus argumento *Textus in supradictis duobus capitibus, & Text. in cap. Apostolic.* 12. *quæst.* 2. *juncta ibi Gloss. in verb. construxisse*. Quod tamen intelligitur, si Episcopus assignet totum Fundum necessarium pro constructione Monasterii, nam si præberet tantùm unam Cannam Terreni, pro ampliori ejus fabrica Jus honorificentiæ non acquireret, quia cum una Canna Terreni sit parvi valoris, diceretur potiùs Benefactor, quàm fundi Dator, *Rota decis.* 311. *num.* 2. *par.* 2. *recen. & decis.* 106. *num.* 12. *coram Coccin.*

Sed quid si Episcopus in Fundo propriæ Ecclesiæ ædificaret Ecclesiam, illamque dotaret, an acquireret in illa Juspatronatus sibi, & suis hæredibus ratione constructionis, & dotationis?

4 Respondeo cum distinctione. Aut Bona, de quibus ædificata, & dotata est Ecclesia sunt propriæ Ecclesiæ, & tunc Episcopus non sibi, nec suis hæredibus, sed Ecclesiæ suæ acquirit Iuspatronatus, *Textus in cap. Apostol.* 12. *quæst.* 2. *juncta ibi Gloss. & in cap. Nobis de Jurepatr. de quo infrà. Lambertin. de Iurepatr. quæst.* 3. *art.* 18. *num.* 1. *& art.* 7. *quæst.* 8. *num.* 1. *par.* 1. *lib.* 1. *Vivian. de Iurepatr. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 50. *& lib.* 15. *cap.* 1. *num.* 17. *& in Urbanien. Canonicatus* 14. *Ianuarii* 1695. *in fin. principii, & sub* §. *Minusque coram R. P. D. Muto.* Aut supradicta Bona, de quibus ædificata est Ecclesia, sunt ipsius Episcopi, & de proprio ejus Patrimonio, & in hoc Casu Episcopus acquiret sibi, & suis hæredibus ratione constructionis, & dotationis, non verò ratione fundationis, quia Fundus, ubi Ecclesia fuit constructa non est de Patrimonio Episcopi, sed Ecclesiæ; sed ratione fundationis in hoc Casu Iuspatronatus esset ejusdem Ecclesiæ, quæ unà cum dictis hæredibus poterit præsentare ejus Rectorem juxta *Textum in dicto cap. Nobis*, *Rota decis.* 487. *num.* 2. *par.* 4. *tom.* 1. *recent.*

An autem, & quando Ecclesia constructa, & dotata nomine proprio ab Episcopo præsumatur fuisse constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus illius, aut potiùs de Bonis Ecclesiæ? Distinguendi sunt tres Casus; Aut constat Episcopum aliquid habuisse tempore suæ promotionis; Aut constat, quòd nihil habebat; Aut dubitatur.

5 Si constat Episcopum aliquid habùisse de tempore Promotionis, & ipse fecit Inventarium; Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio præsumitur constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus; & Ecclesiæ incumbit onus probandi, quòd de ejus reditibus fuerit constructa, & dotata. Si verò constat Episcopum tempore Promotionis aliquid habuisse, & non fecit Inventarium, tunc præsumitur fuisse dotata, & constructa de Bonis Ecclesiæ; quia Episcopus fuit inculpa in non conficiendo Inventarium, & utendo promiscuè rebus propriis, & Ecclesiæ.

In secundo Casu scilicet si constat, quòd nihil habebat, tunc Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio præsumitur constructa, & dotata de Bonis ejusdem Ecclesiæ; Quia Ecclesia habet fundatam intentionem de Jure communi super omnibus Bonis possessis à Prælato Defuncto. Unde omnia præsumuntur esse Ecclesiæ, nisi probentur ex adverso esse Patrimonialia.

Tertio Casu cum dubitatur, præsumitur idem pro Ecclesia juxta auream distinctionem *Ioann. Andr. in cap. Ut unus de Pecul. Cleric. ibique Abb. num.* 3. *& in cap.* 1. *de Testament. in* 4. *notabili*, quos sequuntur *Bero. cons.* 7. *num.* 1. *&* 4. *tom.* 2. *Mascard. de Probat. concl.* 202, *num.* 1. *& seqq. & concl.* 203. *num.* 1. *Rota decis.* 1015. *num.* 6. *coram Pœn.*

6 Limitarem tamen primum Casum, in casu quo reditus Ecclesiæ Episcopalis non excederent sumptus proprios Episcopi, tunc enim Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo præsumeretur sic constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus ipsius, etiam

etiamsi non fecerit Inventarium ; Ratio est, quia quando reditus Beneficii non excedunt sumptus proprios Beneficiati, isti reditus præsumuntur expensi, & consumpti in alimenta, & alias impensas necessarias pro usu familiarium, & servorum suorum ; eâ ratione quia Altari inserviens de Altari vivere debet. *Baldus cons. 313. num. 4. tom. 2. Bero. cons. 7. num. 2. tom. 2. Rota decis. 280. num. 9. coram Roxas, & decis. 65. num. 5. coram Celsi. & decis. 1015. num. 6. coram Pœn.* Sed si Patrimonium esset tenue, & reditus Ecclesiæ excedentes, itaut excessus redituum esset sufficiens pro construenda Ecclesia tunc si Episcopus non fecerit Inventarium, crederem præsumendum pro Ecclesia.

7 Idem dicerem in Casu, quo post Promotionem Episcopi fuissent ei relicta aliqua Bona intuitu Personæ ; vel ad eum perventa de hæreditate alicujus, & post acquisitionem istorum Bonorum fuisset ab eo constructa, & dotata Ecclesia; In hoc enim Casu, si reditus Episcopatus non excederent proprios sumptus, præsumeretur dicta Ecclesia constructa, & dotata de Bonis perventis Episcopo post ejus Promotionem ; & sic sibi, suisque hæredibus in præfata Ecclesia Juspatronatus acquireret ; dum Bona, quæ intuitu Personæ, vel de hæreditate alicujus perveniunt ad Clericos, transeunt ad Consanguineos eorum ab intestato, vel ex testamento secundum dispositionem Clericorum, *ut in cap. 1. & in cap. Cùm in Officiis de Testament. Bald. cons. 313. num. 1. tom. 2.*

CA-

CAN. III.

In Toletan. Concil. 4. Can. 37.

QUicumque Fidelium devotione propria de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid contulerint, si fortè ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium Vitæ pro temporis usu percipiant.

COMMENTARIUM.

1 EX hoc Canone deducitur præsens conclusio : DOTANS ECCLESIAM IPSE, ET EJUS FILII ACQUIRUNT IN ILLA JUSPATRONATUS, SEU JUS ALIMENTORUM IN CASU INOPIÆ. Ita etiam deducitur *ex Text. in Can. Contrà eadem quæst. 16. quæst. 7.* & tuentur *Abb. Anan. Butr. in Cap. Nobis de Jurepatr. ibique Fagnan. Barbos. Gonzal. Monach. super 6. Decretal. Cap. Si Laicus de Jurepatr. num. 16. ibique Archidiacon. Pignatel. consult. 82. num. 136. tom. 9. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 5. num. 65. Cassador. decis. 3. num. 2. de Jurepatr.* Quos sequitur *Rota decis. 118. num. 12. par. 6. & decis. 36. num. 1. cum seqq. part. 16. & decis. 249. num. 1. par. 9. recent. & decis. 518. num. 12. coram Pamphil. & decis. 162. num. 2. coram Bich. & decis. 147. num. 1. coram Duran.* & ita fùit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Neapolitana sub die 2. Decembris 1679. & in Ferentina 10. Aprilis 1683.*

2 Ratio conclusionis est, quia Dotator Ecclesiæ dicitur Pater; unde juxta Leges Civiles sicuti filius, aut filia cogitur Patrem alere, & tenetur ne dum reverentiam, sed etiam vitæ subsidium exhibere juxta *Text. in leg. final. §. Ipsum autem Cod. de Bon. quæ liber. & in leg. Filia Cod. de Patr. pot.*

3 Ita Ecclesia dotata debebit ne dum honorem, & reverentiam; verùm etiam alimenta Dotatori, seu Patrono ad inopiam vergenti : Tum ex ea æquitate, ut Benefacienti benefaciamus : Tum etiam ex Pietate propria Ecclesiæ, cui convenit succurrere lapsis, itaut de ipsa dici possit, quod olim cecinit Vates ille

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis
Convenit & tanto, quantus es ipse Viro.

Ovid. de Pont. lib. 2. Eleg. 9. Et sicuti Dotator propriis Bonis aluit Ecclesiam imbecillem, & indotatam, ita mox ipse imbecillis, & Pauper factus eadem alimenta à valente Ecclesia reportare debet; ut de Patre respectu filii dixit *Aristoteles lib. 3. Econom. Laguner de Fructib. par. 1. cap. 32. §. 3. num. 22.*

Circa quam Conclusionem differuntur sequentes Casus.

AR-

ARGUMENTUM.

De requisitis necessariis ad hoc, ut Ecclesia teneatur præstare Alimenta Patrono.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia ad hoc, ut teneatur præstare Alimenta Patrono, quæ requirantur?*
2 *Patrono ad inopiam ex propria culpa redacto, aut habenti aliunde vivere, non debentur Alimenta ab Ecclesia.*
3 *Patrono Egeno ad petenda Alimenta quæ actio non competat?*
4 *Alimenta ubi præstanda sint Patrono?*

CASUS I.

TItius Patronus Ecclesiæ A. cum consumsisset totum suum Patrimonium, propriâ culpâ redactus fuit ad inopiam; & licèt haberet fratrem Divitem, à quo ali poterat; tamen petiit à dicta Ecclesia Alimenta. Quæritur, an prædicta Ecclesia teneatur præstare Alimenta Titio?

Et respondetur negativè; quia ad hoc, ut Ecclesia teneatur præstare Alimenta Patrono plura requiruntur.

1 Primò scilicet requiritur superefluentia, seu superfluitas redituum Ecclesiæ; quòd scilicet supersint fructus, deductis omnibus necessariis tàm pro Beneficio, quàm pro Beneficiato *Gloss. in hoc cap. Quicumque Verb. Ad inopiam. Abb. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 6. Lambertin. eodem tract. lib. 3. quæst. 3. art. 2. Lotter. De re Benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 18. Gratian. discept. 552. num. 11.*

Secundò, quòd Patronus redactus sit ad magnam paupertatem, & quidem absque propria culpa; quia egestas, quæ proponitur, ad instruendam actionem, itaut alteri noceat, debet probari cum hac circumstantia, quòd contigerit sine culpâ, indignum est enim ei subveniri si culpâ suâ eget. *Gloss. in cap. Quæ in Ecclesiarum. Verb. Ad inopiam de Constit. Lambertin. ubi supra art. 3. Lotter. in dicta quæst. 5. num. 33. Rota decis. 594. num. 2. divers. Apud Farinacc. Gratian. ubi supra num. 11.*

Tertiò, quòd non habeat, unde vivere possit aliunde: unde Patrono, qui est Professus in aliqua Religione, qui habet fratrem Divitem, qui, salvâ honestate, potest sibi victum ex industria quærere, in casu egestatis non debentur Alimenta ab Ecclesia, juxta *Lambertin. Lotter. Grat. supra citat. Rot. decis. 594. num. 3. par. 4. diversor.*

Quartò requiritur consensus Episcopi; Rector enim sine consensu Episcopi, sponte suâ non potest subvenire Patrono egenti, ea ratione, quia Episcopus debet cognoscere, an reverà adsit Paupertas Patroni, ne detur collusio. *Innocen. in cap. Cum, & plantare num. 2. de Privil. Surd. de Aliment. tit. 7. quæst. 32. num. 20.*

2 In casu presenti: Titius licèt probet concludenter egestatem, licèt detur superefluentia redituum Ecclesiæ; tamen quia redactus est ad inopiam ex propria culpa, & habet unde aliunde possit ali, secundùm auctoritates allegatas non debentur illi à dicta Ecclesia Alimenta; sicuti Libertus non tenetur præstare Alimenta Patrono, nisi deductis priùs necessariis pro se; & in casu, quo Patronus non habeat unde aliunde vivere. *L. Si quis à liberis §. Solent ff. de Liber. agnoscen.*

3 Concurrentibus his omnibus requisitis competit Patrono Egeno actio de Canone *Quicumque* ad petenda Alimenta ab Ecclesia; sicuti ad petendos alios fructus Jurispatronatûs competit eidem actio ex Canone, juxta *Lambertin. & alios apud eum relat. lib. 3. quæst. 3. art. 7.* Non obstat *Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 10.* ubi sentit Patrono ad petenda Alimenta non competere nisi simplex officium Judicis, motus *ex L. Quod si minor in fine ff. de Minor. L. prima eodem tit.* quia ista Jura loquentia de Alimentis præstandis à Filio Patri, aut à Patre Filio, aut à Liberto Patrono, dirigunt Verba ad Judicem, quo casu debet dari officium Judicis; Jura autem Canonica scilicet Text. in supradicto Canone *Quicumque, & in Canone Nobis de Jurepatr. de quo infrà*, loquentia de Alimentis præstandis ab Ecclesia Patrono, non dirigunt verba ad Judicem. Unde illa non debentur ex officio

Judicis; maximè cum Ecclesia, concurrentibus dictis requisitis, non solùm sit obligata præstare Alimenta Patrono obligatione naturali Antidorali, sed etiam obligatione ex Canone. *Roland. cons. 5. num. 11. tom. 3. Vivian. de Jurepatr. lib. 1. cap. 2. num. 20. Rot. coram Pæn. decis. 591. num. 7. & decis. 660. num. 2. & decis. 691. num. primo, & coram Cavaler. decis. 321. num. 3.*

4 Et quidem, concurrentibus præfatis requisitis, Ecclesia tenetur præstare Alimenta Patrono in Domo propria ejusdem Patroni, ut nos docent *Butr. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 24. ibique Barbos. num. 7. Surd. de Aliment. tit. 4. quæst. 14. num. 21.*

ARGUMENTUM.

Patrono Egeno debentur Alimenta, non deductis necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere de aliis Beneficiis.

SUMMARIUM.

1 *Alimenta an debeantur Patrono Egeno, deductis priùs necessariis pro victu Rectoris, quando hic habet aliunde vivere? & num. 3.*
2 *Clericus non tenetur militare propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere.*
4 *Reditus Ecclesiæ superflui dispensandi sunt Pauperibus.*

CASUS II.

QUidam Patronus cum redactus fuisset ad inopiam; non obstante, quòd detractis omnibus necessariis tàm pro Ecclesia Patronali, quàm pro victu ejus Rectoris, nihil de fructibus dictæ Ecclesiæ supereſſet; adhuc tamen petiit Alimenta ab Ecclesia eo sub motivo, quòd non debebant detrahi necessaria pro victu Rectoris à dicta Ecclesia; eo quia ipse habebat aliunde vivere; unde quæritur: An Patrono Egeno debeantur Alimenta, deductis priùs necessariis pro victu Rectoris Ecclesiæ Patronalis, quando iste habet aliunde vivere?

1 In hac quæstione procedendum est cum distinctione. Aut Rector Ecclesiæ Patronalis habet aliunde vivere præcisè de bonis Patrimonialibus, & tunc non debentur Alimenta Patrono Egeno, nisi priùs deductis necessariis pro victu Rectoris,
2 quia cum Clericus sit Miles Dei, non tenetur militare de suo Patrimonio, & propriis stipendiis, sed debet de Altari vivere, juxta *Abb. in Can. Episcop. de Præben. & Dignit. & Text. in cap. Charitatem 12. quæst. 2. ibi.* Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodarunt obsequium. *Fagnan. in cap. Si quis sanè de Pecul. Cleric. num. 6.*

3 Aut Rector habet aliunde vivere de aliis Beneficiis, & in hoc casu debent præstari Alimenta Patrono, non deductis ab Ecclesia Patronali necessariis pro victu Rectoris. Ratio est, quia cum de aliis bonis Ecclesiasticis Rector habeat victum, fructus Ecclesiæ Patronalis non sunt necessarii pro ejus substentatione; adeòque dandi sunt pro alimentis Patrono Egeno,
4 cùm reditus Ecclesiæ superflui, & supereffluentes dispensandi sint Pauperibus juxtà *Text. in cap. Quoniam 16. quæst. 1. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 4. Ventrigl. in prax. de Jurepatr. annot. 1. §. 4. num. 35.*

ARGUMENTUM.

An Patrono extraneo debeantur Alimenta in casu inopiæ: & quid si Patronus sit Persona ficta, nempe Communitas, aut Collegium?

SUMMARIUM.

1 *Jus Alimentorum est onerosum Ecclesiæ.*
2 *Donatarius tenetur alere Donantem, & non hujus Hæredem extraneum.*
3 *Benefacienti benefacere debemus.*
4 *Jus Alimentorum est personalissimum.*
5 *Alimenta in casu inopiæ debentur Patrono extraneo; num. 11.*
6 *Communitas an sit capax Alimentorū?*

7 Ec-

7 *Ecclesia in pluribus Casibus tenetur præstare aliquam præstationem Communitati, loco Alimentorum.*

8 *Concurrentibus tribus requisitis, Alimenta debentur Patrono Egeno.*

9 *Qua paupertas requiratur ad hoc, ut præstari debeant Alimenta Patrono.*

10 *Paupertas Patroni, ex quibus probetur.*

11 *Descendentia præsumptiva à Fundatore ex quibus probetur?*

12 *Canon* Quicumque *loquitur de Filiis dotantis Ecclesiæ demonstrativè, & non taxativè.*

13 *Sacra Rota in conflictu opinionum consuevit semper magis inhærere illi, quæ firmioribus rationibus innititur, non attento numero Doctorum.*

14 *Juspatronatus quid sit?*

15 *Jus Alimentorum est unus ex fructibus Jurispatronatus.*

16 *Patronus extraneus, in quem transit onus reparationis, & defensionis Ecclesiæ, obtinere etiam debet utilitatem Alimentorum.*

17 *Qui sentit onus, debet sentire & commodum.*

18 *Beneficiatus, qui de reditibus superfluis Pauperibus erogare tenetur, eò magis eos dare tenetur Patrono indigenti.*

29 *Juspatronatus in sua creatione integrum, absurdum, quòd continuet diminutum, & non integrum in hæredibus.*

20 *Jus Alimentorum conceditur à Sacris Canonibus Patrono ad alliciendos Laicos ad fundationem Ecclesiarum.*

21 *Jus Alimentorum an debeatur ex obligatione Antidorali?*

CASUS III.

QUidam Patronus extraneus non descendens à Fundatore, cùm esset redactus ad inopiam petiit ab Ecclesia Patronali Alimenta, quæ ipsa Ecclesia renuit ei dare sub motivo, quòd teneatur in casu inopiæ præstare Alimenta solis Patronis descendentibus à Fundatore, non autem extraneis; quo casu quæritur, an Jus Alimentorum in casu inopiæ competat solis descendentibus à Fundatore, vel etiam quibuscumque ejus consanguineis, aut extraneis Patronis?

Et videtur dicendum Jus Alimentorum in casu inopiæ competere solis descendentibus Fundatoris, non verò Patronis extraneis; quoniam in præsenti Canone *Quicumque* Alimenta promittuntur solis descendentibus Fundatoris, & ipse Canon solum de istis loquitur; ergò excedere non potest descendentes Fundatoris, nec ad Personas extraneas ibi non expressas
1 extendi; maximè cùm Jus Alimentorum sit Jus onerosum Ecclesiæ, & hæc solùm habeat obligationem cum Fundatore, & eis de sanguine illius, à quo accepit suum esse, non verò cùm extraneis, à quibus nihil recepit.

2 Quod comprobatur paritate, Donatarius ratione gratitudinis tenetur alere Donantem, & eo defuncto, etiam ejus filios, itaut hæc obligatio non excedat personas Donantis, & ejus filiorum, nec protrahitur ad Nepotem, eòque minùs ad hæredem extraneum. *L. etiam Filios ff. solut. Matrimon. L. & si Fidejussor. L. Sciendum ff. de re judicat. Card. de Luca disc. 56. num. 16. de regul. Franch. decis. 697. & 698.* Ergo etiam Ecclesia Patronalis eâdem ratione gratitudinis tenebitur alere solum Fundatorem, & ejus descendentes, non verò extraneos.

3 Ratio autem est, quia benefacienti benefacere debemus, cùm autem solus Fundator, ac etiam ejus descendentes, ratione sanguinis, benemeriti ejusdem Fundatoris, qui in his conservatur, dicantur benefactores Ecclesiæ, non verò illi, qui alio titulo à Fundatore, vel ab ejus descendentibus habuerunt Juspatronatus; ideo illis, & non his Ecclesia, in casu inopiæ, benefacere tenetur: & quia Jus
4 Alimentorum est personalissimum inhærens ossibus Personæ privatæ, & propterea non potest transire in extraneos. Et hanc sententiam tuentur *Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 5. num. 4. Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 1. §. 4. num. 18. Gratian. discept. 177. num. 9. & discept. 552. num. 31. Palmanep. allegat. 159. num. 46. & allegat. 162. num. 13. & alleg. 163. num. 29. in fine, & num. 30. cum seqq. & alleg. 164. per tot. & alleg. 165. num. 6. tom. 2. Rotæ decis. 454. num. 2. par. 2. recent. & de-*

cis. 691. num. 6. coram Penia. R.P.D.Petra Secretarius Sacræ Congregationis Concilii Vir magnæ Virtutis, ac doctrinæ in suis *Comment. ad Constit. Apostolic. Constit. 7. Gregor. IX. tom. 2. pag. 540. n. 23.* apud quem per multos annos studui.

5 Contraria tamen sententia nimirum: Alimenta in casu inopiæ deberi ab Ecclesia etiam Patronis extraneis hodie indubitatè procedit, & eam novissimè amplexa est Sacra Rota *in Salernitana Alimentorum* inferiùs legen. & quidem melioribus, & solidioribus fundamentis, ac rationibus deductis *per D. Advocatum Pitonium*, qui scripsit, & per tres sententias obtinuit, hunc articulum ita formiter judicari, prout videri poterit apud ipsum *in tract. de Controv. Patron. alleg. 32.* qui nunc Parmæ imprimitur, & remissivè me habeo ad ibi lato calamo deducta.

Sed quid si Patronus sit persona ficta, videlicet Communitas, Universitas, Collegium &c. an huic debeantur Alimenta in casu inopiæ?

6 Et videtur negativè respondendum, quia licèt Communitas Patrona sit capax Juris honorifici, & onerosi, tamen Communitas non est capax Alimentorum, quia Alimenta debentur Corpori, & Animæ, ut ista substentari, & vivere possint: & præsupponunt Animam, & Corpus tanquam eorum subjectum, itaut qui fame perire non potest, & non habet Corpus, & Animam, non indigeat Alimentis; unde cùm Communitas Patrona non habeat Corpus verum, sed misticum, & fictum, nec fame perire possit, sequitur, quòd ipsa sit incapax Alimentorum juxta *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 4. art. 3. num. 2. Surd. de Aliment. tit. 5. quæst. 1. num. 2. & tit. 7. quæst. 22. num. 26.* Nec debentur Alimenta particularibus de Communitate, cùm isti uti singuli non sint Patroni.

7 Benè verum est, quòd licèt Ecclesia Patronalis non teneatur præstare Alimenta Communitati, tamen in pluribus casibus, nempe si Communitas sit gravata oneribus, quibus propter inopiam satisfacere non possit, tenetur ei subministrare aliquam præstationem de reditibus superfluis loco Alimentorum, juxta doctrinam *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 4. num. 2.* ubi varios enumerat casus. Vide *D. Advoc. Piton. in tract. de Controv. Patron. alleg. 4.* qui nunc Parmæ imprimitur, & quem Tractatum ego manuscripsi, ibique summaria, & argumenta feci ad singulas allegationes, jussu ejusdem D. Advocati mei Præceptoris.

R. P. D.

SCOTTO

Salernitana Alimentorum.

Lunæ 12. *Januarii* 1712.

FRatres Nobilis Familiæ de Capocrasso Patroni Rectoriæ Ecclesiæ S. Andreæ, S. Matthei, & aliorum simplicium Beneficiorum, satis considerabilis reditûs, in Civitate Salerni existen. ob numerosam familiam, & rei familiaris angustiam ad inopiam redacti instetere coram Ordinario Salernitano pro subministratione Alimentorum adversùs Dominicum del Pezzo eorumdem Beneficiorum Possessorem ex resignatione habita à quondam Antonio de Capocrasso Actorum Patre: delatâque per appellationem à quodam Interlocutorio decreto causâ ad A.C. cùm ab eodem Fratres prædicti voti compotes effecti fuerint mediante sententiâ, in qua declaratum fuit alimenta deberi servata sibi eorumdem taxatione, & ab hujusmodi Judicato per Signaturam Justitiæ ad reclamationem dicti Dominici commissa mihi extiterit ulterior Causæ cognitio; hinc gemina subscripsi, & in hodierna Audientia proposui distincta dubia, alterum nempe super taxa eorumdem Alimentorum in sententia A. C. reservata, de quo in alia mea contemporanea Decisione, alterum verò super negotio principali, de quo in præsenti, videlicet: *An Patronis Beneficiorum, de quibus agitur, debeantur Alimenta*: quod fuit *affirmativè resolutum*.

Ratio decidendi stetit in eo, quòd concurrentibus tribus requisitis, videlicet Jurepatronatus, paupertate Patroni, ac abundantiâ redituum superextantium deductâ

ductâ congruâ substentatione Rectoris, ac manutentione Ecclesiæ; Sacri Canones decernunt, Ecclesiam teneri ad alendos Patronos *cap. Nobis de Jurepatr.* Cumque hæc tria requisita visa fuerint adamussim in hypothesi verificata; hinc jure meritoque rescriptum fuit; Alimenta deberi, ut alias respondit *Rot. decis.* 1997. *num.* 1. *coram Coccin. & decis.* 201. *num.* 1. *par.* 4. *tom.* 1. *recent.*

8 De Jurepatronatus enim Fratrum de Capocrasso non erat quæstio; de abundantia redituum constitit ex firmatis in dicta alia mea contemporanea decisione; paupertas verò, quæ ad hunc effectum non requiritur extrema, sed sufficit talis, ut Patronus vivere nequeat; habito respectu ad ejus gradum, & conditionem, *Covar. var. resol. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. *Gratian. discept.* 552. *num.* 26. *Barb. de Jure Eccles. Univ. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 216. *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 3. *art.* 11. *num.* 2. *Rot. decis.* 660. *num.* 11. *coram Pœnia*, sufficienter probari visa fuit ex Testibus formiter examinatis, & datis in
9 *Summario Fratrum Num.* 3. qui, enumerando omnia bona per eosdem Fratres possessa, concludunt summam eorum egèstatem, dum detractis oneribus, ac debitis, illorum reditus vix ascendunt ad annuos ducatos 138. circiter, insufficientes pro substentatione numerosæ familiæ 24. personarum, quot numerantur in Domo de Capocrassis computatis Uxoribus, & Famulis, de quibus habendam esse rationem ad effectum, de quo agitur, tradunt *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *art.* 6. *num.* 1. *Surd. de Alimentis tit.* 1. *quæst.* 54. *num.* 12. *Rota coram Coccin. decis.* 1997. *num.* 3. Cùmque iidem Testes ulteriùs addant, quòd fratres prædicti nullos alios habent Consanguineos, à quibus ali valeant, & coarctent negativam, quòd nil aliud possideant, quàm bona ab ipsis enunciata, utique paupertatem plenè probant, quamvis non deponant sub illa formalitate verborum, quod alia bona possidere non possent, quin ipsi sciant, *Pacian. de probat. cap.* 40. *num.* 18. *Add. ad Gregor. decis.* 325. *num.* 27. *Rota coram Pœnia decis.* 265. *nu.* 3. *coram Cerro decis.* 508. *num.* 1. *& coram Bich. decis.* 522. *num.* 16.

Potissimè verò, dum fides Testium corroboratur, tùm ex publico Testimonio Magistratus Salerni testantis de eadem paupertate, cui plurimùm deferri debet in materia respiciente statum, & conditionem suorum Civium, *Spad. cons.* 158. *numer.* 8. *Rota coram Cavaler. decis.* 10. *num.* 13. *& in recent. decis.* 427. *num.* 7. *pag.* 18. Tùm ex fide Parochi, quæ de per se, & multò magis unita cum Testibus, paupertatem concludit, *Rota coram Dunozet. Iun. decis.* 797. *num.* 2. *& coram Emerix Iun. decis.* 137. *num.* 1. Tùm demum ex facto Eminentissimi S. Sedis Camerarii, qui ex motivo inopiæ, Decimas Papales à quondam Antonio DD. Fratrum Patre in summa ducatorum 115. debitas, occasione cujusdam pensionis ab illo possessæ, reduxit ad solos ducatos 70. quod valdè urgere visum fuit ad convincendam paupertatem, sine qua dictus Cardinalis Camerarius Decimas Papales non remisisset ad tradita per *Joan. Andr. cap. cum sint Homines. ibique Abb. num.* 5. *de Decim. Rot. decis.* 95. *num.* 6. *& 7. post Tamburin. de Iure Abbat.*

Verificatis itaque dictorum tribus requisitis, ad obtinenda Alimenta necessariis, difficultas unicè versabatur super eo, quòd fratres prædicti nequaquam probarent descendentiam à Fundatore: quam probationem omnino requiri, ad hoc, ut Patrono debeantur Alimenta, acriter contendebant Informantes pro Dominico; in qua quidem inspectione, licèt unus ex Dominis crederet, quæstionem ex facto dirimi posse, citra necessitatem examinandi Articulum in abstracto, *An Patrono extraneo debeantur Alimenta*: innixus regulæ, quòd ad effectum, de quo agitur, descendentia non sit probanda per gradus distinctos, sed sufficiat etiam conjecturalis, & præsumptiva juxta firmata per *Lotther. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 5. *num.* 5. *Gratian. discept.* 552. *num.* 31. *Lambertin. de Iurepat. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *num.* 12. *Rot. decis.* 201. *num.* 1. *part.* 4. *recent. & decision.* 333. *nnm.* 2. *coram Pœnia*. Hancque
10 præsumptivam probationem satis, superque resultare eidem videretur, nedum ex Testibus deponentibus de publica voce, & fama, necnon ex antiquissima, & ultra tria secula continuata possessione præsentandi, verùm etiam ex Insignibus Familiæ appo-

appositis in Ecclesia, ex sententia lata à Vicario Generali de Anno 1638. in qua dicitur Juspatronatus spectare ad Familiam de Capocrasso ex fundatione, & dotatione; rursus ex attestatione Reverendissimi Archiepiscopi Salerni asserentis, quòd Beneficia, de quibus agitur, fundata fuerint per Ascendentes modernorum Patronorum; ex confessione moderni Rectoris, emissa in litteris suæ provisionis, quod Beneficia sint de Jurepatronatus, ex dotatione, & fundatione familiæ de Capocrasso; ac demùm ex annuo tributo unius Candelæ, & Placentæ, iisdem Patronis solui solito, quæ omnia præsertim simul juncta videbantur sufficienter probare descendentiam præsumptivam, ut habito respectu etiam ad unam tantùm, vel ex dictis probationibus voluere, *Lambertin. de Iurepatr. lib. 2. part. 3. art. 3. nu. 11. Iotther. de re Benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 7. Ventrigl. in praxi part. 2. annot. prima §. 4. num. 9. Rota coram Pœnia decis. 691. nu. 6. & 7.*

Nihilominùs, quia in hac parte non omnes Domini conveniebant; ideo assumentes examen articuli, An dato etiam per modum suppositi, non tamen admisso, defectu probationis descendentiæ, adhuc
11illis de Capocrasso, licèt extraneis deberentur Alimenta, dictoque articulo alioquin gravi, & inter Doctores satis controverso, eâ quâ solent maturitate, ac diligentiâ examinato, convenerunt in sensu affirmativo: quòd etiam favore Patroni extranei tale Jus Alimentorum competeret: moti, non minùs ex pondere auctoritatum militantium pro hac opinione, quàm, & fortiùs, ex validissimis rationum momentis, quæ illi assistunt; Auctoritatibus quidem; nam sententiam hanc, quòd Jus Alimentorum transeat in quoscumque hæredes extraneos sequuntur magis communiter Canonistæ *in cap. Perlatum, ubi Ancaran. num. 5. Beron. num. 13. 61. & 68. & duobus seqq. Butr. num. 8. de Jurepatr. & in Clementina Plures, ubi Gulielm. de Monte Lauduno num. 1. inter repetitiones Canonicas diversi. tom. 6. Zabarell. num. 3. Vitalin. olim S. Rotæ Auditor num. 41. in fin. eodem titulo de Iurepatr.* & magis ex professo in eadem opinione resident *Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. part. 2. quæst. 2. art. 1. num. 28. & lib. 3. quæst. 3. art. 13. num. 2. Mancin. dissert. 9. cap. 16. num. 9. Carolus Anton. de Luca ad Ventrigl. in praxi par. 2. annot. 1. §. 4. num. 2. Andr. Vallens de Benefic. lib. 1. tit. 4. sub num. 20. Modern. Lucen. allegat. 167. numer. 64. & 65. tom. 2. Modern. Roman. discept. Eccles. 39. num. 1. & seqq.*

Neque deficere etiam videbatur auctoritas S. Rotæ in Neapolitana Alimentorum coram Manzanedo, & Pirovano. Licet enim in *prima Decisione coram Manzanedo impressa in recent. 454. part. 2.* dictum fuerit, quòd Eques Orilia Actor non justificabat primum requisitum, quòd scilicet esset Patronus, ex quo non docebatur de possessione in Jure præsentandi, aliisque Juribus honorificis, minùsque de propria descendentia à Fundatore; tamen in repropositione Causæ, justificata per D. Equitem Orilia possessione Juris honorifici recipiendi Candelam in die Purificationis, juxta disposita in fundatione, non fuit dubitatum, quin Juspatronatus ad effectum consequendi Alimenta esset sufficienter probatum, etiamsi non probaretur Descendentia à primo Fundatore, quam S. Rota respondit non esse necessariam, ut habetur *in Decisione 201. num. 1. & 2. par. 4. tom. 1. recent.*

Huic autem opinioni tot auctoritatibus, & Sacræ Rotæ resolutionibus comproba-
12tæ, nequáquam adversari visus fuit, *Text. in Can. Quicumque 16. quæst. 7.* licet enim *dict. Text. in littera* loquatur tantùm de Fundatore, ejusque filiis, quibus Alimentorum Ius impertitur, non exinde tamen excludit Patronos extraneos, cùm loquatur demonstrativè, & juxta ea, quæ frequentius accidunt, non autem taxativè ad excludendos extraneos, ut in specie observant *Mancin. dissert. 19. cap. 16. num. 9. Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. par. 2. quæst. 2. art. 1. num. 18. Modern. Roman. discept. Eccles. 39. sub num. 2.* eo modo, quo respectu aliorum fructuum; ut sunt Jus præsentandi, Advocationis, & Processionis; licèt Sacri Canones loquantur restrictivè ad Fundatorem, *ut in Can. Decernimus 16. quæst. 7. & in cap. Nobis de Iurepatr.* Tamen nemo unquam dubitavit, quin dicta Jura, & fructus transeant etiam ad hæredes extraneos Fundatoris,

qui

qui ejus perſonam repræſentare dicuntur, ut in durioribus terminis dixit *Rota in Alatrina Iuriſpatronatus 7. Decemb. 1705. §. final. coram Me.*

Minuſque attendi poſſe crediderunt Domini auctoritatem *Lotther. lib. 2. qu. 5. & Gratian. diſcept. 552. num. 31.* quos cæcâ fide ſequuti ſunt *Ventrigl.* & nonnulli alii moderniores; nam *Lotther.* ſe fundavit in prædicta *Deciſione 4. 4. par. 2.* ſupponens, quòd S. Rota in illa firmaverit, neceſſariam eſſe probationem Deſcendentiæ à Fundatore ad effectum conſequendi Alimenta, quando id firmavit tantùm ad effectum docendi de Jurepatronatus, ut apertiùs declaravit in *ſecunda Deciſione, quæ eſt 201. num. 1. & 2. par. 4. tom. 1. recent.* ubi expreſsè rejecit objectum, quòd eſſet neceſſaria probatio Deſcendentiæ; Ideòque jure merito præcitati Doctores reprobantur per *Carol. Anton. de Luca in obſervat. ad Ventrigl. par. 2. annot. 1. §. 4. num. 2. & Moder. Roman. dict. diſcept. Eccleſ. 39. num. 2.*

Ex his igitur patuit, aùctoritates gravitate, & pondere majores militare favore Patroni, licèt extranei, ſed ubi etiam res verſaretur in opinionum conflictu; Domini recurrentes ad rationes, & principia in hac materia certa, crediderunt ſolidiora fundamenta aſſiſtere opinioni ſuperiùs firmatæ, & ideò non poſſe ab illa recedi ex ſola auctoritate nonnullorum Doctorum contrarium ſentientium; cùm
13 ratio ſit Anima Legis, & noſtrum Tribunal conſueverit in conflictu, & antinomiâ opinionum illi ſemper magis inhærere, quæ firmioribus rationum momentis innitatur, non attento numero Doctorum, pro una, vel altera ſtantium, cum opiniones non numerari, ſed ponderari debeant, juxta monitum *Text. in l. 1. §. Sed neque C. de veter. Iur. Enucl. & dictum fuit in Faventina ſucceſſionis 2. Julii 1708. §. Nec movit coram R. P. D. meo Aldourando, & in Romana Legati ſuper reſervatis 21. Iunii 1706. §. fin. coram R. P. D. meo Criſpo.*

Exordiendo ſiquidem à quidditate, & natura Jurispatronatus, illud communi-
14 ter definitur, quod ſit Jus HONORIFICUM, ONEROSUM, ET UTILE in Eccleſia competens; HONORIFICUM ſcilicet, quia Patronus habet honorem præſentandi: ONEROSUM, quia tenetur Eccleſiam defendere; & UTILE quia ſi devenerit ad inopiam, debet Eccleſia illum alere; *Panormitan. in Rubrica de Iurepatr. num. 3. Butr. num. 1. Io: Anan. num. 5. Zabarel. num. 1. Ancaran. num. 1. Sanch. conſil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 52. Rota coram Cavaler. deciſ. 321. num. 3.* ex quo conſequitur, quòd ſicuti ad extraneum citra dubium tranſit Juspatronatus, ita etiam tranſire debeat Jus Alimentorum, tanquam illius pars conſtitutiva, alias definitio, quoad illud eſſet manca, & defectuoſa, nec ſemper conveniret ſuo definito, quòd dicendum non videtur, *Gloſſ. l. 1. §. Dolum, Verb. Itaque ff. de Dolo malo, ibique Bart. num. 1. & Bald. num. 3. Tiraquel. de Iure Primogen. quæſt. 1. num. 1. Pariſ. de Reſſignat. Benefic. lib. 1. quæſt. 1. num. 31.*

Ulteriùs: in extraneum tranſeunt Jus præſentandi, præcedendi, & alia Jura, quæ dicuntur fructus Jurispatronatus; ſi ergo cæteri omnes fructus Juriſpatronatus debentur extraneo, nulla aſſignabilis eſt ratio, cur in eumdem tranſire etiam non debeat Jus Alimentorum, quod communiter reputatur unus ex majoribus, & præ-
15 cipuis fructibus Iurispatronatûs, *Innocen. in Rubrica de Iurepatr. num. 2. Lotther. de re Benefic. lib. 2. quæſt. 5. num. 1. Card. de Luca de Iurepatr. in ſumma num. 137. Mancin. diſſert. 9. cap. 16. num. 1.* Si enim ad extraneum defertur Cauſa productiva, in illum etiam tranſire debet Ius Alimentorum, quod eſt effectus, ac fructus, & quidem inſeparabilis à ſua cauſa, ut dicunt *Rocc. de Curte de Iurepatr. in Verb. & utile num. 1. & meliùs Panormitan. in cap. Præterea de Iurepatr. numer. 11. Pax Iordan. Lucubrat. tom. 1. lib. 10. tit. 7. num. 487. Carol. Anton. de Luca ad Vincent. de Franc. deciſ. 160. num. 5.*

Rurſus: eatenus Patrono incumbit onus reparandi Eccleſiam, illamque defendendi, quatenus ab ea percipit non minùs honorem, quàm utilitatem, ut alatur in caſu, quo fuerit ad inopiam redactus, *Barb. ad Conc. cap. 7. ſeſſ. 21. de Reformat. num. 8. Ventrigl. in praxi par. 2. annot. 18. §. Unico num. 15. Panimoll. deciſ. 15. annot. 1. n. 35. Amoſtaz. de Cauſis piis lib. 5. cap. 6. num. 25.*

Ideò-

16 Ideòque si onus est correspectivum ad utilitatem, omnis æquitas, & justitia exposcit, quòd Patronus extraneus, in quem transit onus reparationis, ac defensionis Ecclesiæ, obtinere etiam debeat utilitatem Alimentorum; aliàs obligatio non esset reciproca, sed claudicaret contra re-
17 gulam Juris, quòd qui sentit onus, & incommodum, sentire etiam debet commodum, & utilitatem, *l. secundum naturam ff. de Regul. Iur. Castren. consil. 307. num. 2. lib. 2. Roman. cons. 282. in fin. & cons. 475. num. 7. Rot. decis. 1169. num. 13. & decis. 1272. num. 11. coram Emerix Iun.*

Et demum: si ex dispositione Sacrorum Canonum tenetur Beneficiatus reditus superextantes suæ congruæ substentationi, erogare pauperibus in eleemosynam *Can.*
18 *Quoniam 16. quæst. 1. Lambertin. de Iurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 2. Mat. in addition. redituum Ecclesiæ, impressa post tract. de Causis Concistorial. num. 134.* potiori sanè jure tenebitur largiùs subvenire Patrono inopi, ex ordinata charitate, & antidorali obligatione, dum ex illius, vel ipsius propinqui præsentatione Beneficium recognoscit, illiusque fructus consequitur, *Gloss. in Can. Quicumque il 2. 16. quæstio 7. Lambertin. de Iurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 6. num. 3.*

Fundamentis prædictis directè comprobantibus obligationem Beneficiati alendi Patronum, licèt extraneum; superaddebant Domini alia argumenta indirecta, & à ratione evitandi absurdi derivantia; nam si Fundator nullos habens filios, vel descendentes, Beneficium fundaret, sive in ultima voluntate, sive etiam inter vivos, reservato Jurepatronatus suis Consanguineis, vel etiam extraneis, Juspatronatus in ipsa sua Origine nasceretur mutilum,
19 & mancum, dum deficeret præcipua illius pars constitutiva, consistens ex superiùs dictis in utilitate Alimentorum. Pariterque ubi à principio descendentes existerent, & postmodùm deficerent, Iuspatronatus in sua creatione integrum quoad omnes fructus, continuaret diminutum, & non integrum in hæredibus, in quos transiret causa productiva, non autem effectus, & fructus, quod esset maximum absurdum, ut ponderat *Carolus Antonius de Luca ad Ventrigl. in praxi part. 2. annot. 1. §. 4. num. 2. vers. Iuspatronatus enim.*

Addito denique, quòd cum Jurapatronatus pro majori parte sint, ac præsumantur hæreditaria juxta *Text. in Clement. Plures de Iurepatr.* & Descendentia à Fundatore vel non duret, vel in temporis decursu, & antiquitatis latebris indagari non possit, rarò, aut numquam daretur in praxi hoc Ius Alimentorum, quod de cætero Sacri Canones benignè indulgere voluerunt Patrono ex motivo
20 Pietatis, & ad alliciendos Laicos ad fundationem Ecclesiarum ex animadversis per *Mancin. dissert. 9. cap. 16. num. 9. & 16.* exemplo Liberti, qui sicuti de Iure tenetur Patronum pauperem alere, ita etiam obstringitur eadem Alimenta præstare, nedum Uxori, sed etiam Consanguineis, & Hæredibus quamvis extraneis ejusdem Patroni, ut per plura Iura probat *Tiraquell. in l. Si unquam §. Libertis num. 31. quem sequitur Surd. de Alimentis tit. 1. quæst. 51. num. 6.*

In conspectu autem dict. rationum, & fundamentorum fragilis nimis visa fuit ratio ea, quæ per scribentes pro Dominico in contrarium deducebatur, quòd scilicet Ius Alimentorum non debeatur
21 ratione Iurispatronatus, sed ex obligatione antidorali; juxta quam benefacientibus benefacere debemus; tum quia ex hac ratione potiùs elicitur, quòd Beneficiatus teneatur alere Patronum, licèt extraneum, à quo, vel ejus Patre recognovit Beneficium præsentationis; tum fortiùs, quia etiam Ius præsentandi, & cæteri fructus Iurispatronatûs per Sacros Canones conceduntur Laicis, ex dicto motivo obligationis antidoralis, & retributionis Operi pio: unde sicuti cæteri fructus ex benignitate Sacrorum Canonum transeunt ad extraneos, ita etiam transire debet Ius Alimentorum, quia Sacri Canones voluerunt hâc retributione perfrui, nedum fundatorem, sed etiam ejus Hæredes, sive Consanguineos, sive extraneos, qui personam ipsam Fundatoris repræsentant, ut advertit *Mancin. dicta dissert. 9. cap. 16. sub num. 9. & 16.* & dixit in fortioribus terminis *Rota in Alatrina Iurispatronatus 7. Decembr. 1705. §. fin. coram Me.*

Tum demum, quia si juxta sententiam omnium

omnium Canoniſtarum Jus Alimentorum communiter numeratur inter unum ex fructibus ipſius Juriſpatronatûs, veluti præcipuum, & ab eo inſeparabilem, ut præter ſuperiùs relatos in §. *Ulteriùs* tradunt *Surd. de Aliment. tit. 7. quæſt. 32. num. 13. Sanchez conſ. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 52. num. 1. & 2. Pax Jordan. tom. 2. lucubr. lib. 10. tit. 7. num. 490.* Abſonum videbatur Dominis, quòd ratione Juriſpatronatûs non deberetur quidquid in ejus fructu collocatur, cùm effectus referri non poſſit niſi ad ſuam cauſam, *Rocc. de Curte de Jurepatr. in verb. Utile num. 1. Pax Jordan. Lucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 7. num. 487.*

Et ita concluſum fuit Partibus hinc inde acriter informantibus.

ARGUMENTUM.

Si ex tribus Patronis Eccleſiæ unus vergat ad inopiam, an huic debeantur pro Alimentis omnes fructus ſuperflui, & ſuperextantes Eccleſiæ Patronalis.

SUMMARIUM.

1 *Patrono Egeno an debeantur omnes fructus Eccleſiæ ſuperflui extantibus aliis Patronis divitibus? & num. 2. 8. & 13.*
2 *Extantibus pluribus Patronis Ius Alimentorum, non eſt proprium unius, ſed commune omnibus.*
3 *Quod alteri debetur à nemine prætendi poteſt.*
4 *Patronus Egenus debet modeſtè ali.*
5 *Res Eccleſiæ, & Clericorum dicuntur eſſe Pauperum.*
6 *Libertus tenetur præſtare Patrono congrua Alimenta.*
7 *Donatarius tenetur alere donatorem, & diſcipulus Magiſtrum.*
9 *Beneficiatus an habeat dominium abſolutum, quoad fructus Beneficii.*
10 *Patronus dives in eo ſtatu non habet jus Alimentorum actuale, ſed ſolum habituale.*
11 *Pauperes in concurſu Patroni Egeni nullam habent actionem pro conſequendis Alimentis.*
12 *Numerantur ſpecies Alimentorum.*
14 *Patronus Egenus eſt alendus condecenter ſecundùm ſtatum, & qualitatem perſonæ, & num. 23.*
15 *Alimenta Patrono Egeno, quomodò, & ad quam ratam taxanda ſint.*
16 *Alimenta debentur Patrono de fructibus ſuperfluis Beneficii.*
17 *Alimenta taxanda ſunt arbitrio Judicis, & quæ ſint attendenda in taxatione Alimentorum, & num. 21.*
18 *Obligatio alimentandi reſpicit totam familiam Patroni, & num. 19.*
19 *Alimenta an debeantur filiis naturalibus Patroni? & num. 27.*
20 *In taxatione Alimentorum, an conſiderandi ſint reditus proprii patrimonii?*
22 *Rector Beneficii per aſſignationem Alimentorum Patrono Egeno, an dicatur ſpoliari poſſeſſione Bonorum ejuſdem Beneficii?*
24 *Patronus Egenus non eſt exceſſivè, & ſumptuosè per Eccleſiam alendus.*
25 *Patronus quando dicatur pauper?*
26 *Alimenta quo caſu præſtantur ad puram neceſſitatem.*
27 *Famuli Patroni Egeni an ſint alendi per Eccleſiam.*

CASUS IV.

TRes ſunt Patroni Eccleſiæ A, quorum unus propter varia infortunia cùm eſſet redactus ad inopiam, petiit à Rectore dictæ Eccleſiæ ſibi adjudicari pro Alimentis omnes illius fructus ſuperfluos, & ſuperextantes, cui inſtantiæ ſe oppoſuerunt, non ſolùm Rector ejuſdem Eccleſiæ, ſed etiam alii duo Patroni Divites;
1 quæritur proinde in hoc caſu, an Patrono Egeno debeantur omnes fructus ſuperflui, & ſuperexcedentes congruam ſubſtentationem Rectoris, & omnia neceſſaria Eccleſiæ, extantibus aliis Patronis divitibus?

Quæſtio hæc adhuc quidem indeciſa varias habet hinc inde difficultates, & primâ facie negativè reſolvenda videtur; quoniam ſi alii duo Patroni divites eſſent in eodem ſtatu paupertatis, tertius Patro-

nus Egenus prætendere non posset omnes fructus Ecclesiæ Patronalis superfluos, & superexcedentes, sed illi essent æqualiter inter ipsos dividendi, & unicuique ex eis Patronis æqualis portio esset assignanda,
2 eâ ratione, quia extantibus pluribus Patronis Jus Alimentorum non est proprium, & particulare unius ex illis, sed commune omnibus; itaut Ecclesia non possit esse noverca, & committere ingratitudinem dando uni tantùm Patrono omnes fructus superfluos, cæteris prætermissis, *Surd. de Aliment. tit. 1. quæst. 48. num. 68.* sed tanquam pia mater tenetur æqualem retributionem facere, & æqualiter eos alere juxta propriam eorum conditionem, & statum; ut disponitur in hoc Canone *Quicumque*. Ergo etiam in Casu, quo illi duo Patroni non sint in statu inopiæ, non poterit idem Patronus Egenus petere à Rectore Ecclesiæ, ut pro Alimentis sibi assignentur omnes fructus superflui, sed debet esse contentus eâ portione, quæ ipsi contigisset casu, quo dicti duo Patroni essent inopes, & non aspirarent etiam ad eas portiones, quæ deberentur aliis Patronis
3 in casu inopiæ; quod enim alteri debetur nemo prætendere potest.

Et ratio est, quia Patronus Egenus
4 debet *Modestè* ali juxta *Text. in cap. Nobis de Iurepatr. de quo infra par. 1.* si autem omnes fructus superflui, & superexcedentes præfatæ Ecclesiæ, assignarentur huic tertio Patrono Egeno, iste non modestè, sed ad superabundantiam aleretur in Ecclesia, & impinguaretur de bonis, & reditibus Ecclesiasticis in præjudicium aliorum pauperum, ac etiam ejusdem Ecclesiæ, dum deductis omnibus necessariis pro Ecclesia, ac pro substentatione Rectoris, nec non Patroni Egeni, quicquid superest erogandum est in utilitatem Ecclesiæ juxta *Gloss. in cap. final. de verb. Significat. verb. Utilitatem*, & in eleemo-
5 sinam pauperum, cùm res Ecclesiæ, & Clericorum dicantur esse pauperum, juxta *Text. in cap. Quoniam 16. quæst. 2. & in cap. Concesso, c. Quatuor 12. quæst. 2. Antonell. de Iuribus, & oneribus Cleric. lib. 2. par. 6. cap. 16. num. 1. & seqq.*

Quod comprobatur pluribus paritatibus. Si Patronus servi missi perveniat ad inopiam, Libertus non tenetur ei pro Alimentis assignare omnes fructus, & reditus proprii patrimonii, qui deductis omnibus necessariis pro sui ipsius substentatione supersunt: sed solum in præmium, & gratitudinem præstitæ libertatis tenetur ei præstare congrua Alimenta *L. Si*
7 *quis à liberis ff. de Aliment.* Donatarius non tenetur alere Donatorem, nec Discipulus Magistrum vergentes ad inopiam de omnibus fructibus sibi ipsis superfluis; sed solùm ratione gratitudinis tenentur præstare Alimenta sufficientia ad eorum substentationem, *Gloss. in L. final. Cod. de revocand. donat. Innocent. in cap. 1. de Magistris, ibique Anan. num. 11. Hostien. in Summ. tit. de Magistr. §. Utrum*; fieri enim posset, quod omnes reditus superflui, & superexcedentes sint in majori summa & quantitate, seu majoris valoris, quàm illi necessarii pro substentatione Liberti Donatarii, aut Discipuli: si autem hujusmodi reditus superflui essent omnes assignandi Patrono, Donatori, aut Magistro respectivè, isti essent melioris conditionis, quàm essent Libertus, Donatarius, aut Discipulus, qui minùs fruerentur de Bonis propriis, quàm illi. Ergo etiam nec Ecclesia Patronalis tenebitur assignare pro Alimentis Patrono Egeno omnes fructus superfluos, & superexcedentes; valet enim arguere à Patrono Liberti ad Patronum Ecclesiæ.

E contra verò videtur affirmativè re-
8 solvenda. Quia hic Tertius Patronus solus est, qui pervenit ad inopiam; itaut præfata Ecclesia Patronalis non habeat alium, cui teneatur facere retributionem obtenti Beneficii, & exercere actum temporalis alimoniæ, nisi hunc tertium Patronum: ergo huic assignare debet omnes reditus superfluos, & superexcedentes, juxta dispositionem præsentis Canonis *Quicumque*, cui concordat *Text. in cap. Nobis de Iurepatr. ibique Innocent. Abbas, Fagnan. Rocc. de Curt. de Iurepatr. verb. Utile quæst. 1. ex num. 1. Lambertin. eod. tract. lib. 3. quæst. 4. art. 1.* exemplo illius Evangelici Patris, qui cum haberet duos filios unum Divitem, & alium propter ejus prodigalitatem ad inopiam redactum, totum gaudium, congratulationem, & festivitatem exercuit cum hoc solo filio Prodigo inope, prætermisso divite *Luc. 15.*

Nec

9 Nec huic assignationi omnium redituum superfluorum favore hujus tertii Patroni inopis se opponere potest Rector prædictæ Ecclesiæ, quia licèt Rector, aut Beneficiatus habeat dominium absolutum, absque ullo onere quoad fructus sibi necessarios ad congruam substentationem, tamen quoad fructus superfluos Ecclesiæ non habet dominium absolutum: Sed cum onere illos erogandi in pauperes, vel in alios pios usus; unde cùm non adsit alius pauper, cui vinculo obligationis magis sit adstrictus, quàm iste tertius Patronus pauper, non est cur ipse Rector repugnet assignare huic omnes reditus superfluos, *Garz. de Benefic. par. 2. cap. 1. num. 5. Antonell. de Juribus, & oneribus Cleric. lib. 2. par. 6. cap. 15. num. 2. & 7.*

Minusque se opponere possunt alii duo Patroni Divites, quia licèt casu, quo isti essent in statu inopiæ, non possent assignari huic tertio Patrono Egeno omnes fructus superflui, sed essent inter ipsos æqualiter dividendi; tamen cùm in præsentiarum
10 ipsi non sint in eo statu, non habent ullum jus actuale proximum Alimentorum: non sufficit simplex qualitas Patronalis, sed ulteriùs requiritur qualitas inopiæ, & paupertatis; dum præsens Canon non concedit Jus Alimentorum Patrono simpliciter, sed Patrono Egeno, ac proinde si omnes fructus superflui assignentur huic tertio Patrono, nullum præjudicium irrogatur Patronis divitibus; illud enim adesse non dicitur, ubi agitur de Jure remoto, & merè eventuali A.

Neque si assignetur præfato Patrono Egeno omnes fructus superflui, inferretur præjudicium aliis pauperibus non Patronis, quia isti in concursu Patroni Egeni
11 nullam habent actionem, nec officium Judicis contra Ecclesiam pro consequendis Alimentis, eâ ratione, quia cùm ordinata charitas magis dirigatur in eos, à quibus recepimus Beneficium, quàm in alios, Ecclesia magis tenetur, & adstringitur erga Patronum, quàm erga alios pauperes, à quibus nihil recepit, *Gloss. in cap. penult. de Jurepatr. Surd. de Aliment. tit. 1. qu. 54. num. 7.*

Pro resolutione autem hujus quæstio-
12 nis, pro utraque parte difficultates habentis, distinguo tres species Alimentorum. Alimenta enim, alia sunt necessaria ad puram, & simplicem vitæ substentationem: alia necessaria ad substentationem vitæ condecentem, secundùm statum, & conditionem personæ: & alia necessaria ad substentationem vitæ sumptuosam, & excessivam, quam distinctionem insinuare videtur. *Rota in Salernitana Alimentorum super taxatione 16. Decembris 1712. §. Nec obstare coram R. P. D. Falconerio inferiùs legen. num. 24.*

Hoc supposito, respondeo ad quæstio-
13 nem: Vel omnes fructus superflui præfatæ Ecclesiæ cedunt in substentationem vitæ hujus tertii Patroni sumptuosam, & excessivam; & crederem tenendam primam sententiam negativam; nimirum ei non deberi omnes istos fructus superfluos propter rationes ibi allatas, eò quia modestè, & non sumptuosè, & voluptuosè ultra ejus statum, & conditionem alendus est Patronus ab Ecclesia. Vel cedunt in simplicem, & puram vitæ substentationem; aut in substentationem hujus tertii Patroni Egeni condecentem secundùm ejus statum, & conditionem; & crederem procedere secundam sententiam affirmativam, ejusque rationes: quia Patronus Egenus non
14 solùm est alendus secundùm puram ejus vitæ necessitatem, sed etiam condecenter secundùm statum, & qualitatem personæ, itaut si Patronus sit nobilis, pinguiora, & ampliora Alimenta ei præstanda sint ab Ecclesia, quàm ignobili. *Surd. de Aliment. tit. 4. quæst. 18. num. 15. Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 14. num. 218.*

Sed quomodò, & ad quam ratam ta-
15 xanda sint Alimenta Patrono Egeno necessaria ad condecentem substentationem secundùm proprium statum, & conditionem ex sequentibus Decisionibus in Salernitana Alimentorum Sacræ Rotæ desumi potest, quas obtinuit *D. Advoc. Pitonius* & regiftrantur apud ipsum *in tract. de Controv. Patronor. alleg. 32.* nunc Parmæ impresso.

Salernitana Alimentorum Super Taxatione.

Lunæ 20. *Julii* 1712.

Coram eodem R. P. D.

SCOTTO.

PLacuit iterum Dominis modus, sive temperamentum captum in Decisione edita coram Me sub die 11. Januarii proximè præteriti, quòd scilicet reservatis pro Dominico ducatis tercentum super reditibus certis Beneficiorum, de quibus agitur, residuum fructuum distribuatur inter Patronos pro eorum Alimentis cum Jure accrescendi favore ejusdem Beneficiati in casu obitûs alicujus ex alimentandis, & ideò responderunt pro persistentia *in decisis*.

Præsuppositâ enim obligatione Rectoris assignandi hisce Patronis Alimenta ex fructibus Beneficiorum, qui supersunt ejus congruæ subsistentationi, juxta latè firmata in altera mea contemporanea Decisione, justum utique apparuit temperamentum in ea parte, in qua reservantur eidem Rectori ducati tercentum liberi, & immunes à quibuscumque expensis, & oneribus super fructibus certis dictorum Beneficiorum, quia si ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 13. congrua pro Parocho reputatur sufficiens in scutis centum, non habet profectò, de quo conqueratur Dominicus, si ex Beneficiis simplicibus, nullum habentibus onus Curæ Animarum, illi assignantur ducati tercentum exuberantes pro ejus decenti manutentione, ut observat Decisio, quæ revidetur §. *Ex hujusmodi temperamento*, & eo magis attento Jure accrescendi reservato favore Beneficiati in casu obitûs alicujus ex alimentandis.

Non minùs justus visus est modus captæ resolutionis in altera parte, in qua fructus residuales Beneficiorum assignantur Patronis pro eorum Alimentis; siquidem in hac materia Doctores communiter tradunt, quod ex fructibus Beneficii primo loco deduci debet congrua Rectoris, & de eo, quod supereſt tradi Alimenta Patrono, *Abb. in cap. Nobis num.* 6. *de Jurepatr. Azor. Institut. Moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 3. *Lagunez de fructib. par.* 1. *cap.* 32. §. 3. *num.* 74. *Ventrigl. in praxi par.* 2. *annot.* 1. §. 4. *num.* 35. *Lambert. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 3. *artic.* 2. *num.* 6. & 7. hæcque Alimenta taxanda sunt arbitrio Judicis consideratis consuetudine Regionis, *Cyriac. Controv.* 34. *numer.* 13. *Surd. de Aliment. tit.* 4. *quæst.* 19. *num.* 2. *Rota coram Pœnia decis.* 691. *nu.* 5. necnon gradu, & qualitate personarum Patronorum, adeò ut pinguiora debeantur pro personis nobilibus, quàm ordinariæ conditionis, *Paulus de Cittadin. de Jurepatr. part.* 6. *art.* 4. *num.* 4. & 7. *Lagunez de fructib. par.* 1. *cap.* 32. §. 3. *nu.* 87. ac habitâ etiam ratione numeri personarum alendarum, cum obligatio alimentandi respiciat totam Familiam Patronorum, & sic Matrem, Sorores, Uxorem, Filios, ac Famulos, *Paulus de Cittadin. dicto art.* 4. *num.* 157. *Lagunez de Fructibus dicto* §. 3. *num.* 87. *Surdus de Aliment. tit.* 4. *quæst.* 18. *num.* 19. & 20. & *quæst.* 24. *num.* 14. *Rota coram Coccino decis.* 1997. *num.* 3. & demum inspectis reditibus Beneficii, qui si pingues sint, magis quoque condecentem, & statui Patroni nobilis accommodatam assignationem exposcunt *Cyriac. controv.* 34. *numer.* 11. *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 3. *artic.* 3. *num.* 2. & *seqq. Gratian. discept.* 552. *numer.* 12. *Rota coram Pœnia decis.* 691. *numer.* 3.

Hisce circumstantiis per Dominos præ oculis habitis, censuerunt, reditus superextantes detractis per antipartem ducatis 300. pro Dominico Rectore, non posse dici assignationem exorbitantem, sed potiùs valde moderatam pro alimentis Patronorum; inspecto enim more, & consuetudine Regionis pro manutentione etiam parca, & modesta unius personæ nobilis, requiruntur annui ducati 120. ut deponunt Testes formiter examinati dati, in quorum concursu attendi non poterant informes depositiones aliorum Testium ultimo loco expiscatæ testantes sufficere longè minorem summam, tum

quia

quia retractarunt eorum depositiones; tum etiam quia fides non facit fidem, ut sunt notæ regulæ, præcipuè verò ubi, prout hic, alii Testes formiter repetiti, contrarium deponunt *Rota coram Sa: mem: Alexandro VIII. decis. 58. num. 37. & seqq. & coram Celso decis. 36. num. 12.*

Familia autem est valde numerosa usque ad 24. personas, & in nobilitatis gra-19du constituta, & quatenus etiam per modum hypothesis delendi essent ab hoc numero tres filii naturales, quos tamen omnino computandos esse in his terminis bene censuit *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 6. num. 14.* adhuc remanent 21. personæ, inter quas quinque Sorores, quarum duæ permanent in Domo Paterna, & aliæ tres in Monasterio, & Domum gravant, nedum in solita menstrua provisione solvenda Monasterio pro alimonia, & pro vestibus, aliisque impensis, quæ sunt considerabiles pro manutentione Educandarum, quas decet incedere pari ornatu cum cæteris Puellis nobilibus in Monasterio existentibus, verùm etiam pro illis parare oportet Dotes cum acconcio, aliisque gravibus expensis in die Vestitionis, ac Professionis fieri solitis, ac assignare solitum Livellum, ut de similibus expensis, & Livello dixit *Rota in Romana Fideicommissi de Maximis super primis quatuor subrogationibus 18. Junii 1707. §. Quoad primam, & seqq. & 17. Decembris 1708. §. Procedentes enim, & seqq. coram Me.*

Et quamvis alter ex fratribus Patronis ingressus fuerit Oratorium Sancti Philippi Nerii Neapolis, quatuor verò filii, quibus gravatur alter frater, sint in tenera ætate; tamen Domini ponderarunt, quòd pro Presbyteris Oratorii Sancti Philippi requiritur solitum Livellum, ex cujus defectu non potuit adhuc dictus frater procedere ad ulteriora in susceptione Sacrorum Ordinum, ut de his præstationibus, seu Livellis pro Religiosis, *Rota decis. 671. num. 32. coram Merlino*; Filii verò alterius fratris, quamvis teneræ ætatis, requirunt tamen expensas considerabiles pro Nutrice, & Studiis, quę, crescente ętate, crescunt, & in dies augeri possunt per nativitatem aliorum filiorum, cum agatur de Uxore, & Viro in florida juventute existentibus, & sic quotidie redire oporteret ad Sacrum Tribunal pro augendis Alimentis istorum filiorum, prout auctâ Familiâ, & expensio augenda esset ut tradunt *Gratian. discept. 613. num. 23. Rota coram Mantic. decis. 331. num. 5.*

Cùm ergo in his terminis pro manutentione hujus numerosæ Familiæ, juxta ejus conditionem, & consuetudinem Re-20gionis, requiratur submministratio considerabilissimæ summæ, excomputatis etiam reditibus propriis ascenden. ad ducatos 138. vel paulò plus, ut fieri debere observat *Rota decis. 7. numer. 8. in fine, par. 13. Recent.* & è conversò non modica adhuc versaretur contentio inter partes super reditibus Beneficiorum, quos fratres Actores subsinebant ascendere ad ducatos 1900. Rector verò calculabat in solis ducatis 1300. istisque pro majori parte incertis, utpotè pendentibus ab exitu litis super prohibitione ferendi Orizam aliis Territoriis finitimis injuncta; hinc Domini crediderunt, optimum esse temperamentum, statuere certam, & invariabilem summam pro congrua Rectoris, & cæteros fructus assignare pro Alimentis Patronorum, quia sive dicti fructus ascendant ad summam prætensam à Patronis; sive consistant in ea tantùm, quam allegat Rector, semper erunt inferiores necessitati, quâ premuntur dicti Patroni, qui ulteriùs hoc modo subsunt periculo illorum diminutionis, & incertitudinis exitûs præfatæ litis: à quo è contra liber evadit Rector, qui per antipartem suam congruam detrahere debet, & quod reliquum est, sive plus, sive minus assignare Patronis, & tollitur etiam occasio novarum litium in casu diminutionis redituum, prout inevitabiles essent, si modò taxaretur certa summa Patronis in capita 21consignanda. In hac enim materia assignatio, & taxatio non habet certam regulam, sed remittitur arbitrio prudentis Judicis, ut dixit *Rota coram Pœnia decis. 661. n. 1. & coram Coccino decis. 1997. num. 8.*

22 Nec obstat, quod vigore istius temperamenti Rector de Domino fiat Alimentarius, & spolietur possessione Bonorum, in quorum administratione ex Sacrorum Canonum dispositione, Patroni nequaquam

quam se valent immiscere, ut perperam exclamabant Informantes pro Dominico; hoc siquidem erat solemne partis æquivocum, quia mens, & intentio Dominorum nunquam fuit, nec est cum dicto temperamento spoliandi Rectorem possessione Bonorum, nec illum ab eorumdem Bonorum administratione removendi, sed tantùm firmandi congruam certam, quæ debeat remanere libera, & immunis apud ipsum Rectorem: & loco Taxæ in quantitate pecuniaria assignandæ pro Alimentis Patronorum, statuendi residuum fructuum, qui supererant, deductis expensis necessariis, ac congruâ præfatâ; hoc autem modo Rector remanet Possessor, ut priùs, omnium redituum Beneficii, & de ejus manu capiendum est à Patronis dictum residuum fructuum, nec proinde dici potest, quod ipse efficiatur Alimentarius, cùm immo remaneat Dominus, ut priùs; & solùm distribuat fructus superfluos in substentationem Patronorum, quod nedum non repugnat dispositioni Juris, sed est illi conforme, cùm Alimenta Patronis sint assignanda de eo, quod supereat, deductâ congruâ Rectoris: nec in Jure præfinitum sit, quòd Alimenta Patronis sint assignanda potiùs in pecunia, quàm in fructibus, ut in durioribus terminis, quod possit Judex assignare Patrono pro ejus Alimentis etiam ipsas possessiones, reditus, & species Ecclesiæ tradit *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 10. num. 2. in fine*, *Ciarlin. controv. 209. num. 5.*

Potissimè dum per dictum temperamentum utrique parti consulitur, & resecatur occasio novarum litium, sive super certa quantitate redituum Beneficiorum, de quibus agitur, sive super illorum decremento in futurum contingere valente, ut animadvertit præterita Decisio §. *Ex hujusmodi temperamento, & seq.*

Et ita utraque &c.

R. P. D.

FALCONERIO

Salernitana Alimentorum Super Taxatione.

Veneris 16. Decembris 1712.

QUò magis, remisso omni Juris obice, stratam Domini invenerunt viam ad confirmationem sententiæ Rotalis super contemporaneo dubio in negotio principali, eò magis in asperam, & salebrosam, propter incursantes inter se facti difficultates, offenderunt in hoc altero dubio super Taxatione Alimentorum. Quapropter censuerunt confirmandam esse sententiam Rotalem juxta modum.

Pro comperto ferè apud omnes Dominos fuit habitum, quòd Patronis ex reditibus Ecclesiæ Patronalis superextantibus congruæ sustentationi Rectoris debeantur Alimenta, non quidem ad solam necessitatem, & ad suffragium tantùm Vitæ, sed ut modestè, & condecenter juxta gradum; & conditionem propriarum personarum vivere valeant, approbando in hac parte Conclusionem firmatam in decisionibus præteritâ Instantiâ super negotio principali 11. *Januarii* 1712. §. *De Jurepatronatus, & super Taxatione* §. 1. *& in altera* 20. *Junii sequentis*, §. *Non minùs coram R. P. D. meo Scotto Almæ*
23 *Urbis Gubernatore*; eâ ratione, quòd unusquisque alendus est secundùm Dignitatem suam, unde fit, Patrono Nobili pinguiora, & ampliora Alimenta, quàm ignobili præstanda esse ab Ecclesia, & in specie concludunt *Surd. de Aliment. tit. 4. quæst. 18. num. 15. Barbos. de Jure Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 218. in fine. Lagunez de Fructibus par. 1. cap. 32. §. 3. num. 86. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 3. num. 5. art. 6. num. 18. & artic. 11. num. 1.*

Nec obstare visum fuit, quod *Text. in cap. Nobis de Jurepatr.* hæc Alimenta Patronis decernat cum illo termino, *modestè*,

destè, quasi ad puram vitæ necessitatem
24respexerit; etenim juxta communem sententiam omnium Canonistarum, hoc verbum *Modestè* excludit quidem Alimenta sumptuosa, & excessiva, non autem illa, quæ sunt necessariò, & condecenter debita juxta statum, & qualitatem personæ, cùm Nobilis pro vivendo indigeat famulis, nec non cibis, & vestibus propriæ conditioni convenientibus, & originaliter docuit *Gloss. in dicto cap. Nobis in Verbo Modestè*, quam communiter secuti fuerunt omnes scribentes, & signanter *Abbas ibid. num. 6. Jo: Andr. num. 17. Butr. num. 22. Card. Zabarell. in § Pro fundatione num. 2.* qui etiam asserunt esse Patronis honorificè providendum, *Barbos. num. 11. Felin. in cap. Cum omnes num. 32. de Constit. Lambertin. de Jurepatr. dicto lib. 3. quæst. 3. art. 2. num. 9. art. 6. n. 18. & art. 11. num. 1.* plenissimè *Lagun. de Fruct. par. 1. cap. 32. §. 3. num. 67. & 87. Paulus de Cittadinis de Iurepatr. part. 6. art. 4. num. 15. Vers. Sic etiam puto. Rocc. de Curt. eodem tractatu in verbo. Et utile num. 4. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 6. num. 95. Gratian. discept. 552. numer. 12. Lotter. de Re benef. lib. 2. quæst. 5. numer. 32. 39. 4. & 99. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 1. §. 4. num. 24.* ubi testatur de communi sententia Doctorum, *Surd. de Alimentis tit. 1. quæst. 54. num. 8. & tit. 4. quæst. 18. num. 15. & seqq. Baera de Inop. Debitor. cap. 17. num. 70.* & resolutum fuit *in Regien. Alimentorum coram Pænia decis. 660. num. 11. & 12.* ubi
25 Rota ad hunc præcisum effectum considerat; quòd Patroni tunc dicantur pauperes, quotiescumque ex reditibus, & facultatibus, quas habent, secundùm conditionem suam modestè, & condecenter vivere non possunt, *& in decis. 691. num. 3. & 5.*

Hæc enim est differentia inter Alimenta, quæ petuntur per Patronum ab Ecclesia, ab illis, quæ petuntur per alios pauperes, quia etsi Ecclesia teneatur omnibus pauperibus subvenire, attamen Patronis tenetur providere abundantiùs, quàm aliis, & tantò magis Actoribus, qui quandoque fuerunt divites, & oriuntur ex nobili Familia de Capovasso *Gloss. in Can. Quicumque 16. quæst. 7. in verbo Et inopiam, Abb. in dicto cap. Nobis num. 6.* ubi assignat alteram differentiam, quod Patrono debeantur Alimenta Jure Actionis, aliis verò pauperibus implorato nobili Judicis officio, & concordant *Joan. de Anania num. 13. Io. Andr. num. 17. Zabarell. ubi supra, sub num. 2. vers. Patrono. Surd. de Aliment. tit. 1. quæst. 54. num. 8. Lambertin. lib. 1. part. 1. quæst. 3. art. 8. num. 9. Vers. Sicut in simili, & lib 3. quæst. 3. art. 2. num. 2. 3. & 6. & art. 3. num. 5. Lagunez de Fruct. par. 1. cap. 32. §. 3. num. 67.* & comprobat Conclusio,
26 quòd Alimenta ad puram necessitatem, tunc solùm præstantur, quando decernuntur miserationis causâ, uti eleemosina, & non uti Alimenta, secùs ubi competunt Jure Actionis, aut Juris naturalis intuitu, & in recompensationem Beneficii recepti, ut individuo, *Lagunez de Fruct. dicto §. 3. num. 67. Surd. de Alim. tit. 4. quæst. 18. num. 76. Salgad. in Labir. par. 1. cap. 24. num. 13. & 2.*

Unus idcircò ex Dominis hæc rationum momenta seriò perpendens stetit in sensu pro confirmatione simpliciter Rotalis sententiæ; sed tandem nec alienum se præbuit convenire cum aliis Dominis in aliquo augumento Summæ assignatæ Rectori, non quia sibi blandiebatur modum in sententia præfinitum impositurum esse optatum finem novis jurgiis, atque partium litibus, quibus heu nimis! Alimenta dietim præstabunt ad invicem collati Beneficii memoria, ingratique animi vitium. Sed quia, nec Hercules omnia renascentia Hydriæ Capita unico ictu amputavit, nec datum est nostræ Jurisprudentiæ omnia contingibilia ex tempore prævidere, & providere. E' contra verò aliorum mentem Dominorum contorserunt tot, tantæque difficultates, dubietatesque à præscripto modo obortæ, nempe assignandi ducatos 300. Rectori, & in capita distribuendi reliquos fructus Patronis cum Jure accrescendi favore Rectoris in casu obitûs alicujus ex Alimentariis, quoniam dicta resolutio non videbatur congruere qualitati, & naturæ Judicii, in quo agitur de taxandis Alimentis à Patronis petitis, & ordine inverso fuit taxata congrua Rectoris in ducatis 300. cæterique fructus Beneficii fuerunt assignati Alimentariis,

tariis, quod tantummodo fieri solet in longè diverso casu, in quo Rector agat pro sua congrua contra Pensionarios.

Nec ulterior deficit amaritudo in scrutando prædictum modum non extinguere, sed novas gignere dissensiones, cùm sub fine cujuslibet anni in casu diminutionis, vel augumenti redituum recentes suscitarentur controversiæ super certâ quantitate fructuum, qui deductâ congrua assignata Rectori pro Alimentariis superfuissent.

Prout pariter majores advertebant Domini progerminare posse altercationes in casu Juris accrescendi per obitum alicujus ex Alimentariis ob incertam portionem quolibet anno unicuique tangentem: præsertim quia adhuc non fuit in claris positum, quanti verè reddat Beneficium, nam pro parte Rectoris asserebatur illius fructus ascendere ad Ducatos 1300. & pro parte Patronorum augebantur reditus usque ad Ducatos 1900. & insuper sub involucro incertitudinis pariter velabantur reditus bonorum Patrimonialium ipsorum Patronorum, dum ex testium depositionibus constabat eos deductis oneribus ascendere ad ducatos 138. Rector autem omnibus oneribus, & debitis deductis, promptum, & paratum se offerebat illa recipere ad locationem perpetuam, & tradere Cedulam Bancariam pro annuis ducatis 380.

Non sanè minores scopulos Domini transfretarunt ad præscribendum numerum personarum alendarum: Quippe quia tametsi nulla fuisset inter partes discrepantia, omnes ascendere ad numerum viginti quatuor personarum, tamen inter istos numerabantur quatuor Famuli, duæ Fœminæ innuptæ, & infirmæ domi degentes, tres aliæ in educationem retentæ in Monasterio, quatuor Filii Josephi Infantes, & Pupilli, Dominicus, qui condecenter prætendebatur per Dominicum ali in Congregatione Oratorii Neapolis, Isabella Mater, & Franciscа Uxor Josephi, quibus non controvertebantur Alimenta, sed credebat idem Dominicus earum Dotes esse conferendas: Tres Filii naturales, quorum unus asserebatur adscriptus Militiæ Principis exteri.

27 Quibus non obstantibus, convenerunt nihilominus Domini, posthabitis quatuor famulis, dum quotiescumque assignantur Alimenta Dominis tamquam nobilibus, isti tenentur solvere salarium eorum Famulis, atque statuerunt numerum alendorum ad viginti personas, inter quas comprehenderunt naturales, vel quia si directè non valerent petere Alimenta, saltem faciunt numerum ad ea taxanda ex speciali doctrina *Lambert. de Iurepatr. lib. 3. quæst. 3. art. 6. num. 14.* vel quia possunt esse Patroni, stante quod agitur de Patronatu reservato pro illis de Familia, agnatione, & domo, inter quos comprehenduntur etiam Naturales *R. P. D. meus Ansaldus in annot. ad decis. 100. num. 72. & 73. Rota in Mediolanen. Archipresbyteratus 7. Ianuarii 1710. §. Non adversante cum seqq. coram Me.*

Ex oppositò considerato, quod in Civitate Salerni ducati 40. sufficiant pro Patrimonio Sacro Clericorum, & vivente Patre, adeò numerosa Familia congrua recepit Alimenta cum sola annua Pensione ducatorum 24. quam ille sibi reservaverat in Resignatione hujus Beneficii facta ad favorem Dominici; Domini modum explicando ita dixerunt: *Convenimus, quod dentur à Titulari Ducati 550. ex fructibus Beneficii, dummodò ex bonis Patrimonialibus habeant illi de Capovassis Ducat. 380. pro qua quantitate Titularis offerebat Cedulam Bancariam: Et quatenus ad tantam quantitatem non ascendant, Domini sunt parati augere usque ad eamdem quantitatem ex cæteris fructibus Beneficii; Quo verò ad casum obitûs Patronorum Domini ad resecandas ulteriores discussiones dixerunt, quod in casu cujuslibet morientis, accrescant Beneficiato annui Ducati quadraginta: Et è contra in casu Nativitatis aliorum Patronorum accrescant Patronis alii Ducati similes quadraginta subministrandi per Beneficiatum.*

Et itaque utraque &c.

AR-

ARGUMENTUM.

Defuncto uno ex tribus Patronis Egenis, an portio ei assignata pro Alimentis sit æqualiter inter Superstites dividenda?

SUMMARIUM.

1 *Portio Alimentorum Patroni Egeni Defuncti non accrescit aliis Patronis Egenis, si fuerint eis assignata Alimenta sufficientia; secùs si non fuerint assignata sufficientia Alimenta, ut numer.* 3. *intellige, ut num.* 7.

2 *Alimenta non sunt multiplicabilia, & sunt naturaliter taxata, & limitata.*

4 *Juspatronatus quoad ejus substantiam non admittit Jus accrescendi, secus quoad ejus fructus.*

5 *Defuncto uno ex Canonicis portio distributionum illius accrescit aliis.*

6 *Alimenta non multiplicantur, nec dicitur augeri naturalis taxatio, si portio Alimentorum Defuncti accrescat Patronis Superstitibus, non sufficienter alitis per Ecclesiam.*

CASUS V.

ASsignatis Alimentis per Ecclesiam Patronalem tribus Patronis Egenis, unus ex eis ab hac vita migravit, quæritur, an hujus portio Alimentorum accrescat aliis Patronis Egenis Superstitibus?

1 In hac quæstione procedendum est cum ea distinctione, quam in Superiori proximo Casu tradidi num. 13. Aut enim ab Ecclesia Patronali fuerunt assignata unicuique ex dictis Patronis Alimenta integra, seu sufficientia, non solùm ad simplicem vitæ substentationem, verùm etiam ad substentationem condecentem juxta eorum statum, & conditionem, & tunc portio Alimentorum Patroni Egeni Defuncti non accrescit aliis duobus Patronis Superstitibus, sed revertitur ad Ecclesiam Patronalem ad *Text. in l. Dominus ff. de Usufructu*, ibi: *Per fideicommissum fructu prædiorum ob Alimenta libertis relicto, partium emolumentum ex persona vita decedentium ad Dominum*

2 *proprietatis recurrit*. Ea ratione, quia Alimenta non sunt multiplicabilia, & quia sunt naturaliter taxata, & limitata, ubi enim quis est sufficienter alitus, non potest iterùm ali; si ergo illi duo Patroni Superstites habent sufficientia Alimenta, non est cur ipsis accrescere debeat portio Defuncti, & sumptuosa, ac superflua Alimenta assignari, contra dispositionem hujus Canonis *Quicumque*, juxta quam modestè, & non sumptuosè, ac superfluè alendus est Patronus, ut optimè in terminis libertorum expendit hanc rationem, *Gloss. in dicta l. Dominus, verb. Recurrit* ibi: *Si ergò Conliberti Alimenta habeant nihil est, undè quærantur. Bartol. in l. Re conjuncti ff. de Legat. num.* 42. *Bald. in dicta L. Dominus* §. 1. *in fine. Abbas cons.* 78. *in fine*.

Si verò Alimenta non fuerint assignata
3 ab Ecclesia Patronali præfatis Patronis sufficienter, vel ad simplicem, vel ad condecentem eorum vitæ substentationem, ob deficientiam redituum superexcedentium, in hoc casu censeo portionem Patroni Defuncti accrescere aliis duobus superstitibus. *Ratio est*, quia licet Juspa-
4 tronatus, quoad ejus substantiam non admittat, nec jus accrescendi, nec jus non decrescendi, utpotè individuum, tamen quoad ejus fructus, utpotè dividuum, est capax juris accrescendi. Sic competente Jurepatronatus pluribus Patronis, uno ex eis Defuncto, jus præsentandi, nec jus defendendi Ecclesiam, quæ sunt ejusdem Jurispatronatus fructus, accrescunt Superstitibus. *Bald. cons.* 280. *num.* 1. *volum.* 3. *Card. de Luc. de Benef. disc.* 23. *num.* 9. *Bellon. de Jur. accrescen. c.* 6. *quæst.* 48. *num.* 5. *& seqq. Fattinell. respons.* 110. *num.* 55. *Rot. decis.* 47. *numer.* 12. *post Tambur. de pens.* Ergo etiam Defuncto tertio Patrono, jus, seu portio hujus Alimentorum, quæ est alter fructus Jurispatronatus, accrescet aliis duobus Patronis Superstitibus, non sufficienter alitis per Ecclesiam, ob defectum redituum, & inserviet pro sufficienti, & congrua substentatione illorum, ad instar trium accumbentium in unica mensa, habentes cibos insufficientes omnibus, quorum

unus si deficiat illi cibi, qui insufficienter serviebant tribus, sufficienter deservient duobus, & ad instar fructuum, seu distributionum massæ alicujus Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ dividendæ inter tres Canonicos, quorum unus si decedat, hujus portio accrescit aliis, & denique ad instar Jurisdictionis ordinariæ pluribus demandatæ, quorum unus si deficiat, habet locum inter Superstites jus accrescendi, *L. unic. versic. Sanè ff. de offic. cons. L. Imperatores 21. ff. Si magistratus. Bellon. de Iur. accresc. cap. 6. quæst. 50. num. 1.*

Non obstant rationes superiùs adductæ, nimirùm quod Alimenta non sint multiplicabilia; nam assignando portionem Alimentorum Defuncti Patroni Superstitibus, Alimenta non multiplicantur, sed quæ diminuta præstabantur, eo augumento supplentur, & ad integritatem redigunter. Cessat etiam alia ratio videlicet, quod Alimenta sint naturaliter taxata, quia per jus accrescendi non augetur naturalis illa taxatio, sed imperfecta Alimentorum taxatio facta per Ecclesiam Patronalem ob defectum redituum reducitur ad naturalem, & congruam taxationem juxta doctrinam, *Surd. de Aliment. quæst. 5. tit. 9. num. 27.*

7 Quæ tamen omnia intellige procedere in Jurepatronatûs Gentilitio, aut etiam in hæreditario, casu, quo ille tertius Patronus Defunctus nullum haberet hæredem, si enim ageretur de Jurepatronatûs hæreditario, & ille tertius Patronus instituisset hæredem aliquem extraneum, qui esset in eodem statu inopiæ, ejus portio Alimentorum non accresceret illis Patronis Superstitibus, sed transiret ad hæredem extraneum, inopem, sicuti ad eum transiret jus præsentandi, & jus defendendi Ecclesiam juxta firmata in superiori Casu III.

ARGUMENTUM.

Fundator an possit dotare Ecclesiam de Bonis Emphyteuticis?

SUMMARIUM.

1 *Refertur sententia Pauli de Cittadinis.*
2 *Emphyteusis quæ, & quotuplex sit?*
3 *Ecclesia, seu Beneficium dotari non potest de Bonis Emphyteuticis Laicalibus ex pacto, & providentia, aut mixtis, aut temporalibus, sed limita, ut num. 4.*
5 *Nec de Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis ex pacto, & providentia, aut mixtis, aut temporalibus amplia, ut num. 6. & 7.*
8 *Ecclesia, seu Beneficium dotari potest de Bonis Emphyteuticis Laicalibus merè hæreditariis perpetuis.*
9 *An autem dotari possit de Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis merè hæreditariis, & transitoriis, ad quoscumque hæredes, vide ibi.*
10 *Bona Emphyteutica transeunt in Monasterium capax possidendi ex persona Professi.*
11 *Ecclesia fundari, & ædificari potest de Bonis Emphyteuticis merè hæreditariis.*
12 *Dos Ecclesiæ, quo sensu debeat esse immunis ab omni tributo?*
13 *Ecclesia an possit dotari de Bonis Emphyteuticis merè hæreditariis, quando in Investitura adest prohibitio alienandi in manus mortuas?*

CASUS VI.

QUidam Testator in ejus ultimo, quo decessit elogio, disposuit, ut ab ejus hæredibus dotaretur Beneficium, seu Ecclesia ab eis de novo construenda de quibusdam Bonis Emphyteuticis sufficientibus, deducto Canone solui solito Domino directo, tam pro substentatione Rectoris, quam pro omnibus aliis necessariis ejusdem Ecclesiæ; quæritur an hæc dotari possit de hujusmodi Bonis?

Affirmat *Paulus de Cittadin. de Jure-*
1 *patr. par. 3. caus. 2. num. 21.* dummodò interveniat consensus Domini, & sine hujus præjudicio ibi: An autem possit dos constitui de Bonis Emphyteuticis, dico, quod sic, dum Domini consensus interveniat,

veniat, vel sine ejus præjudicio: Sed hæc propositio Pauli absolutè, & simpliciter non mihi videtur veritati consona. Ut autem intelligatur, quo sensu ipsa procedere possit, & quomodò præfata quæstio sit resolvenda, præsupponendum duxi divisionem Emphyteusis.

Plures itaque sunt species Emphyteusis;
2 alia est enim Laicalis, quando scilicet conceditur à Laico, & alia Ecclesiastica, quando conceditur ab Ecclesia; & utraque alia est hæreditaria, & est illa, quam acquirens stipulatus est pro se, & hæredibus quibuscumque, vel pro se, & quibus dederit, vel pro se, & hæredibus, vel cùm clausula: ad habendum: Ac de ea facien. & disponen. ad libitum voluntatis; quæ æquipollet clausulæ: Et quibus dederit, & operatur, ut Emphyteusis sit transitoria ad hæredes extraneos juxta *Curt. Jun. cons.* 4. *num.* 1. *Gratian. discept.* 481. *num.* 58. *Card. de Luca de Emphyt. disc.* 49. *num.* 5. *& disc.* 28. *num.* 6. *Rota decis.* 268. *num.* 4. *par.* 12. *& decis.* 280. *num.* 1. *&* 642. *num.* 4. *& decis.* 377. *n.* 3. *par.* 14. *& decis.* 546. *num.* 5. *par.* 19. *& decis.* 293. *num.* 2. *&* 14. *coram Cavaler.* Alia ex pacto, & providentia, & est illa, quam acquirens stipulatus est pro se, & filiis, vel pro se, & descendentibus, nulla facta mentione hæredum. Et alia *mixta*, & est illa, quam acquirens stipulatus est pro filiis, & hæredibus, seu quæ requirit qualitatem sanguinis, & hæreditatis. Insuper utraque Emphyteusis nimirùm Laicalis, & Ecclesiastica potest esse perpetua, aut temporalis ad certum determinatum tempus. Et ex titulo oneroso, quandò ab initio stipulationis soluta fuit certa quantitas, & deinde solvitur Canon, aut ex titulo lucrativo, quando solùm solvitur Canon, *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de Contract. Emphyt. quæst.* 1. *Valasc. de Jure Emphyt. quæst.* 40. *num.* 27. *Sabell. Summ. diverf. verb. Emphyteusis num.* 1.

3 Præsuppositа hujusmodi specierum Emphyteusis notitia, descendendo ad quæstionem censeo Ecclesiam, seu Beneficium dotari non posse ab Emphyteuta de Bonis Emphyteuticis Laicalibus ex pacto, & providentia, aut mixtis, aut temporalibus, seu ad tempus concessis. Ratio est, quia de ratione dotis Ecclesiæ, aut Beneficii Ecclesiastici est, quod sit perpetua. *Paulus de Cittadin. de Jurepatr. par.* 3. *cauf.* 2. *num.* 21. Si Emphyteuta dotaret Ecclesiam de Bonis Emphyteuticis Laicalibus ex pacto, & providentia, aut mixtis, aut ad tempus concessis dos Ecclesiæ non esset perpetua, sed tam diu duraret, quamdiu permaneret in vita ipsemet Emphyteuta dotans, dum eo mortuo Bona reverterentur ad comprehensas in Investitura, *Fulgin. de Jure Emphyt. de alien. quæst.* 1. *num.* 267. *Corbul. de Emphyt. tit. de Cauf. privat. ab alien. lib.* 1. *limit.* 20. *num.* 4. *Rota decis.* 55. *num.* 30. *part.* 10. Et consequenter Bona Laicalia Emphyteutica ex pacto, & providentia, aut mixta, aut ad tempus concessa constitui non possunt pro dote Ecclesiæ, & Beneficii Ecclesiastici; etiam de consensu Domini directi, quandò adsunt alii in Investitura comprehensi; quia hujusmodi Emphyteuta non potest alienare Bona Emphyteutica ex pacto, & providentia, aut mixta in præjudicium Vocatorum. Nec Dominus directus potest privare, & spoliare vocatos in Investitura, quando ab istis solvitur Canon, & servantur omnia pacta in limine concessionis Bonorum in Emphyteusim ex pacto, & providentia, aut in mixtam appositа. *Rota decis.* 211. *numer.* 2. *part.* 6. *& decis.* 55. *numer.* 9. *par.* 10.

Nisi idem Emphyteuta habeat facultа-
4 tem ex ipsa lege investituræ præjudicandi in ea comprehensis, aut nisi sit primus acquirens, & habeat comprehensos in sua potestate, & quidem nisi sit primus acquirens ex causa onerosa. Si enim ex lege investituræ habet facultatem præjudicandi comprehensis, & sit primus acquirens ex causa onerosa, ac comprehensi sint in ejus potestate; potest de dictis Bonis Emphyteuticis dotare Ecclesiam cum consensu Domini directi, & sine hujus præjudicio. Secùs si sit primus acquirens ex causa lucrativa. Ratio diversitatis est, quia in causa onerosa comprehensi dicuntur habere Bona illa à primo acquirente; sed in causa lucrativa illa recipiunt ex liberalitate Domini directi, & ex propria persona tanquàm ad illa vocati sub nomine collectivo filiorum, vel descenden-

tium, & ideò Emphyteuta primus acquirens in primo casu de consensu Domini directi potest dotare Ecclesiam de hujusmodi Bonis Emphyteuticis, secùs in secundo Casu, quia in primo Casu potest, in secundo verò non valet in Investitura compræhensis præjudicare. *Bald. in auth. Si quas ruinas num. 5. versic. Secunda ratio, & num. 6. cap. de Sacros. Eccles. Marescott. var. resolut. lib. 1. cap. 74. num. 3. & seqq. Fulgin. de Jur. Emphyt. quæst. 1. num. 263. in fine. Gratian. discept. 405. num. 1. & seqq. Adden. ad Gregor. decis. 529. num. 23. Rota decis. 55. num. 12. part. 5. & decis. 55. num. 31. part. 10.*

5 Nec dotari potest Ecclesia, seu Beneficium Ecclesiasticum ab Emphyteuta de Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis ex pacto, & providentia, aut temporalibus ad tertiam generationem, aut concessis mixtis ex rationibus superiùs adductis. Et
6 quidem nec potest dotari Ecclesia de hujusmodi Bonis, etiamsi Emphyteusis Ecclesiastica fuisset concessa pro hæredibus, & successoribus, quia intelligeretur concessa pro solis hæredibus sanguinis, & descendentibus ab ipsis Investitis juxta *Imol. in l. Quod dicitur ff. de verb. Obligat. Bero cons. 93. num. 1. volum. 1. Card. de Luca de Emphyt. disc. 28. num. 2. Rota decis. 211. num. 3. & 4. par. 6. & decis. 427. num. 10. par. 9.*

7 Immò etiamsi Emphyteusis Ecclesiastica esset concessa cum clausulis, quibus dederit &c. ad habendum &c. in perpetuum &c. adhuc non posset dotari Ecclesia de dictis Bonis, si in Investitura adesset prohibitio, & pactum illa non alienandi; Licèt enim præfatæ clausulæ ita afficiant substantiam Emphyteusis, ut illam de Emphyteusi ex pacto, & providentia transfundant in hæreditariam ex superiùs deductis §. *Plures*. Tamen quandò adest in Investitura prohibitio, & pactum non alienandi, illæ clausulæ non habent vim transfundendi Emphyteusim ex pacto, & providentia in hæreditariam, sed vigore prohibitionis alienandi coarctantur, & restringuntur inter personas compræhensas, & descendentes, itaut tribuere solùm possint facultatem alienandi inter illas, secus in extraneos *Dec. cons. 171. sub numer. 3. Gratian. discept. for. 344. num. 11. Rota decis. 427. num. 11. & seqq. part. 9. tom. 2. & decis. 211. num. 7. & seqq. par. 6. Recent.* ac proinde cum Emphyteuta Ecclesiasticus ex pacto, & providentia non possit præjudicare compræhensis in Investitura Emphyteusis Ecclesiasticæ, præcipuè quando adsit prohibitio alienandi Bona Emphyteutica, & cùm extinctis omnibus compræhensis Bona Emphyteutica revertantur ad Ecclesiam, sequitur, quod in his Bonis non possit constitui dos Ecclesiæ, quia dos in his Bonis constituta non esset perpetua. *Beron. cons. 93. num. 56. volum. 1. Rota decis. 427. num. 9. par. 9. Recent.*

8 Potest tamen Emphyteuta dotare Ecclesiam, seu Beneficium Ecclesiasticum de consensu Domini directi, & sine hujus præjudicio de Bonis Emphyteuticis Laicalibus hæreditariis perpetuis; Dos enim Ecclesiæ in his Bonis constituta esset perpetua, nec soluto ab Ecclesia sic dotata consueto Canone, adesset ullum præjudicium Patroni directi; Emphyteusis namque perpetua hæreditaria Laicalis, sicuti est ad omnes etiam extraneos transitoria, ita poterit transire ad Ecclesiam titulo dotis. *Rota decis. 211. num. 1. par. 6. & decis. 268. num. 16. par. 12. & decis. 293. num. 4. coram Cavaler.*

9 An autem dotari possit Ecclesia, seu Beneficium Ecclesiasticum de Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis merè hæreditariis, & transitoriis ad quoscumque hæredes? Videtur respondendum negativè, quia Emphyteusis Ecclesiastica de Jure prohibita est transferri in aliam Ecclesiam, & Loca Pia, seu in manus mortuas, ea ratione, quia cum Ecclesia non alienet, & nunquam moriatur, non esset spes nec devolutionis, nec laudemii juxta *Gloss. in cap. Potuit verb. prohibeatur de Locat. ibique Abb. num. 10. Rota decis. 211. num. 21. & seqq. part. 6. & decis. 427. num. 27. part. 9. tom. 2. & decis. 520. num. 11. ibique Adden. num. 14. & decis. 529. num. 15. coram Greg. & decis. 583. num. 22. & 25. coram Merlin.*

Hodie tamen contrarium servatur, ubi agitur de Emphyteusi Ecclesiastica, aut Laicali merè hæreditaria, ista enim transferri potest in Ecclesiam, seu manus mortuas,

tuas, ut docent *Beron. conf. 93. num. 5. volum. 1. Gratian. discept. 481. num. 62. Fulgin. de Jur. Emphyteut. tit. de alienat. quæst. 1. num. 221. in fine. Rota decis. 261. num. 7. par. 1. & decis. 394. num. 6. coram Buratt.* Quia ut optimè respondit *Card. de Luca de Emphyt. disc. 28. num. 6. & seq.* Cessat in Emphyteusi merè hæreditaria ratio prohibitionis legis, sive attendatur ratio potentiæ, sive ammissæ spei devolutionis, & laudemii, respectu enim potentiæ, certum est, illam esse minorem in Ecclesiis, & Locis Piis, qui sunt facilioris exactionis, quàm in aliis privatis; respectu verò ammissæ spei devolutionis, hæc non convenit Emphyteusi merè hæreditariæ, & transitoriæ ad quoscumque hæredes, sed solùm Emphyteusi ex pacto, & providentia, aut temporali; respectu verò præjudicii Laudemiorum, hoc compensatur cum solutione quindenniorum, itaut Ecclesia dotata de istis Bonis Emphyteuticis Ecclesiasticis merè hæreditariis tenebitur solvere Ecclesiæ Patronæ directæ quindennia ex auctoritatibus ab eodem Cardinali de Luca ubi suprà deductis.

Quod comprobatur paritate, nam Bona
10 Emphyteutica, sive Ecclesiastica, sive Laicalia merè hæreditaria transeunt perpetuò, & irrevocabiliter in Monasterium capax possidendi ex persona Professi juxtà *Corbul. de Emphyt. tit. de Caus. privat. ob mortem Civil. num. 20. Fulgin. de Jure Emphyt. tit. de Succes. quæst. 14. num. 12. Gratian. discept. 481. num. 61. Rota decis. 394. num. 5. ibique Adden. num. 11. Adden. ad Gregor. decis. 520. num. 14.* Insuper Ecclesia fundari, & ædificari po-
11 test de Bonis Emphyteuticis merè hæreditariis, *Rota decis. 474. per tot. part. 9. tom. 2. Recent.* & superiùs notavi Canone I. & II. Cas. III. & IV. Ergo etiam eadem Bona Emphyteutica transire poterunt perpetuo, & irrevocabiliter in Ecclesiam titulo dotis, seu illa dotari poterit de hujusmodi Bonis.

Non obstat, quod dos Ecclesiæ debeat
12 esse immunis ab omni tributo ad *Text. in Cap. 1. de Censibus, ibique gloss.* & consequenter adesset maximum præjudicium Patroni directi, si dos constitueretur in his Bonis Emphyteuticis, dum Ecclesia sic dotata non teneretur, nec ad laudemia, nec ad quindennia; Quoniam præfatus Textus intelligitur de Tributis, quæ solvuntur Laicis in recognitionem jurisdictionis temporalis, non verò de tributis, seu oneribus certis, & infixis ipsis Bonis, hæc enim transeunt cum suis oneribus, itaut etiam si sint assignata Ecclesiæ in ipsa fundatione, si primo erant tributaria, non per hoc debet ille, cui erunt tributaria, privari jure suo, maximè si sit Ecclesia, aut Locus Pius, dum non implicat Ecclesiam esse censuariam, & tributariam alterius Ecclesiæ onere reali, juxta *Gloss. in dicto Cap. 1. de Censibus verb. Ullo servitio, & verb. præter Ecclesiasticum. Rota dicta decis. 474. num. 25. & seqq. part. 9. tom. 2. recent.*

13 Sed si in Investitura Emphyteusis merè hæreditariæ perpetuæ, sive Laicalis, sive Ecclesiasticæ esset pactum, seu prohibitio alienandi Bona in Ecclesias, seu manus mortuas, an tunc posset dotari Ecclesia de hujusmodi Bonis Emphyteuticis merè hæreditariis? Respondent aliqui in casu hujus pacti, & prohibitionis posse transferri præfata Bona in Ecclesias, seu manus mortuas, saltem titulo universali, quia pactum illud, seu prohibitio intelligitur de alienatione particulari ipsius Emphyteusis, seù nomine Ecclesiæ, seu manus mortuæ, non autem de successione universali omnium Bonorum. *Corbul. de Emphyt. tit. de Caus. privat. ob mort. Civ. num. 11. in fin. Fulgin. de Jure Emphyt. tit. de succes. quæst. 14. num. 12.*

Respondent verò alii, & quidem meo judicio meliùs, quod in Casu prædicti pacti, seu prohibitionis non posse Bona Emphyteutica merè hæreditaria, nec titulo particulari, nec universali transferri in manus mortuas, quia prohibitio hominis resistit principio acquisitionis, ut optimè tuentur *Card. de Luca de Emphyt. disc. 27. num. 4. & disc. 28. num. 9. & disc. 48. n. 3. Andreol. contr. 378. n. 7. Palmanep. dec. 376. num. 37. Rota decis. 583. num. 21. coram Merlin. & decis. 449. coràm Priol. & decis. 209. num. 16. par. 10. & decis. 26. n. 9. part. 17.* Et consequenter quandò aderit pactum, & prohibitio alienandi, non poterit Ecclesia dotari, nec de Bonis Emphyteuticis merè hæreditariis.

AR-

ARGUMENTUM.

Tradens pro dote Ecclesiæ Parochialis quædam Bona insufficientia pro substentatione Rectoris non acquirit Juspatronatus; Sed si alius suppleat defectum dotis, ambo insolidum erunt Patroni.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus acquiritur ratione dotis, dummodò hæc sit sufficiens prò omnibus necessariis Ecclesiæ, secus si sit insufficiens. Intellige ut num. 3.*
2 *Supplens defectum dotis de consensu dotantis acquirit una cum eo Juspatronatus.*
3 *Ratione dotationis plures possunt esse Patroni.*
4 *Dos Ecclesiæ, ex quibus Bonis constitui debeat.*
5 *Dos debet esse perpetua.*
6 *Dos Ecclesiæ an constitui possit ex Bonis Emphyteuticis, & feudalibus.*
7 *Dos Ecclesiæ, quibus modis constitui possit?*
8 *Episcopus tenetur providere Clerico ordinato absque titulo, sed intellige, ut num. 12.*
9 *Fundator an teneatur dotare Ecclesiam, quam Episcopus contrà dispositionem Juris consecravit indotatam. Et quid si Fundator non sit solvendo? num. 10.*
11 *Fundans Ecclesiam tacitè se obligat ad illam dotandam.*

CASUS VII.

TItius dedit Ecclesiæ Parochiali prò dote quædam Bona, quorum fructus licèt essent sufficientes pro luminaribus, & aliis ornamentis Ecclesiæ, tamen erant insufficientes pro substentatione Rectoris; Quæritur, An acquisiverit ratione hujus collationis Bonorum Juspatronatus?

Et videtur respondendum affirmativè, quia *Text. in supradicto Cap. Quicumque* concedit Iuspatronatus indistinctè omnibus conferentibus Ecclesiæ aliquid de facultatibus propriis. Sed tamen resolutio negativa de Iure est verior; quia licet Textus concedat Iuspatronatus conferentibus Ecclesiæ aliquid de facultatibus propriis; Id tamen, quod confertur debet esse tale, ut sufficiat pro omnibus necessariis Ecclesiæ, ut vult *Gloss. in dicto Cap. in verb. aliquid Abb. in Cap. ad audientiam de Eccl. ædific. Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 5. art. 12. Rota decis. 521. par. 2. recent.* Itaut si sit insufficiens, potiùs dicitur Benefactor, quàm Dotator *Lotter. de re Benef. qu. 31. num. 3. Vivian. de Jurepat. lib. 2. cap. 4. num. 18.* 1

Benè verum est, quod si alius de consensu Titii suppleat defectum dotis, conferendo Ecclesiæ alia Bona propria, quæ simul sumpta sint sufficientia pro omnibus necessariis Ecclesiæ, tunc Titius erit insolidum Patronus simul cum illo alio ratione dotationis; Sicuti sunt ambo insolidum Patroni illi, quorum unus dedit Bona prò dote Ecclesiæ sufficientia solùm pro substentatione Rectoris, alius verò dedit alia Bona prò Luminaribus, & ornamentis ejusdem Ecclesiæ; Quia *Text. in dicto Cap. Quicumque* concedit Iuspatronatus dotantibus Ecclesiam, non distinguendo si sit unus, vel plures; Ergò si sunt plures, sive æqualiter, sive inæqualiter contulerint, omnes erunt Patroni insolidum ratione dotationis, dummodò ea, quæ contulerint, conjunctim sumpta sint sufficientia pro dote Ecclesiæ. Ita *Abb. in cap. 3. de Eccl. ædifican. Lambert. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 3. art. 5. Roch. de Curt. eodem tract. in verb. Et dotavit quæst. 11.* 2 3

Hæc tamen procedunt in Beneficiis Curatis, & residentialibus; In Beneficiis enim simplicibus, & non residentialibus, acquiri potest Iuspatronatus, etiam ratione dotationis, quæ sit insufficiens pro substentatione Beneficiati; dum passim videmus esse plura Beneficia simplicia patronalia parvi reditus, & insufficientis ad Beneficiati substentationem. *Rocch. de Curt. de Jurepatr. in verb. & dotavit quæst. 7. Fontanell. eodem tract. lib. 6. quæst. 21. num. 6.*

Dos

4 Dos autem Ecclesiæ constitui debet de Bonis partim mobilibus, & partim immobilibus; quia dos Ecclesiæ juxta *Text. in cap. Nemo de Consecr. dist.* 1. consistere debet in necessariis pro Luminaribus, & ornamentis Ecclesiæ; quæ sunt mobilia, scilicet Cruces, Candelabra, Calices, Patenæ, Vestes, & Paramenta; & in necessariis pro substentatione Rectoris, quæ debent esse immobilia; quia si essent mobilia, citò consumerentur, & nihil de eis remaneret pro successore, quod est contra rationem dotis, quæ
5 debet esse perpetua juxta *Text. in cap. Per vestras de Donat. inter Vir, & Uxor.*

De rebus Emphyteuticis, & feudali-
6 libus non potest constitui dos Ecclesiæ ab Emphyteuta, & Feudatario absque consensu Domini Directi, quia Emphyteuta, & Feudatarius non possunt transferre in alium rem Emphyteuticam, & Feudalem sine consensu Domini Directi, per *Text. in Can. Potuit de Locat.* De consensu autem Domini Directi potest constitui dos in dictis Bonis, & tunc si Dominus Directus retineat Dominium Directum supra illa Bona, solus Emphyteuta, aut Feudatarius erit Patronus; si autem dat Dominium Directum Ecclesiæ ratione dotis, tunc tam ipse, quam Dominus utilis erunt Patroni in solidum ratione Dotationis per supradictum *Text. in Canon. Quicumque*, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *art.* 2. 4. *& 6.*

Quibus autem modis possit quis con-
7 stituere dotem Ecclesiæ? Præsupponendum est *Text. in ff. de Jur. Dot.* Ponere sex modos, quibus constitui potest dos mulieri; nimirùm *Pollicitatione*, quandò scilicet promittitur dos nulla præcedente interrogatione; *Stipulatione*, quandò dos constituitur per publicum Instrumentum; *Traditione*, *Acceptilatione*, nam si quis est mulieri debitor, potest mulier contracto cum eo matrimonio dicere: Id quòd mihi debes, accepta feriò nomine Dotis. *Remissione debiti*; nulla præcedente acceptilatione, *Delegatione Debitoris*, quandò E. G. Titius est debitor mulieris, & hæc contrahens matrimonium cum Cajo delegat ipsi Cajo debitum Titii nomine Dotis.

Hoc præsuppositio dico, dotem Ecclesiæ constitui posse Pollicitatione, aut Stipulatione, aut Traditione, & quidem in actu ipso Fundationis Ecclesiæ juxta *Text. in cap. Nemo de Consecrat. distinct.* 1. *ibique Archidiacon. in verb. Prædefiniat.*

Non potest tamen constitui dos Ecclesiæ Acceptilatione, vel remissione debiti, quia ad constituendam dotem Ecclesiæ requiritur, quod tradat, vel se obliget quis ad tradendam dotem juxta *Text. in cap. Nemo de Consecr. distinct.* 1. Qui constituit dotem Acceptilatione, vel remissione debiti non se obligat ad tradendam, nec tradit dotem, immò se liberat ad obligatione; ergo non potest constitui dos Ecclesiæ Acceptilatione, vel remissione debiti, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 5. *art.* 7. Delegatione autem Debitoris potest constitui dos Ecclesiæ E. G. Si aliquis est debitor Fundatoris, Fundator potest delegare debitum illius pro dote Ecclesiæ, dummodò debitor sit solvendo.

Sed supponamus, quòd Debitor non sit solvendo, & Episcopus admiserit hujusmodi delegationem Debitoris pro dote Ecclesiæ; illamque sic indotatam consecraverit; in hoc Casu quis tenebitur illam dotare?

Et videtur, quod Episcopus teneatur dotare Ecclesiam, quam consecravit indotatam, & in defectum Episcopi teneatur ipse Fundator, itaut actio pro constituenda dote priùs debeat esse contra Episcopum, quàm contra Fundatorem: ita tenet *Gloss. in cap. Cum sicut de Consecrat. Eccl. vel Altar. in verb. Consecrand. propè finem*; & moventur argumento à
8 Pari; Episcopus tenetur providere Clerico ordinato absque titulo, & non Pater Clerici juxta *Text. in cap. Cum secundùm de Præben.* ergo à Pari; Episcopus tenebitur dotare Ecclesiam consecratam absque assignatione dotis, & non ejus Fundator.

Contraria verò sententia verior, &
9 communior est scilicet, quod Fundator teneatur dotare Ecclesiam, quam Episcopus contra dispositionem Juris consecravit indotatam. Immò etiam hæredes Fundatoris tenentur dotare Ecclesiam consecratam indotatam, sed cùm ista obli-

obligatio provenerit ex mera liberalitate, non debet multùm severè agi contra ipsum Fundatorem, aut ejus hæredem. *Abb. in cap. Cum sicut de Consecrat. Eccl. vel Altar. num. 4. ibique Gonzal. num. 6.*

10 In casu verò, quo Fundator non sit solvendo, tunc teneatur Episcopus illam dotare de Bonis suæ Ecclesiæ, si hoc sine læsione fieri possit, sin autem de suo proprio Patrimonio: ita vult *Gloss. in Cap. Nemo de Consecrat. distinct. 1. & tenet Bald. Novell. in tract. de Dot. part. 1. coll. 1. in vers. Immò si ipse fundans* ubi dicit, quod si Fundans erit impotens, consecrator tenebitur: ergo illo potente
11 consecrator non tenebitur. Ratio est, quia Fundans Ecclesiam censetur tacitè se obligasse ad illam dotandam. Quemadmodùm Pater Carnalis obligatur ad dotem competentem filiæ dandam *Abb. in cap. Cum sicut de Consecrat. Eccl. num. 2. & 3. ibique Gonzal. num. 1. & 6. Rocch. de Curt. de Jurepatr. in verb. Construxit quæst. 4. Lambertin. eod. tract. lib. 1. par. 1. quæst. 5. art. 18.*

Non obstat *Gloss. in Can. Cum sicut de Consecrat. Eccl. vel Altar.* quia iste Textus potiùs favet nostræ conclusioni, quàm ei contrarietur, cum disponat, quod ipsa Regina Ungariæ Fundatrix dotet Ecclesiam, quam Episcopus consecravit indotatam. Argumentum à pari nihil stringit, cum *Text. in cap. Cum secundùm de Præben.* solùm dicat, quod Episcopus teneatur de suo providere Clerico ordinato absque titulo, nullo præsentante, in casu autem, quo quis Clericum præsentet, non Episcopus, sed ipse præsentator tenebitur; ita erit in Casu nostro, si Episcopus consecret Ecclesiam indotatam, quam ipse fundavit, ipse Episcopus tenebitur illam dotare, sed si alius fundavit, Fundator, & non Episcopus, nisi in defectum illius, tenebitur dotare. *Butr. in cap. Cum sicut de Commerc. Eccl. num. 5.*

ARGUMENTUM.

An minor possit dotare Ecclesiam sine Decreto Judicis. Et an in relictis ad pias Causas sint servandæ solemnitates Juris Civilis.

SUMMARIUM.

1 *Minor non potest alienare propria Bona, sine Decreto Judicis; sed limita ut num. 2.*

2 *Minor potest dotare Ecclesiam sine Decreto Iudicis.*

3 *In relictis ad Pias Causas non est servanda solemnitas Iuris Civilis.*

4 *Testamentum Cæci, ubi relicta fuit dos Ecclesiæ, non servata forma Leg.* Hac consultissima Cod. qui testament. facer. poss. *an sit Validum?*

5 *Dos relicta Ecclesiæ in testamento condito absque testibus, aliisque solemnitatibus Iuris Civilis debetur Ecclesiæ.*

6 *Testamentum ad pias Causas, ut sit validum, satis est, quod sit scriptum, vel subscriptum à Testatore, sed intellige, ut num. 7.*

8 *Testamentum favore piæ Causæ, etiamsi in eo non relinquatur legitima ascendentibus, vel descendentibus; adhuc est validum.*

9 *Testamentum sine solemnitatibus favore piæ Causæ est validum.*

10 *Testamentum si reperiatur cancellatum penes Testatorem, cancellatio præsumitur facta de illius ordine, & voluntate; sed limita, ut numer. 12. & 13.*

11 *Primum Testamentum favore piæ Causæ non censentur revocatum per posteriùs sine speciali derogatione.*

14 *Testamentum licèt in voluntate imperfectum, an substineatur favore piæ Causæ.*

15 *An per epistolam probari possit voluntas Testatoris favore piæ Causæ.*

16 *Testamentum per solam schedulam notificatum est validum, amplia ut numer. 17.*

18 *Testamentum peractum sine solemnitatibus, in quo relinquantur aliqua*

Bona

Bona Confraternitati Laicorum pro augumento dotis an sit validum?

19 *Sola schedula scripta, vel subscripta per Testatorem, sine testibus sufficit ad validitatem Testamenti favore piæ Causæ.*

20 *Schedula, quod contineat solam præparationem, non autem perfectam voluntatem, ex quibus deducatur, & num. 22.*

21 *Verbum* volo, decerno *junctum verbo infinitivi temporis dispositionem non inducit, sed præparationem.*

23 *Schedula testamentaria carens die, mense, anno, loco, institutione hæredis, an contineat perfectam voluntatem, vel potiùs præparationem, & num. 24. & 25. & 39. Et quid si Testator jubeat vocari Notarium, qui antequam superveniret, ipse decessit num. 26.*

24 *Voluntas Testatoris favore piæ Causæ sufficienter dicitur constare per Testatoris subscriptionem.*

25 *Confessario Testatoris multum defertur in materia Testamentorum.*

27 *Relictis Bonis ab aliquibus in Testamento determinatè, ut ex eis erigeretur, seu dotaretur Seminarium; An unus ex eis supervivens possit Bona, tam aliorum, qui decesserunt, quàm sua in aliud opus pium erogare, & 28. & 33.*

29 *Testamentum quoad profanas Causas semper est revocabile, & quid quoad Causas pias, an Testator possit illud revocare num. 30. & 34. & 36. & 37.*

31 *Conventionibus reciprocis non licet uni ex paciscentibus contradicere.*

32 *Donatio Causa Mortis, an revocari possit, quando vicissim à duobus facta est.*

35 *Voluntas hominis debet esse libera usque ad mortem, tam circa factionem, quàm circa revocationem Testamenti.*

38 *Immissio super Bonis hæreditariis denegari non potest hæredi.*

40 *Voluntas perfecta Testatoris, an probetur ex depositione Notarii, & duorum testium? etiamsi isti non sint conformes in formalitate verborum, quæ Testator protulit, & num. 41.*

42 *Stipulatio quando censeatur à Testatore volita ad majorem probationem, non autem pro substantia actus?*

43 *Testator si post exaratam schedulam dicat Notario.* Che hà d'aggiungere, e levare molte cose. *An dispositio contenta in ipsa schedula dicatur perfecta?*

44 *Præsentia partis supplet citationis defectum.*

CASUS VIII.

TItius minor sine decreto Judicis, & licentia Tutoris dedit pro dote Ecclesiæ, quædam corpora suorum Bonorum, quæritur, an Titius minor potuerit dotare Ecclesiam sine decreto Judicis.

In hac quæstione videtur respondendum negativè, quia est *Text. in L. Lex quæ Tutores de admin. Tutor.* apertè prohibens minori alienare propria Bona sine decreto Judicis. 1

Sed tamen cum dotare Ecclesiam tendat in favorem illius, Doctores ferè communiter docent posse minorem dotare Ecclesiam sine decreto Judicis. Textus enim *in cap. Si annum de Judiciis in 6.* declarat, quod in Beneficialibus, & Causis spiritualibus, vel spiritualitati annexis; minor se habet sicuti major, sed major potest disponere de rebus suis sine decreto Judicis; ergo etiam minor in spiritualibus, sed dotare Ecclesiam, quia parit aliquid spirituale, scilicet bene esse Ecclesiæ, & Iuspatronatus, quod est spiritualitati annexum, est spirituale; nam quod spirituale parit, spirituale est *Cap. Quantò de Judic.* Ergo minor in dotatione Ecclesiæ non requirit decretum Iudicis. Et sicuti minor potest dare eleemosinam sine decreto Iudicis, ita & poterit dotare Ecclesiam, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 5. artic. 3. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 17. §. 1. num. 31.* 2

Textus autem in supradicta lege, *Lex quæ Tutores* prohibet solùm minori alienare Bona sine decreto Iudicis in temporalibus, non autem in spiritualibus. Ratio autem est, quia non potest lex humana prohibere, & impedire liberam executionem eorum, quæ tendunt in Cultum Dei, & salutem Animæ. Ratio

3 etiam ulterior est, quia in relictis ad Pias Causas non est servanda solemnitas Iuris Civilis, nec Causa Pia est tractanda secundùm leges, sed secundùm Decretorum Statuta juxta dispositionem *Text. in Capitulo Relatum il primo de Testament.* ibique *Abb. num. 3. Corn. cons. 307. num. 6. tom. 3. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 28. §. 2. num. 35. Card. de Luc. de Testament. disc. 13. num. 3. & disc. 16. num. 3.*

Et hic congruum duxi varias annectere facti species, in quibus Piis Testatoribus relinquentibus dotem Ecclesiæ, aut Legata Pia non requiruntur solemnitates Iuris Civilis.

Primò. Quidam Cæcus condidit Te-
4 stamentum favore Ecclesiæ A, ubi ei relinquebat Bona pro dote, non servatâ formâ *Leg. Hac consultissima Cod. qui Testam. facer. poss.* Quæritur, an hujusmodi Testamentum sit validum, itaut dicta Ecclesia A. vigore illius possit obtinere pro dote præfata Bona? Cardinalis *in cap. Cum esses de Testam.* Negativam sequitur sententiam, eo sub fundamento, quia forma præscripta in dicta lege *Hac consultissima* est specialis, quæ non intelligitur sublata per dispositionem generalem, & quia cæcus testari non potest inter liberos non servatâ formâ dictæ legis. Ergo nec ad Pias Causas testari potest sine prædicta solemnitate, dum major est favor liberorum, quàm Piæ Causæ, dicit enim Augustinus *in Can. 17. quæst. ultima: Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum.*

Affirmativam tamen sequitur sententiam *Alex. in dicto cap. Cum esses num. 14.* quam puto veriorem, generaliter dicens dictam legem non habere locum in Testamento Cæci ad Pias Causas, qualescumque personæ instituantur, cùm in eis non attendatur prohibitio Iuris Civilis, sed servetur Ius Gentium; & licèt solemnitas dictæ legis servanda sit in Testamento Cæci inter liberos, non tamen sequitur, ut sit servanda in Testamento ad Pias Causas, quia in hoc tractatur de favore Animæ, & Religione Divina, quæ charior est filiis juxta *Barthol. in leg. 1. num. 74. Cod. de Sacros. Eccl.* Et favor Animæ præponendus est favori liberorum, & sic magis favetur Testamento condito ad Pias Causas, quàm Testamento condito inter liberos. Nec refragatur auctoritas Augustini supra citata, quia procedit quoad legitimam filiis debitam; nam si quis vellet privare filios legitimâ illos exhæredando, & instituere Ecclesiam, faceret contra officium Pietatis, & Ecclesia, quæ est Pietatis matertale, Testamentum non admitteret. *Fagnan. in cap. Cum esses de Testament. num. 152. & seqq. Mantic. de Conjectur. lib. 6. tit. 3. num. 21. Card. de Luca disc. 18. de Testament. num. 4. R. P. D. Petra in Comment. ad Constit. Apostolic. Constit. 10. Innocentii III. sect. 3. num. 39.*

Secundò. Titius condidit Testamentum sine Testibus, solemni stipulatione, aliisque solemnitatibus Iuris Civilis, & municipalis, immo absque institutione hæredis, sive illius acceptatione, in quo reliquit omnia sua Bona Ecclesiæ A, ut ex illis ibi erigerentur, seu dotarentur tot Beneficia. Quæritur, an Ecclesia A. vigore dicti Testamenti possit obtinere præfata Bona?

Respondetur affirmativè; Licèt enim
5 de Iure Civili ad validitatem Testamenti requirantur quinque, vel septem Testes, tamen de Iure Canonico ad validitatem Testamenti ad Pias Causas sufficiunt duo Testes sive sint rogati, sive non, sive masculi, sive fœminæ juxta *Text. in dicto cap. Relatum de Testam.* ibique *Abb. num. 1. & 3. Anan. num. 1. Butr. num. 1. Fagnan. num. 7.* Immo Testamentum ad
6 Pias Causas, ut sit validum, satis est, quod sit scriptum, vel subscriptum à Testatore, absque Testibus, aliisque solemnitatibus Iuris Civilis, & municipalis, ut docet *Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 28. §. 2. num. 30. Card. de Luca disc. 16. de Testam. num. 4. Rota decis. 108. num. 13. par. 7. recent. & decis. 166. num. 1. par. 8. & decis. 289. num. 1. par. 10. & decis. 449. num. 1. & 5. par. 19. tom. 2. recent. & decis. 64. num. 12. par. 2. diversor.* Dummo-
7 dò tamen scriptura, aut subscriptio Testamenti recognoscatur esse manus Testatoris, & ut recognoscatur, sufficit Testes habere notam manum, etiamsi non intervenerint *Rot. dec. 553. n. 2. & seq. cor. Caval.*

Ratio

Ratio autem est, quia duo Testes sicuti aliæ solemnitates Juris Civilis non requiruntur pro substantia Testamenti, sed ad probationem illius, itaut qualitercumque appareat ultima voluntas ad Pias Causas, & sit legitimè probata, non est curandum, an intervenerint Testes, aut aliæ solemnitates nec nè. *Corn. consil. 307. num. 7. tom. 3. Fagnan. in dicto cap. Relat. de Testament. num. 8. & seqq. Rota decis. 734. num. 7. & 13. par. 1. recent.*

Unde cum in Casu præsenti voluntas Titii favore Ecclesiæ A. sit legitimè probata per ejus subscriptionem Testamenti à Testibus recognitam, sequitur, quod eadem Ecclesia vigore dicti Testamenti obtinere debeat præfata Bona, ut in Casu consimili scribens D. meus Patruus in una *Compsana Immissionis* Pro Ven. Cappella S. Mariæ de Gaggia obtinuit resolvi à Sacra Rota 24. *Januarii* 1707. *coram R. P. D. Scotto*; cujus decisio ponitur in fine hujus Casus. Sed si in Testamento favore Piæ Causæ non relinquatur legitima ascendentibus, vel descendentibus, quæritur, an propter hoc dictum Testamentum dicatur nullum; & respondetur negativè, quia
8 detractâ dictâ legitimâ subsistere debent cætera in illo disposita *Rota decis. 96. numer. 22. par. 8. recent.*

Tertiò. Titius fecit Testamentum manu sua scriptum, & subscriptum, sine tamen Notario, & Testibus, in quo reliquit sua Bona Ecclesiæ A, ut in illa dotarentur, & erigerentur tot Beneficia cum reservatione Jurispatronatûs favore Consanguineorum; postea fecit aliud Testamentum solemne favore Ecclesiæ B; Defuncto Titio fuit repertum in quadam ejus Capsa hoc secundum Testamentum laceratum, cassum, & cancellatum, orta fuit controversia super successione dicti Titii, prætendentibus hæredibus ab intestato, neque primum, neque secundum Testamentum valere; non primum, quia conditum fuit sine solemnitatibus, tum etiam quia in omnem eventum esset revocatum per secundum; non etiam valere secundum, quia de eo non constat, nisi per scripturam laceratam, quæ nihil probat.

His non obstantibus dicendum est primum Testamentum fuisse validum, itaut vigore illius concedenda sit Ecclesiæ A, immissio in præfata Bona non obstante defectu solemnitatum, cùm fuerit conditum ad piam causam; licèt enim plures te-
9 nuerint, quòd talia Testamenta sine solemnitatibus non sint valida, ut dixit *Soccin. Jun. consil. 169. num. 74. tom. 2.* nihilominùs contraria sententia semper visa fuit æquior, verior, & communior. *Rota decis. 74. num. 12. par. 2. diversi.* Æquior quin à favorabilis Pię Causæ *Jason. consil. 61. num. 6. & 7. lib. 1.* Verior quia mos sic testandi valet inter liberos *Auth. quod sine Cod. de Testam. Alex. consil. 4. num. 10. lib. 7. Barbat. consil. 58. num. 16. lib. 4.* Ergo idem esse debet, quoad Piam Causam, cùm ista duo æquiparentur *Corn. consil. 307. in fine volum. 3.* Item simile privilegium concessum est humanæ militiæ *L. Lucius Titius ff. de milit. Testament.* ergo idem concedi debet ad favorem militiæ cælestis, cùm sit favorabilior, *Avin. consil. 72. num. 18. lib. 3. Corn. consil. 307. num. 7. volum. 3.* in institutione Piæ Causæ cessant fraudes, propter quas sunt ordinatæ hujusmodi solemnitates. Item neque potuerunt sæculares Imperatores, neque si potuissent præsumuntur voluisse sub generali dispositione Testamentorum includere Pias Causas, *Text. in cap. In generali de regul. Jur. in 6.* & proinde sufficere debet quoquomodo secundùm ordinarias Juris regulas probaretur voluntas Testatoris erga Piam Causam, & propterea cùm de Jure communi scriptura confecta manu Testatoris probet ipsius voluntatem, quoad alia negotia, debet illam probare, quoad Piam Causam; cum solemnitates Juris requisitę in ultimis voluntatibus non loquantur de Pia Causa, unde in hoc Pia Causa remanet sub communibus regulis; juxta communiorem sententiam, quam tenuerunt *Alex. consil. 105. num. 9. in fine lib. 7. Dec. consil. 426. num. 8. Cefal. consil. 99. num. 2. & 3. lib. 1. Menoch. consil. 224. n. 66. tom. 3.*

Non obstat, quòd primum Testamen-
10 tum sit revocatùm per secundum; quia eò ipso, quòd secundum Testamentum reperitur cassum, & cancellatum penes ipsum Testatorem, cancellatio præsumitur facta de illius ordine, & voluntate *Alex. consil. 104. num. 6. lib. 7. & consil. 44. num. 16. lib. 6.* Et sic revivisci primum ex *l. penult.*

§. *Planè de Bonor. possèss. Rota decis.* 321. *par.* 4. *tom.* 1. *recent.* Tum quia primum
21 Testamentum uti conditum ad Pias Causas non censetur revocatum per posterius sine speciali derogatione. *Rot. decis.* 458. *num.* 32. *coram Bich.*

Et licet quando in Testamentis est institu-
22 tuta Causa Pia, tunc Cancellatio non præsumatur facta de voluntate ipsius Testatoris juxta *Mantic. de Conject. ultim. volunt. tit.* 1. *lib.* 12. *num.* 32. Hoc tamen limitatur, quando agitur in concursu al-
23 terius Piæ Causæ, tunc enim intrat conclusio, quòd Privilegiatus non utitur Privilegio contra æqualiter Privilegiatum; & quòd præsumptio, quæ est pro una Pia Causa facit cessare præsumptionem, quæ est pro alia Causa Pia *Rot. decis.* 22. *nu.* 4. *& seqq. par.* 4. *tom.* 2. *recent.*

Quartò. Quidam Testator dixit Amico, quod volebat relinquere aliqua Bona Ecclesiæ A, ut ex eis dotarentur tot Beneficia, & die sequenti dicto Amico Interroganti, an in eadem voluntate persisteret, affirmativè respondit, cùm autem esset vocandus Notarius pro solemnizando actu, id sequi non potuit ob morbi impedimentum; quæritur, an vigore hujus Dicti Ecclesia A. obtinere possit præfata Bona?

Et videtur respondendum affirmativè, quia Testamentum quamvis in voluntate
24 imperfectum subsistinetur favore Causæ Piæ juxta *Barthol. in L. in Testam. ff. de Fideicom. libert.* quem sequuntur *Abb. in cap.* 1. *nu.* 2. *de Succeff. ab intest.* & alii, quos refert *Card. de Luc. de Testam. disc.* 13. *num.* 5.

Contraria tamen opinio omnino verior est, quoniam per istum actum, & dictum prolatum Amico non probatur, nisi nuda velleitas relinquendi præfata Bona Ecclesiæ A, & futuræ dispositionis præparatio. Unde Ecclesia, quæ justitiæ, & veritatis est cultrix absque Domini certa voluntate aliena Bona obtinere non debet. *Oldrad. consil.* 119. *Dec. consil.* 159. & 488. *Card. de Luca de Testam. disc.* 13. *num.* 5. & 14.

Nec obstat, quod hic agatur de Causa Pia, quia favor Piæ Causæ supplet quidem omnes defectus solemnitatum, quas in ultimis voluntatibus induxit Jus positivum, non autem defectum, vel imperfectionem voluntatis *Cardin. de Luca de Testamenti. dicto disc.* 13. *num.* 5. & *disc.* 14. *num.* 8. *Rota decis.* 576. *num.* 3. *part.* 4. & *decis.* 16. *num.* 6. & 7. *par.* 13. *recent.* & *decis.* 210. *num.* 6. *coram Priol.*

Quintò. Defuncto Testatore reperta fuit
25 Epistola quædam ejus manu scripta, in qua idem Testator admonebat Rectorem Ecclesiæ A. se reliquisse in ejus Testamento quædam Bona pro dote Altaris Majoris ejusdem Ecclesiæ cum reservatione Jurispatronatûs favore consanguineorum, quod Testamentum non reperitur. Quæritur, an vigore dict. Epistolæ Ecclesia A. succedere, & obtinere possit præfata Bona.

Respondetur affirmativè, quia sola enunciatio dictæ Epistolæ, qua in ipsa enunciatur, quòd Testator reliquit prædicta Bona Ecclesiæ A. sufficiens est ad probandam voluntatem Testatoris favore Piæ Causæ, ut tradit *Castrens. consil.* 137. *num.* 2. *lib.* 2. *Rota in decis.* 96. *num.* 1. & *decis.* 166. *n.* 43. *part.* 4. *recent.* dum favore Causæ Piæ admittuntur etiam Jura, & scripturæ informes.

26 Sextò. Titius in quadam schedula manu propria scripta sine Testibus, & solemnitatibus hæredem instituit Cajum, cui substituit Causa Pia, scilicèt, quòd de omnibus suis Bonis erigeretur Commenda cum reservatione Jurispatronatûs favore consanguineorum; impositio onere Commendatario celebrare faciendi quolibet die Missam pro ejus Anima: Quæritur, an hujusmodi Testamentum per solam schedulam notificatum sit validum.

Respondetur affirmativè, quia dispositio ad Pias Causas nullas exposcit Juris solemnitates, sed contentatur quomodocumque de voluntate disponentis appareat, ut ex supra firmatis.

Non obstat, quod Pia Causa non fuerit
27 instituta; sed substituta, quia sufficit, quod evenerit Casus substitutionis, atque aperta fuerit successio ad ejus favorem, nec est inconveniens, ut Testamentum in institutione nullum, à substitutione Vires habere incipiat *Leg. Et si perceperit* §. *final. ff. de Liber. & Post. Marth. de Succeff. Legal. part.* 4. *quæst.* 8. *art.* 2. *num.* 5. *Rota decis.* 511. *num.* 18. *coram Cerr. & in Bononien. Immissionis* 11. *Januarii* 1691. §. *In nihilo*, & 9. *Maii* 1692. *coram Hervult.* Secus autem esset, si Pia Causa esset substituta, in longissimum tempus remotum,

nec

nec Casus evenerit; tunc enim Privilegium non intrat *Roman. cons.* 206. *in fine*, *Adden. ad Euratt. decis.* 471. *num.* 17. *Rota in Cammerinen. Immissionis* 21. *Martii* 1703. §. *final. coram Pio.*

Nec urget, quòd cùm fuerit reservatum Juspatronatûs tam activè, quàm passivè favore descendentium, sequitur causam finalem dispositionis fuisse interesse Consanguineorum, quia cùm Titius voluerit erigi dictam Commendam cum expresso onere celebrandi Sacrum, assequimur, Causam finalem dispositionis fuisse Pietatem erga Deum, & motivum suffragandi Animæ suæ, & omnium suorum Defunctorum, quod apertissimè ostendit dispositionem esse Piam *cap. Requisisti de Testament. Ancaran. in cap. Offic. num.* 16. *eodem tit. Rota in decis.* 150. *n.* 27. *part.* 12. *Recent.*

18 Septimò. Si quis in Testamento, aut schedula peracta sine Testibus, & solemnitatibus relinqueret aliqua ejus Bona Confraternitati Laicorum pro augumento dotis, quæritur, an dictum Testamentum esset validum, itaut vigore illius Confraternitas succedere possit, & obtinere prædicta Bona.

In hoc distinguendum est, aut Confraternitas Laicorum est simplex, itaut non habeat reditus destinatos ad usus Pios, nec illud augumentum dotis datur propter usus Pios, in hoc Casu dictum Testamentum sine solemnitatibus peractum est nullum, quia dicta Confraternitas dici non potest Causa Pia. *Marth. cons.* 62. *nu.* 6. *lib.* 1. *Rota decis.* 564. *num.* 6. *par.* 1. *divers.* Aut habet reditus destinatos ad usus Pios, & dictum augumentum dotis relictum est propter usus Pios, & in hoc Casu præfatum Testamentum est validum, quia de dicta Confraternitate judicatur sicut de Pia Causa *Castrens. cons.* 167. *num.* 2. *lib.* 2. *Mantic. de Conject. ultim. volunt. lib.* 4. *tit.* 5. *art.* 6. *numer.* 5. *Rota decis.* 22. *num.* 8. *& seqq. par.* 4. *tom.* 2. *recent.*

Octavò. Defuncto Titio absque solemni Testamento fuit reperta inter ejus scripturas schedula ab ipso scripta, & subscripta sine Testibus, in qua relinquebat Ecclesiæ A. ejus Bona, ut ex illis dotarentur tot Beneficia. Quæritur, an prædicta Ecclesia A. vigore hujusmodi schedulæ obtinere possit præfata Bona.

Respondendum censeo affirmativè, quia sola schedula scripta, vel subscripta per
19 Testatorem sine Testibus sufficit ad Testamentum validum, & perfectum favore Ecclesiæ, vel Piæ Causæ, dummodò sit scriptura recognita, perfecta, & determinata, & non potiùs præparatio, seu minuta; præparatio enim ad testandum, quæ non fuit reducta ad Actum remanet inutilis, etiam quoad relicta ad Pias Causas, *Abb. cons.* 32. *num.* 2. *par.* 2. *Card. de Luca de Testam. disc.* 14. *per tot. Buratt. dec.* 475. *Cavaler. decis.* 453. *& decis.* 74. *part.* 2. *diversor. & in recent. decis.* 289. *part.* 10. *& decis.* 150. *num.* 9. *& seqq. part.* 12. *& decis.* 250. *num.* 1. *coram Priol.*

Quod autem schedula contineat solam præparationem, non autem perfectam voluntatem deducitur. Primò si in schedula, aut notula dicatur *Volo*, *Decerno*, relinquere pro dote Ecclesiæ, tunc enim schedula non dicitur continere perfectam voluntatem Testatoris, sed præparationem, & velleitatem relinquendi; verbum enim *Volo*, *Decerno*, junctum verbo infinitivi temporis designat dispositionem actûs in futurum faciendi *Gloss. in L. Servi electionem*, *verb. Possumus ff. de leg. prima*, *Carol. Anton. de Luca ad Gratian. discept.* 550. *num.* 2. *Rota decis.* 16. *num.* 18. *par.* 13. *recent.* & dicitur voluntas in fieri, quæ non in facto deducta non potest appellari Testamentum, nec subsistineri etiam favore Piæ Causæ *Rota decis.* 92. *num.* 7. *par.* 13. *recent.*

Secundò. Deducitur, quando schedula non fuit subscripta à Testatore, *Rota decis.* 210. *num.* 2. *coram Priol.*

22 An autem hujusmodi præparatio deducatur, si schedula Testamentaria careat die, mense, anno, loco, institutione
23 hæredis? *Card. de Luca de Testam. disc.* 11. *num.* 14. *& disc.* 15. *num.* 4. censet schedulam testamentariam carentem anno, die, mense &c. esse imperfectam; & ex hoc argui præparationem, immo etiam si per confessarium post mortem Testatoris, apud Notarium esset exhibita cum assertione, quòd sibi à Defuncto tradita sit custodienda, ut executioni tamquam Testamentum demandaretur, quam sententiam sequi videtur *Rota decis.* 16. *num.* 2. *par.* 13. *recent.*

Contrarium tamen verius de Jure censeo, quoniam omissio diei, mensis, anni, stipu-

stipulationis, & publicationis Testamenti non vitiat, nec arguit præparationem, seu imperfectionem voluntatis, cùm in hujusmodi Testamento ad favorem Piæ
24 Causæ sufficiat, ut de ea constet per Testatoris subscriptionem, *Rota decis.* 108. *num.* 13. *par.* 7. *recent. & decis.* 553. *n.* 3. *coram Buratt. & in dicta decis. in Compsana Immissionis* 24. *Januarii* 1707. *coram R. P. D. Scotto, de qua numer.* 38. Eòque magis quando adest attestatio confessarii asserentis eam esse perfectam voluntatem Testatoris, ut in Casu, *Card. de Luca ubi suprà*. Confessario enim Testatoris multum defertur in materia Testamentorum,
25 itaut adhibenda sit fides Legatorum Piorum solo ejus dicto, præsertim si dictum Confessoris sit adminiculis suffultum *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 28. §. 2. *num.* 34. *Rota decis.* 22. *num.* 12. *coram Ansald. & decis.* 525. *num.* 8. *par.* 14. *recent.*

Nec adversatur *Rota dicta decis.* 16. quia hujusmodi decisio dicit schedulam Testamenti carentem die, mense, anno &c. esse imperfectam respectu scripturæ, non verò respectu voluntatis ibi: *Quæ sunt ex requisitis necessariis ad fidem scripturæ illorumque omissio indicat illius imperfectionem:* Ut notat etiam *Carolus Antonius de Luca ad Gratian. discept.* 550. *num.* 3.

Si autem Testator verbis aptis ad testandum voluntatem suam declarans in instituendo in schedula hæredem Ecclesiam
26 A. de omnibus suis Bonis, ut de illis dotarentur, seu erigerentur in ipsa tot Beneficia, jubeat vocari Notarium, qui antequàm superveniret, ipse decessit, an dicta schedula sit perfecta. Dico esse perfectam, & continere perfectam voluntatem Testatoris, dum Notarius censetur adhibitus ad majorem cautelam, & non pro substantia actûs juxta *Onded. cons.* 77. *lib.* 1. & alios, quos refert *Carolus Antonius de Luca ad Grat. discept.* 550. *num.* 9. §. *Testator.*

Nonò. Titius, Cajus, & Sempronius Fratres consilium inierunt inter se construendi, & dotandi Seminarium pro educandis Adolescentulis cum reservatione
27 Juris illos nominandi favore descendentium, & propinquorum, ac proinde Titius fiduciarius hæres nuncupatus fuit à Cajo, & Sempronio exequendæ erectionis dicti Seminarii causâ. Sublatis verò ab humanis utrisque Fratribus, jam dictus Titius ultimum suæ voluntatis elogium, quo Seminarium erigendum suum scripserat ex asse hæredem, irritum fecit, omniaque exinde sua Bona, ejusque fratrum, dono dedit Præsbyteris Congregationis Missionis; quæritur proinde, An Titius in Instrumento Donationis potuerit donare PP. Missionis Bona provenientia ab hæreditatibus Caii, & Sempronii ejus Fratrum præmortuorum.

Respondendum censeo negativè, quoniam cum Cajus, & Sempronius reliquerint eorum Bona Titio non liberè, seu ad liberam ejus dispositionem, sed determinatè, ut ex eis erigeretur, seu dotaretur Seminarium non poterat idem Titius ea in aliud opus erogare, & concedere PP. Missionis, dum inconveniens est Defunctorum voluntates ad unguem non servari, nec adimpleri, *L. in Conditionibus* 19. *ff. de condit.* & demonstrat. *Rub. de Testam. cap.* 86. *num.* 55. *Mantic. de Conject. lib.* 3. *titul.* 3. *num.* 9. *Rota decis.* 627. *num.* 10. *part.* 2. *Recent.* Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Amerina Erectionis Seminarii* 12. *Novembris* 1712.

Quæri hic potest an idem Titius in Instrumento Donationis potuerit donare
28 PP. Missionis Bona propria.

Studens in hac quæstione apud R. P. D. Petram S. Congregationis Concilii Secretarium *in una Amerina Seminarii* ventilata in eadem Sacra Congregatione, negativè respondendum sentiebam ex dupli-
29 ci fundamento. Primò licèt enim, quoad profanas Causas Testamentum pro toto vitæ Testatoris tempore semper maneat in statu revocabilitatis, tam explicitè per expressam abolitionem, quàm implicitè, & virtualiter per dispositionem posteriorem *Text. in cap. ultima Voluntas* 13. *quæst.* 2. *Jovius de Solemnit. in Contract. Minor. Gloss.* 11. §. 7. *num.* 34. *Marth. de Success. Legal. par.* 1. *quæst.* 27. *art.* 3. *num.* 56. *& part.* 5. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 1. Itaut nec etiam per Juramentum reddi possit irrevocabile, & ex Juris providentia irrita fiat jurata promissio non revocandi Testamentum, *Gloss. in cap. ultima Voluntas* 15. *quæst.* 2. *Alex. cons.* 18. *lib.* 2. *Marth. de*

Suc-

Succeſſ. Legal. par. 4. quæſt. 4. art. 1. num. 17. & art. 5. num. 5.

30 Tamen quoad Cauſas Pias, ſeu quoad relicta pro dote favore Cauſæ Piæ non poteſt Teſtator revocare Teſtamentum, ideòque Titius cùm reliquerit in Teſtamento propria Bona pro dote Seminarii non poterat illud revocare, & dicta ejus Bona donare præfatis PP. Miſſionariis, ut expreſsè docet, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæſt. 5. art. 8. num. 45.* ibi: *Et Liga hoc dictum digito, quia ſerviet tibi ad plura, cùm iſti Teſtatores de facili vivendo revocant eorum primam voluntatem, quia circa prædicta non poſſunt*, quem ſequitur *Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 17. §. 1. num. 32. Faber in Cod. lib. 4. tit. 24. defin. 36. num. 8.* ibi: *Nec voluntatis ſecundæ ratio habenda videbatur, quæ anteriorem factam in Piam Cauſam revocare nullo modo poterat tametſi per ſpeciem ultimæ voluntatis.*

Secundò, quia mutua inter Fratres præceſſit conventio communiter, & æqualiter conferendi omnia ſingulorum Bona in erectionem Seminarii, & Cajus, & Sempronius Fratres Bona propria in eam Cauſam reliquerunt intuitu ſimilis diſpoſitionis ab eodem Titio faciendæ etiam de Bonis propriis, qui certè ſi id ſuſpicari potuiſſent, aliter diſpoſuiſſent, neque fidem Fratri Teſtamentum revocaturo præbuiſſent. *Peregrin. conſ. 69. lib. 1. Tiraquell. de Primog. quæſt. 8. num. 7. Caſtill. controv. Jur. lib. 2. cap. 18. num. 23. verſ.*

31 *Secundò quia*, nec reciprocis hiſce conventionibus uni ex paciſcentibus contradicere fas eſt *L. Si Pat. Puellæ Cod. de in offic.*

32 *Teſtam.* Et quamvis donatio Causâ Mortis revocationi ſuâptè naturâ obnoxia ſit, revocari non poteſt, quando viciſſim à duobus facta eſt, nam deceptioni locus eſſe non debet, atque alteriusintereſt, ne ea diſpoſitio mutetur *Caſtrenſ. conſ. 164. column. 6. lib. 2. Dec. conſ. 468. column. 3. Bald. in L. Pro hæreditariis ad fin. Cod. de hæred. act.* ibi: *Revocare poteſt &c. quando iſtud judicium eſt illius ſolius, ſecus ſi cum eo concurrat alius diſponens, cujus Intereſt non revocari.*

Sed re materiùs perpensâ ſententiam

33 mutavi, & poſſe Titium in Inſtrumento Donationis propria Bona PP. Miſſionis donare dicebam, quoniam facto meliùs inſpecto agnovi nullam probationem dari mutuæ, & correſpectivæ conventionis inter omnes tres Fratres, cujus vigore adempta Titio remanſerit facultas aliter de Bonis propriis diſponendi, & etiam ſi de illa conſtaret, adhuc tamen Titius potuit mutare, & revocare diſpoſitionem de propriis Bonis in Teſtamento factam, nam in hypotheſi etiam mutui Teſtamenti in eadem ſcriptura facti à duobus, poteſt tamen alter etiam ſine alterius conſenſu, immo etiam altero invito Teſtamentum proprium revocare, ut concordantibus relatis firmat *Torr. de pact. futur. Succeſſ. lib. 1. cap. 12. num. 2. & cap. 13. num. 25. Marth. de Succeſſ. Legal. part. 4. quæſt. 25. art. 2. num. 8. Gratian. diſcept. for. cap. 908. num. 9. Peregrin. deciſ. Patavin. 50. num. 7. Rota deciſ. 298. num. 2. &*

34 *ſeqq. coram Dunoz. Sen.* Ea nimirùm ratione, quia voluntas hominis in Teſtamento explicata ſemper ſubeſt revocabilitati uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, nec quocumque pacto induci poteſt oppoſitum, ut ex ſupradicto *Text. in cap. ultima Voluntas 13. quæſt. 2.* ibique *Gloſſ.* & alii ſupracitati *in §. Studens.*

Atque hinc ſolet à Doctoribus adnotari differentia, utrum inter duos fiat promiſſio mutua de ſuccedendo ex Cauſa Donationis inter vivos, An verò fiat ſimplex promiſſio per pactum de ſucceſſione reciproca? Primo enim caſu ajunt valere promiſſionem, quia non eſt pactum futuræ ſucceſſionis, ſed obligatio deſcendens ex contractu de præſenti inter vivos celebrato, licèt effectum poſt mortem ſortituro, ideòque valet, ac tenet irrevocabiliter. Secundo autem caſu promiſſionem non valere firmant,

35 nec aſſumere irrevocabilitatem, quia libera uſque ad mortem voluntas hominis eſſe debet, & circa factionem, & circa revocationem Teſtamenti, ut bene explicat *Gayll. lib. 2. obſerv. 126. Facchin. contr. Jur. lib. 5. cap. 86. circa med.* Quare cùm non interceſſerit inter ſupradictos Fratres promiſſio de mutua diſpoſitione ad favorem Seminarii obligatoria de præſenti per viam contractûs Donationis inter vivos, ſed ſolùm mutua fuerit inter ipſos intelligentia de ordi-

nanda

nanda per Testamentum successione ad favorem dicti Seminarii, consequens est, quòd ea intentio, sive consensus ille, utpote obsecundans naturam ultimæ voluntatis, semper potuerit revocari ab uno independenter à consensu alterius, quodque ex prædicto consensu nullum Ius fuerit acquisitum paciscentibus, ut egregiè explicat *Marth. de Success. Legal. par. 4. quæst. 25. art. 3. num. 6. & seqq. Gratian. discept. Forens. cap: 909. num. 10. & sequent. Rota decis. 298. num. 3. & seq. coram Dunoz. Sen.* Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Amerina Seminarii* 17. *Junii* 1713.

36 Examinando autem Doctrinam *Lambertini ubi supra num.* 30. Nempe an Testator possit revocare Testamentum, quoad Causas Pias, seu quoad relicta pro dote favore Causæ Piæ? Magnam inveni in hoc Doctorum dissentionem.

Aliqui enim scilicèt idem *Lambertin. dicto lib. 1. par. 1. quæst. 5. art. 8. num. 45. Faber in Cod. dicto lib. 4. tit. 23. defin. 36. num. 8. superiùs relat. num. 30. Ventrigl. in prax. dicta par. 2. Annot. 17. §. 1. num. 32. Genuens. practicab. Eccles. quæst. 336. per tot.* negativam sequuntur sententiam.

Alii nempe *Castrens. cons. 327. num. 1. lib. 1. Alexand. cons. 131. numer. 3. lib. 7. Mantic. de Conjectur. lib. 6. tit. 3. num. 50. & sequent. Gratian. discept. 605. num. 12. Card. de Luca de Legat. disc. 54. num. 3.* affirmativam tenent opinionem.

Alii verò distinguunt, aut non est sequuta traditio rei legatæ, & relictæ favore Causæ Piæ, & tunc affirmant Legatum esse revocabile, & testatorem posse illud revocare; si verò secuta est traditio, & Legatum executum est in Vita Testatoris, aliqui dicunt esse irrevocabile, quia transit in donationem inter vivos irrevocabilem, ita *Bartol. in Leg. Legatum ff. de Legat. 2. Paris. cons. 61. numer. 37. tom. 2. Gratian. discept. 910. n. 6.*

Alii verò sentiunt esse revocabile, quia Legatum sequutâ traditione assumit sibi naturam donationis Causâ mortis, quæ est revocabilis; & ambulatoria *Leg. Qui Mortis Causa ff. de Donat. Caus. Mort. Bald. in Leg. 1. num. 8. versic. Unum scias, Cod. Si quis om. Cau. Test. Card. de Donat. disc. 16. num. 9. Surdus cons. 14. num. 5.* asserit, quòd quando traditio rei Legatæ sit facta sub commemoratione Legati, tam facti in Testamento, vel Codicillis, tunc non transeat in donationem inter vivos, quando verò sit facta nullâ habitâ Legati relatione, tunc Legatum alteratur, & trasfertur in donationem inter vivos, & non potest revocari.

Ego autem conciliando utramque Doctorum sententiam distinguo, aut Eccle- 37
sia est constructa, vel necessariò construenda à Testatore, & tunc Legatum pro dote Ecclesiæ constructæ, aut construendæ, non potest per Testatorem revocari, quia in hoc casu non debetur Ecclesiæ dos ex Testamento, sed ex *Canone Nemo de Consecr. distinct. prima*, itaut vigore hujus Canonis testator cogi possit ad dotandam Ecclesiam constructam, vel ab ipso necessariò construendam juxta *Lambert. de Iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 5. art. 18. num. 3. Fagnan. in cap. Quoniam de Jurepatr. num. 34. & alios communiter*; sicuti Legatum relictum pro dote filiæ nuptæ, aut nubendæ simpliciter, & absolutè revocari non potest à Patre Testatore, quia illi dos non debetur ex Testamento, sed ex *L. final. Cod. de dot. promiss.* & in hoc sensu procedit sententia, Lambertini, & aliorum, qui eum sequuntur: Aut Ecclesia non est constructa, nec necessariò construenda à Testatore, sed solùm iste disponat in Testamento construere Ecclesiam, & relinquat pro ejus dote aliqua Bona, & tunc Legatum pro dote est per ipsum revocabile, sicuti per ipsum revocabilis est eadem constructio Ecclesiæ; & in hoc sensu vera est sententia aliorum asserentium, quòd Testamentum, quoad Legatum pro dote favore Causæ Piæ possit per Testatorem revocari.

In casu verò præsenti, cùm Seminarium non fuerit constructum, nec necessariò construendum à Titio, poterat proinde iste revocare Testamentum, quoad Legatum pro dote favore ejusdem Seminarii, & propria Bona PP. Missionis donare ex supra firmatis.

RPD

R. P. D.

SCOTTO

Compsana Immissionis.

Lunæ 24. Januarii 1707.

SUb erroneo suppositò, quòd Leonardus Picciutolo de anno 1703. ab intestato decessisset, Cajetanus Stephanello, & Donatus Picciutolo ex Jure sibi cesso à proximioribus in gradu, possessionem omnium Bonorum hæreditariorum, in vim præambuli Curiæ Laicalis Compsanæ, de facto, & nemine citato, occuparunt; At volitante fama, & in dies jam excrescente, quòd dictus Leonardus Testamentum exarasset, hærede relicta Vener. Capellæ B. Mariæ de Caggia, expeditis idcircò per Confratres dictæ Capellæ litteris Monitorialibus ad habendas opportunas revelationes, in lucem tandem prodiit schedula Testamentaria de mandato dicti Leonardi per Notarium Carminem Beneventum exarata, & inter ejus scripturas custodita, solemni licèt stipulatione deficiens, ex quo tunc copia Judicis ad contractus à Constitutione Regni exquisita haberi non valuerit, & comprobata ulterius per revelationes factas à pluribus Testibus, citata deinde parte, repetitis, deliberata voluntate Testatoris, ejusque perseverantiâ usque ad obitum instituendi dictam Capellam, in præcitata schedula hæredem scriptam, lis formiter super Immissione ad Bona hæreditaria contestata fuit coram Vicario Compsano, cui licèt placuerit contrariam dictæ Capellæ sententiam proferre, delata tamen appellationis Causâ ad R.P.D.meum Aldrovandum, tunc in Tribunali A. C. sedentem, nunc verò meritissimè in nostro Auditorio cooptatum, prodiit sententia revocatoria alterius de partibus, concedens dictæ Capellæ Immissionem, quam pariter in gradu ulterioris Instantiæ coram Me devolutæ hodie Domini sub suo congruo dubio requisiti, *dandam esse* responderunt.

Cum enim dictus Leonardus hæredem instituerit dictam Cappellam, non poterat eidem denegari Immissio super bonis hæ-
38reditariis juxta censuram *Text. in leg. fin. Cod. de edict. D. Adrian. tollen.* & quidem ad exclusionem dd. Cajetani, & Donati venientium ab intestato, quia Causa Testati facit cessare Causam intestati ad *Text. in l. Quamdiù ff. de Acquir. hæred. l. Antequam Cod. commun. de Success. Rota decis. 98. & decis. 123. utrobique num. 1. coram Emerix Jun.*

Non obstante, quod schedula Testamentaria sit destituta omnibus solemnitatibus,
39cum deficiant dies, rogitus Notarii, ac Testes, quia cum versemur in dispositione favore Piæ Causæ, solemnitates Juris non sunt necessariæ, sed satis est, quod constet quomodocumque de perfecta, & determinata voluntate disponentis ad *Text. in cap. Relatum de Testamentis, Rota decis. 289. num. 1. & 2. part. 10. recent. in Viterbien. Legati 25. Junii 1703. §. Sed cum præsens, & §. Neque antedicta coram R. P. D. meo Caffarello, & in Placentina Legati Pii 14. Decembris 1705. §. Fortiùs, & 28. Junii 1706. §. Agitur enim coram R. P. D. meo Lancetta.*

Determinata autem, & perfecta voluntas dicti Leonardi resultat non solùm ex tenore ejusdem Schedulæ, quæ continet Legata, & Institutionem hæredis per verba dispositiva, & de præsenti, *Gratian. discept. Forens. cap. 895. num. 22. Rota coram Priol. decis. 433. num. 1.* sed fortiùs
40ex depositione ejusdem Notarii, & duorum Testium, qui fuerunt præsentes, quando dictus Leonardus hæredem suam nuncupavit, ac instituit dictam Ven. Cappellam B. Mariæ, injungendo Notario, ut hanc suam voluntatem in scriptis redigeret, quæ sola depositio etiam de per se superabundat ad validitatem Testamenti ad Pias Causas, pro quo substinendo duo Testes sufficiunt, cum non requirantur solemnitates Juris positivi, sed sola probatio naturalis, ut tradunt *Barthol. in leg. 1. num. 26. Cod. de Sacrosanct. Eccl. Fagnan. in cap. Relatum num. 3. de Testam. Rota decis. 276. num. fin. coram Cerr. decis. 216. num. 10. coram sa: me: Alex. VIII. & in dict. Viterb. Legati §. hujus Testamentariæ coram R. P. D. meo Caffarello.*

Rursùs idem Testator coram pluribus Testi-

Testibus hanc suam voluntatem aperuit, palam asserens, se condidisse Testamentum, & in eo hæredem instituisse dictam Ven. Cappellam B. Mariæ, & occasione Furti mobilium Domus propriæ publicè in Ecclesia B. Mariæ Virginis exclamabat: *vi havete fatto rubbare le vostre robbe, che ve le havevo lasciate in Testamento, che però queste, che sono restate, sono, e saranno le vostre*, ut deponunt plures alii Testes dati in Summario Cappellę *à num.* 10. *ad* 14. ex quibus iteratis declarationibus elicitur constans, ac completa determinatio ejusdem Leonardi instituendi dict. Cappellam, *Rota decis.* 581. *num.* 4. *coram Seraph. decis.* 119. *num.* 11. *post Mel. ad Castil. & decis.* 108. *num.* 1. *& seqq. par.* 7. *& dec.* 136. *num.* 6. *& seqq. par.* 9. *tom.* 1. *recent.* etiamsi
41 dicti Testes non sint omninò conformes in formalitate verborum, quæ Testator protulit, quia cum sint conformes in substantia sæpiùs iteratæ declarationis, quòd instituerat hæredem dictam Cappellam, accidentalis variatio in verbis illis fidem non adimit, *Rota in Beneventana Testamenti* 28. *Aprilis* 1704. §. *Quantum verò, coram Reverendissimo D. meo Decano, & in Sabinen. Testamenti* 23. *Junii* 1704. §. *Minùs relevat, coram Me.*

Et hinc marte suo corruebat objectum, quòd omnes dicti actus, ac depositiones Testium præseferant tantùm voluntatem præparatoriam ad testandum, non autem perfectam dispositionem, tanquam nunquam ad actum redactam per stipulationem Notarii, quam ipsimet Testes asserunt Testatorem habuisse semper in mente; etenim licèt Testator requisitus pro stipulatione, quam in actu disponendi explere non potuit, ex defectu Judicis ad contractus, responderet, quòd occasione adeundi Terram Calitri, illam curasset, non exinde tamen
42 argui potest imperfectio voluntatis, quia cum tam ex schedula, quàm ex nominatione hæredis coram Testibus, quàm demum ex reiteratis declarationibus ejusdem Testatoris super jam secuta dispositione, & institutione Ven. Cappellæ, habeatur determinata, ac perfecta voluntas, stipulatio censetur ab eodem volita ad majorem probationem, non autem pro substantia actus *Gratian. discept. For. cap.* 895. *num.* 23. *& seqq. Rota dec.* 581. *per totam coram Seraph. decis.* 108. *num.* 24. *part.* 7. *recent. & in dicta Placentina Legati Pii* 14. *Decemb.* 1705. §. *Verba autem, &* 28. *Junii* 1706. §. *Atque hinc, coram R. P. D. meo Lancetta.*

Minusque imperfectio voluntatis desu-
43 mi potest, ex quo Notarius Beneventus, qui schedulam Testamentariam exaraverat cum Institutione dictæ Ven. Cappellæ, nihilominùs concesserit tanquam Judex mandatum de Immittendo favore venientium ab Intestato, & ulterius in sua depositione asserat, quòd post exaratam schedulam, Testator illi dixerit: *che haveva da aggiungere, e levare molte cose*, nam quòd dictus Notarius concesserit tanquam Judex mandatum de Immittendo venientibus ab intestato, nihil concludit, cum vel potuerit erroneè credere, quòd Testamentum sine stipulatione non esset perfectum, quæ Credulitas erronea Notarii non præjudicat veritati, vel cum nullus comparuerit, qui Testamentum allegaret, & ex actis coram eo factis resultaret Leonardum ab intestato decessisse, mandatum concedere potuit juxta petita, & relativè ad probationes in actis factas, ut non dissimili objecto respondit *Rota in Viterbien. Legati* 25. *Junii* 1703. §. *Nullius ponderis, coram R. P. D. meo Caffarello.*

Quo verò ad depositionem ejusdem Notarii super eo quod Testator dixerit multa adesse addenda, & mutanda, Domini animadvertebant, quod cum dispositio contenta in schedula esset omninò perfecta, voluntas addendi, & minuendi importat simplicem, & nudam velleitatem, quæ nihil ponit in esse, ubi non fuit ad actum perducta, *Gratian. discept.* 895. *num.* 28. *& seqq. Rota decis.* 108. *num.* 15. *part.* 7. *& in dicta Placentina Legati Pii* §. *Nec obstat, & in illius confirmatoria* §. *Quatenus verò, coram R. P. D. meo Lancetta.* Maximè quia idem Notarius ex ore Testatoris subdit mutationem cadere non debere super Institutione Cappellæ, ibi: *senza però mutare, e levare l'eredità alla detta Cappella*: unde cum depositio Testis non possit scindi, sed simul, & prout jacet, accipi, objectum potiùs retorquebatur, quia in mente Testatoris firma semper remansit institutio Capellæ, prout

esset

esset etiam in dubio præsumendum, quia mutatio nunquam præsumitur in his, quæ respiciunt Animam, seu Causam Piam, ut prosequitur, *Rota in Placentina Legati* §. *Nec obstat*, *& in confirmatoria* §. *Quatenus coram R. P. D. meo Lancetta.*

Nec demum urget, quod Testes per Cappellam inducti ad probandam dispositionem Leonardi, fuerint examinati sine Interrogatoriis, quamvis pars super hoc præcisè protestata fuisset, nam cum post factam protestationem, elapsis licèt pluribus mensibus, Interrogatoria non fuerint in actis exhibita, Testes potuerunt citra nullitatis vitium examinari super articulis, cum sibi imputare debeat pars, si congruo tempore expectata, Interrogatoria dare non curavit *Ridolph. in prax. part.* 1. *cap.* 11. *num.* 111. *Gregor. decis.* 351. *numer.* 47. *ibique Adden. litt. E. Adden. ad Buratt. decis.* 188. *num.* 7. *Rota coram Buratt. decis.* 283. *num.* 7. fortiùs, quia ferè omnes dicti Testes fuerunt examinati parte præsente, quæ ideò debebat protestari de nullitate, vel dare Interrogatoria, quod cum non fecerit, sublata remanet quælibet nullitas, quemadmodum in for-
44tioribus terminis præsentia Partis supplet citationis defectum, *Rota coram Manzaned. decis.* 55. *num.* 7. *decis.* 1140. *num.* 4. *coram Emerix Jun. & in Beneventana Jurisdictionis* 4. *Julii* 1696. §. *fin. coram Eminentissimo Domino de la Tremoille.*

Et sine difficultate, quia duo ex eisdem Vestibus, videlicet Notarius Benevento, & Joan: Baptista Scocca inducti fuerunt etiam per Reos conventos, & ratificarunt in omnibus depositionem præcedenter factam favore Cappellæ, unde quoad illos non potest Pars de nullitate examinis, aut eorum dicta impugnare, cum Testes contra inducentem plenissimam probationem constituant *Rota coram Priol. dec.* 3. *num.* 6. *& decis.* 168. *num.* 4. *& decis.* 113. *num.* 5. *coram Emerix Junior.*

ARGUMENTUM.

Ex ditatione non acquiritur Juspatronatus, seu Jus Alimentorum.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus non acquiritur ex ditatione.*
2 *Patronus dicitur ille, qui deducit Ecclesiam de non esse ad esse.*
3 *Ditans Ecclesiam non dicitur Patronus, sed Benefactor.*
4 *Odiosum est Ecclesiæ plures habere Patronos.*
5 *Episcopus non potest subjicere Juripatronatus Ecclesiam ab initio de Jure liberam.*
6 *Rector tenetur reædificare Ecclesiam ex reditibus Ecclesiæ, deductis oneribus.*

CASUS IX.

Titius sufficienter dotavit Ecclesiam à se fundatam, Cajus verò de consensu Titii, conferendo eidem Ecclesiæ alia Bona, illam ditavit, quæritur, an Cajus ratione ditationis acquisiverit Juspatronatus?

Et videtur, quod acquisiverit Juspatronatus, quia *Textus in cap. Filiis* 16. *quæst.* 7. de quo in Canone seguenti concedit Juspatronatus ei, qui *construxit, vel ditavit Ecclesiam.*

Sed tamen contrarium verius est de
1 Jure, quia ex quacumque ditatione, aut augumento fructuum, aut dotis Ecclesiæ, si Ecclesia sit sufficienter dotata, aut dos ejus non sit in totum perempta, non acquiritur Juspatronatus, juxta *Bero. cons.* 4. *num.* 26. *lib.* 1. *Lambertin. de Jurepatr. part.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 2. *num.* 7. *vers. Sed tu considera, Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 31. *Rota in Lunen. Sarzanen.* 5. *Julii* 1599. *coram Card. Millino.*

Ratio autem hujus est, quia *Textus in dicto cap. Quicumque juncta ibi Gloss. in verb. Aliquid* concedit Juspatronatus, & Jus Alimentorum sufficienter dotantibus Ecclesiam; de eis verò, qui supra sufficientiam conferunt, seu de ditantibus, ni-

hil disponit, ergo nec nos disponere debemus.

2 Et quia juxta *Gloss. in supradicto cap. Piæ Mentis* Patronus dicitur ille, qui deducit Ecclesiam de non esse ad esse, sed ditans Ecclesiam jam sufficienter dotatam, non deducit Ecclesiam de non esse ad esse; quia Ecclesia sufficienter dotata jam habet
3 esse, ergo non dicitur Patronus, sed merus Benefactor, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 6. art. 1. num. 15. vers. Secundum membrum Abb. cons. 59.*

Præterea non potest acquiri Juspatronatus Fundatione, constructione, vel dotatione, nisi interveniat consensus Episcopi, ut dicemus infrà, in Secunda Parte *Can. 27.* Episcopus autem non debet consentire, ut ditans acquirat Juspatronatus, quia cum Ecclesia sit sufficienter dotata, ad
4 quid admittere ditantem? Cum odiosum sit Ecclesiæ plures habere Patronos, maximè non existente ulla necessitate; *Lambert. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 6. art. 2. n. 7. & qu. 1. art. ult.* Et si Episcopus consentiret, non proinde ditans acquireret Juspatronatus, quia cum Ecclesia sit ab
5 initio de Iure libera respectu ditantis, non potest Episcopus eam subjicere Juripatronatus illius. *Abb. cons. 106. num. 4. par. 2. Rocch. de Iurepatr. in verb. Pro eo quæst. 26. num. 34. Rota decis. 311. num. 2. part. 2. recent.*

Non obstat *Text. in cap. Filiis per verbum illud, vel ditavit*, quia loquitur de dotatione exuberante, quod scilicet si unus, vel plures dederint Ecclesiæ dotem exuberantem, acquirent Juspatronatus non quidem ratione illius exuberantiæ, sed ratione dotis sufficientis juxta nostrum *Text. in cap. Quicumque.*

Et ita etiam resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in Nullius Altamuræ Reædificationis Ecclesiæ 23. Martii 1697. Ubi cum ruralis Ecclesia simplicis Beneficii sub titulo S. Mariæ à multis annis solo æquata reperiretur. Rector cupiens illam à fundamentis reædificare cum impensa ducatorum 300. & cum augumento dotis ultra medietatem præsentium redituum, instetit reservari sibi, suisque hæredibus Patronatum dictæ Ecclesiæ ex utroque titulo reædificationis, & redotationis, & proposito dubio: *An petita reservationi Iurispatronatus favore prædicti Rectoris, ejusque hæredum sit annuendum?* Fuit responsum *negativè*: Quia si reservatio petitur pro reædificatione, obstat re-
6 gula, quòd ubi reædificatio facienda est, onus imminet Rectori ex reditibus Ecclesiæ, deductis oneribus, ut notat *Bellet. disquisit. Clerical. part. 1. de Cleric. debit. §. 4. sub num. 1.* Si autem petitur pro augumento dotis, obstat Regula, quòd dum Ecclesia obtinet dotem nimis excedentem, si quis vult dotem augere per modum ditationis, non dotationis, non meretur reservationem Jurispatronatus, ut ex Auctoritatibus supradictis, quibus addo *decis. 162. num. 4. coram Bich.*

ARGUMENTUM.

De requisitis necessariis ad acquirendum Juspatronatus ex redotatione.

SUMMARIUM.

1 *Servitus non potest imponi rei Sacræ.*
2 *Ex Redotatione Ecclesiæ acquiritur in ea Iuspatronatus, & num. 7.*
3 *Quæ requirantur ad acquirendum Juspatronatus ex Redotatione.*
4 *Augumentum dotis si non excedat medietatem, denegandum est Iuspatronatus.*
5 *Dos aucta supra medietatem, si non sufficiat Parocho pro congrua, non acquiritur ex illa Juspatronatus.*
6 *Redotans Ecclesiam requiritur, quod conferat Bona speciali titulo dotis.*
8 Gloss. in cap. Piæ Mentis 16. quæst. 7. *quo sensu loquatur?*
9 *Iuspatronatus dum acquiritur ex Redotatione, non imponitur servitus rei Sacræ.*
10 *Iuspatronatus acquiri potest ex collatione Bonorum favore Ecclesiæ consecratæ, & dotatæ, aut Ecclesiæ liberæ, sed de consensu Patroni, & ex Beneplacito Apostolico.*
11 *Papa potest Ecclesias liberas Iuripatronatus subjicere.*

CA-

CASUS X.

Ecclesia A. cum fuerit depauperata, ita ut reditus illius non sufficerent pro substentatione Rectoris, Titius contulit illi pro augumento dotis multa propria Bona. Quæritur, an ex ista collatione Bonorum, seu redotatione Titius acquisiverit Juspatronatus.

Et videtur respondendum negativè. Obstat enim *Gloss. in cap. Piæ Mentis* de quo supra *Can. I.* dicens, quòd si quis post consecrationem dat aliquid Ecclesiæ, per hoc non fit Patronus: & dat rationem, quia si post consecrationem fieret quis Patronus, jam
1 imponeretur Servitus rei Sacræ, quod esse non debet, *ut in ff. de Ser. Servitutes 2. §. ult. Germinian. cons. 45. num. 3. Monac. super 6. Decretal, cap. Si Laicus de Jurepatr. num. 16.* nam quod humani Juris esse desinit, servitutem non recipit *ff. Com. præd. L. Caveri.*

2 Contrarium tamen verius de Jure est, quòd scilicet ex Redotatione Ecclesiæ acquiratur in ea Juspatronatus, dummodò concurrant sequentia requisita.

Primò scilicet, quòd Ecclesia sit de-
3 pauperata, & dos ejus sit redacta de esse ad non esse, aut sit incongrua, & insufficiens. Secundò, quod redotans Ecclesiam augeat dotem saltem ad summam excedentem medietatem juxta *Constitut. Adriani VI. publicat. 9. Decembris 1522.* quæ est tertia ipsius in novo Bullario, ubi abrogata fuerunt Privilegia super Jure præsentandi Rectorem in Ecclesiis, nisi earum fructus, reditus, & proventus forent aucti de propriis Bonis Privilegiatorum ad medietatem veri annui valoris, & ut resoluit Sacra Congregatio Concilii *in Astен. 27. Maii 1645. Neapolitana sub die 2. Decembris 1679. & in Taurinen. 14. Martii 1682. Beltram. ad decis. Ludovis. 397. §. ultimo sub vers. Benè*
4 *verùm*; Itaut si augumentum non excedat medietatem, denegandum est Juspatronatus, ut fuit denegatum à Sacra Congregatione Concilii in *Hipporegien. 15. Iunii 1669. & in Pampilonen. 7. Septembris 1669. pag. 291. à tergo, & 27. Septembris 1670.* Sicuti denegandum est
5 Juspatronatus, si dos ita aucta supra medietatem, neque sufficiat Parocho pro congrua, *Barbos. de Offic. Episcop. allegat. 70. num. 10. Sperell. decis. 68. num. 12.* & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Taurinen. Iurispatronatus 13. Maii 1679.*

6 Tertiò, quòd redotans conferat Bona Ecclesiæ depauperatæ speciali titulo dotis ad differentiam fundantis, & construentis Ecclesiam, qui non requiritur, quòd conferat Bona Ecclesiæ expresso titulo dotis, quia ipse ad dotationem tenetur, ut notat *Lambertin. ubi infra*; aliàs diceretur potiùs Benefactor, quàm Dotator, & Patronus. Quartò, quòd redotans, si non est Patronus, redotet Ecclesiam depauperatam de consensu primi Patroni, & de speciali consensu Episcopi.

His enim omnibus concurrentibus, ex
7 Redotatione Ecclesiæ acquiritur Juspatronatus juxta dispositionem nostri *Textus in cap. Quicumque, Abb. cons. 106. & in cap. Quoniam, ibique Bero. num. 74. Ioann. Andr. in cap. 1. de Iurepatr. Lambertin. eodem tract. lib. 1. par. 1. quæst. 6. art. 1. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 8. numer. 33. Garz. de Benefic. part. 5. cap. 9. num. 126. Monac. super 6. Decretal. in cap. Si Laicus de Iurepatr. num. 16. §. Istud, Rota decis. 60. num. 3. & decis. 254. numer. 4. part. 3. recent. & decis. 38. num. 9. coram Priol. & decis. 162. num. 7. & 512. num. 9. coram Bichio, & decis. 39. num. 16. coram Ninot, Rota decis. 518. num. 12. coram Pamphil. & decis. 249. num. 5. par. 9. tom. 1. Recent.*

Non obstat *Gloss. in dicto cap. Piæ Men-*
8 *tis*, quia loquitur de Ecclesia consecrata dotata, non verò de Ecclesia consecrata indotata, aut depauperata, in hoc enim Casu absque dubio acquiritur ex redotatione Juspatronatus, cùm Spiritualia non possint esse sine temporalibus, ut benè notant *Abbas cons. 59. Ioann. Andr. in cap. 1. 16. quæst. 7. Lambertin. ubi supra*. Nec acquirendo Juspatronatus ex
9 redotatione imponitur Servitus rei Sacræ; quia favore Ecclesiæ redotatio retrò trahitur, & fingitur Ecclesia dotata ante consecrationem, sicuti juxta *Textum in cap. Tanta, qui Filii sint legitimi* favore matrimonii, Filii geniti ante contractum matrimonium, simulantur geniti post,

juxta

juxta *Lambertin. ubi supra, & alios apud eum relatos. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 5. num. 69. & seqq.*

Duo tamen hic noto. Primum est, quòd si quis de consensu Patroni conferat Ecclesiæ consecratæ, & dotatæ aliqua Bona sufficientia, & congrua titulo dotis; potest in ea acquirere sibi Juspatronatus, de consensu tamen, & beneplacito Papæ, non verò Episcopi. Secundum est, quòd si quis Ecclesiæ liberæ conferat pro dote multa Bona sufficientia, & congrua, reservando sibi Juspatronatus in illa de consensu Papæ, acquirat Jus-
11 patronatus. Ratio est, quia Papa potest maximè titulo oneroso, subjicere Ecclesias consecratas, dotatas, aut liberas Juripatronatus alicujus, cùm sit Dominus omnium Beneficiorum, absolutam habens potestatem in Beneficiis Ecclesiasticis, juxta *Textum in cap. 2. de præbend. in 6. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 22. numer. 9. & 10.* sed vide deducta *per D. Advoc. Piton. discept. Eccles. 33. num. 10. & seqq.*

CA-

CANON IV.

Ex Concil. Toletan. IX. Cap. I.

Illiis, vel Nepotibus, ac honeſtioribus propinquis ejus, qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi Sacerdotem, ſeu Miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant, aut Epiſcopo, vel Judici corrigenda denuntient. Quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. Ipſis tamen hæredibus in eiſdem rebus non liceat, quaſi Juris proprii poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, nec violentiam quamcumque præſumere; ſed hoc ſolum in ſalutarem ſolicitudinem adhibere &c. Si quis verò deinceps hæc monita temerare præſumpſerit, & malè rapta cum confuſione reſtituet, & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit.

COMMENTARIUM.

Ex hoc Canone ſequentes deducuntur concluſiones prima. Ex CONSTRUCTIONE ECCLESIÆ ACQUIRITUR CONSTRUCTORI, EJUSQUE HÆREDIBUS HONESTIORIBUS JUSPATRONATUS, SEU JUS DEFENDENDI TAM ECCLESIAM, QUAM EJUS RES. 2. PATRONUS NON HABET ULLAM POTESTATEM PROPRII JURIS CIRCA RES ECCLESIÆ, SEU NON POTEST ALIQUID CAPERE DE BONIS ECCLESIÆ JURISPATRONATUS SUB POENA EXCOMMUNICATIONIS: Quas concluſiones probant etiam Concil. Trident. *ſeſſ. 22. de Reformat. cap. 11. Text. in cap. Præterea il 2. de quo infra Lambertin. de Jurepatr. par. 1. lib. 1. art. 2. quæſt. 7. num. 12. & 19. Lotter. de re Benef. lib. 2. quæſt. 8. num. 1. Ventrigl. in prax. For. Eccleſ. annot. 1. de Jurepatr. §. 4. num. 12. & §. 1. numer. 2. Amoſtaz. de Cauſis Piis lib. 5. cap. 5. num. 55. Tuſch. concluſ. Jur. 599. num. 1. litt. I. Rota deciſ. 674. num. 1. par. 2. recent. & deciſ. 145. num. 3. coram Bich. & deciſ. 245. num. 34. coram Thomat.*

Licet

1 Licèt enim omnes teneantur defendere Ecclesiam, ejusque Bona; tamen juxta hunc Canonem hujusmodi defensio est proprium onus Patroni, qui eam ædificavit, ac de non esse ad esse deduxit: sicuti licèt omnes teneantur defendere Proximum suum, tamen defendere Filium est proprium, & speciale onus Patris. *Gloss. in cap. Dilect. de sent. Excomm. in 6. & Gloss. 1. in Can. non infer. 23. quæst. 3.*

De secunda Conclusione agemus infra in Secunda Parte *Can. 26.* Circa autem primam Conclusionem examinantur sequentes Casus concernentes materiam tàm constructionis Ecclesiæ, quàm Juris illam defendendi; sed quia Textus hic concedit Juspatronatus, seu Jus defendendi Ecclesiam honestioribus hæredibus Constructoris, examinabitur etiam in hoc loco; Qui possint, & qui non possint acquirere Juspatronatus.

ARGUMENTUM.

Murarius impendens operas absque mercede in constructione Ecclesiæ, acquirit Juspatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Murarius impendens operas sine pretio in constructione Ecclesiæ, acquirit in ea Iuspatronatus.*
2 *Murarius construens Ecclesiam sine mercede, dicitur construere illam suis sumptibus.*

CASUS I.

MUrarius construxit Ecclesiam, & noluit mercedem, & pretium à faciente illam construere cum intentione acquirendi in ea Juspatronatus, simul cum eam construere Faciente; quæritur, an acquirat Juspatronatus.

Respondeo, Murarium impendentem
1 operas sine pretio in constructione Ecclesiæ cum intentione acquirendi in ea Juspatronatus, & de consensu Episcopi acquirere Juspatronatus simul cum construere Faciente: Ratio est, quia Textus concedit Juspatronatus ei, qui construxit suis sumptibus; Murarius autem construens Ecclesiam sine pretio, & mercede, dicitur
2 construere illam suis sumptibus cùm paria sint, an quis faciat suo sumptu, an laboribus suis *C. ex parte 1. de Censibus*, ergo acquirit Juspatronatus: secus autem si reciperet mercedem, & pretium suorum operum. Ita *Lambert. de Iurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 3. art. 4. Rocch. de eodem tract. in verb. Construxit. Buttr. in cap. Nobis de Iurepatr. num. 14. ibique Anan. num. 6.*

ARGUMENTUM.

Non ab incipiente, sed à perficiente construere Ecclesiam, acquiritur Juspatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Iuspatronatus ex constructione acquiritur non incipienti, sed perficienti construere Ecclesiam; Amplia ut ibi*
2 *Voluntas in his, quæ sunt Facti non habetur pro Facto.*
3 *Ex Constructione Ecclesiæ plures possunt esse Patroni.*
4 *Ad hoc ut perficiens Ecclesiam acquirat Iuspatronatus in præjudicium incipientis, quid requiritur?*

CASUS II.

TItius incœpit ædificare Ecclesiam, & opus reliquit; Cajus autem illam perfecit, hoc patiente Titio; quæritur quis eorum acquirat Juspatronatus?

Respondeo, Cajum acquirere Juspatronatus, quia istud acquiritur ex Constructione Ecclesiæ, quæ constructa dici non

potest

potest, dum aliquid supereſt construendum §. 1. *inſt. qui modo testa. infir.* Unde
1 non incipienti, sed perficienti construere Ecclesiam acquiritur Juspatronatûs; immo etiam si incipiens habuisset voluntatem perficiendi, & non perfecisset, nec alteri commisisset, vel dedisset. unde perfici potuisset, sed passus fuisset alterum perficere, non acquireretur Juspatronatûs;
2 quia voluntas in his, quæ sunt Facti, puta ædificare, etiam si stet per mille annos in cogitatione non habetur pro facto, ita *Lambert. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 4. Tondut. quæst. Benefic. C. 144. num. 3. tom. 2.* Unde cum Cajus perfecerit opus constructionis jam relictum à Titio, consideratur quoad effectum quasi si totum extrueret, idcirco ab Ecclesia ei conceditur Juspatronatûs, idque maximè convenit, ut sic alii ad perficiendas Ecclesias jam cœptas alliciantur *Amostaz. de Cauſis Piis lib. 5. cap. 5. num. 60.*

3 Sed si Titius, & Cajus uno animo Ecclesiam construerent, & una pars fieret à Titio, & altera ab altero, ambo consequerentur Juspatronatûs, & haberent voces æquales; quia sicuti si plures Ecclesiam dotaverint, sufficienter omnes sunt Patroni æqualiter, *Garz. part. 5. cap. 9. num. 53. Lambert. lib. 1. part. 1. artic. 6. quæst. 3. à num. 4.* Ita dicendum est si plures construant, ut argumentatur idem *Amostaz. ubi supra num. 59.*

Et hìc nota, quod ad hoc ut perficiens Ecclesiam acquirat Juspatronatûs in præ-
4 judicium illius, qui ædificare cæpit, requiritur, ut iste citetur, ratio est, quia quando alicui competit aliquod Jus, aut defensio, itaut impedire possit, ne actus fiat, uti est ille, qui incæpit ædificare Ecclesiam, qui volens per se ipsum illam perficere potest impedire, ne ab alio perficiatur: semper requiritur citatio etiam in notoriis. *Abb. in cap. Cumsit num. 31. & 32. & in cap. Ex ratione num. 15. & 16. de Appellat.* ubi hoc probat per *Text. in cap. Licet Episcopus de Præben. in 6. & cap. Ordinarii de offic. ordin. eodem lib.* in quibus Juribus dicitur, quòd licet per adeptionem secundæ Ecclesiæ curatæ vacet prima ipso Jure, non tamen potest Episcopus illum spoliare citatione prius non facta, quia posset sibi defensio competere, *Vivian. de Jurepatr. par. 2. lib. 11. cap. 4. num. 10. & 11.* Dum non potest perficiens Ecclesiam ingredi possessionem ejusdem Ecclesiæ, quam alius ædificare incæpit, propria auctoritate, nec etiam auctoritate Judicis, nisi eo priùs citato *L. Meminerint Cod. Unde vi, Ubert. de citat. cap. 7. num. 28. & cap. 2. num. 64. Rota decis. 185. num. 2. par. 2. recent.*

In Casu autem, quo ille, qui incæpit ædificare Ecclesiam sit incertus, & ignoretur tunc ad hoc, ut perficiens Ecclesiam in præjudicium illius acquirat Juspatronatûs in eadem Ecclesia requiritur citatio generalis per Proclama, seu per Edictum contra incertos; *Ubert. de citat. cap. 7. numer. 349. & numer. 353. Rota decis. 449. num. 3. coram Coccin.*

ARGUMENTUM.

Ex Reædificatione Ecclesiæ acquiritur Juspatronatûs, dummodo concurrant requisita, de quibus in Corpore.

SUMMARIUM.

1 *Ad acquirendum Juspatronatûs ex Reædificatione, quæ requirantur. Et num. 2. 3. 4.*
5 *Reædificans Ecclesiam dirutam, novam dicitur erigere Ecclesiam.*
6 *Reædificans Ecclesiam ex necessitate, & cum protestatione recuperandi expensas ab illa non acquirit Juspatronatûs.*
7 *In reædificatione novæ Ecclesiæ, an quis uti possit cæmentis, & materialibus antiquis?*

CASUS III.

TItius reædificavit, & construxit Ecclesiam A. reservando sibi Juspatronatûs, ac ad illam pluries præsentavit Rectorem. Vacante nuper dicta Ecclesia idem Titius præsentavit ad illam Cajum. Episcopus verò prætendens dictam Ecclesiam esse liberam sub motivo, quòd non fuisset acquisitum Juspatronatûs à Titio ratione Reædificationis instituit in ea Sem-

pronium. Hinc orta lite inter Cajum, & Sempronium, quæritur, An constet de Jurepatronatûs favore Titii.

1 Et constare, seu Titium ex reædificatione dictæ Ecclesiæ propriis expensis acquisivisse Iuspatronatûs respondendum censeo. Etenim ad acquirendum Iuspatronatûs, ex reædificatione requiritur primò, quòd Ecclesia sit totaliter diruta, vel ejus facies immutetur, vel saltem itaut indigeat nova consecratione juxta *Gloss. primam in cap. 3. de Iurepatr. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 8. num. 19. Tusch. conclus. Juris 601. num. 1. litt. I. Card. de Luc. de Iurepatr. disc. 11. num. 2. Rota decis. 58. num. 5. par. 1. & decis. 510. num. 4. par. 3. recent. & decis. 1559. num. 16. coram Coccin. & decis. 518. num. 1. & 555. num. 2. coram Seraph. & decis. 931. num. 6. coram Buratt.*

2 Secundò requiritur, quòd reædificans si sit extraneus, declaret se velle ex reædificatione acquirere Iuspatronatûs, aliàs censetur solùm Benefactor. *Abb. in cap. 3. num. 10. de Iurepatr. Rota decis. 510. n. 4. par. 3. recent.*

Tertiò requiritur consensus Ordinarii,
3 si reædificans sit extraneus, secus si sit Patronus, *Lambert. de Iurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 6. art. 3. Rocch. eodem tract. in verb. Construxit quæst. 8. Bero. in cap. 3. de Iurepatr. num. 55. & seqq.*

4 Quartò denique, quòd si reædificans sit extraneus reædificet Ecclesiam de consensu primi Patroni juxta *Lambertin. ubi supra.*

Cum autem in reædificatione facta a Titio concurrant omnia supradicta requisita. Ecclesia enim ab ipso propriis expensis reædificata, erat totaliter diruta: Declaravit se velle acquirere Iuspatronatûs ex dicta reædificatione; reædificavit illam de consensu Ordinarii, & primi Patroni, sequitur, quòd Titius ex reædificatione acquisiverit Iuspatronatûs juxta *Lambertin. ubi supra, & Rota decis. 598. par. 1. diversi.* Et ratio est, quia Ecclesiam dirutam iterum fabricans novam dicitur erigere Ecclesiam. *Ventrigl. in prax. for. Eccles. Annot. 1. §. 1. num. 2.*

6 Sed si Titius reædificasset Ecclesiam non ex voluntate, sed ex necessitate, aut cum protestatione recuperandi expensas ab illa, ipse ex reædificatione non acquisivisset Iuspatronatûs juxta *Gloss. in cap. Apostolicus 12. quæst. 2. verb. Construxisse. Rot. decis. 167. num. 5. par. 2. diversi.*

Et hìc quæri potest, an in reædificatio-
7 ne novæ Ecclesiæ quis uti possit Cæmentis, & materialibus Antiquis?

In qua quæstione respondendum venit Affirmativè argument. *Gloss. in cap. 3. de Iurepatr. verb. Fundatores*, ubi quæritur ibi: *Item quid si reædificata est Ecclesia de eadem materia, num quid Prior Patronus remanet Patronus*: ergo de eadem materia antiquæ Ecclesiæ reædificari potest nova.

Et ita etiam resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Amerina translationis Parochialis 17. Martii 1708.* ubi expositum fuit, quòd derelicto Castro Guardeæ in sublimi Montis Culmine constituto ab universo Populo, qui Sedes Antiquas ad Planitiem sub ejusdem Montis radicibus transtulit, derelicta itidem fuit Ecclesia Parochialis, ad quam uti in editiori parte præfati Castri sitam, Populus conscendere negligens, sacrum interim audire perrexit in Ecclesia S. Ægidii, in ima partis Montis consisten. Parochus autem, qui solus in dicta Parochiali remanserat, ob difficultatem ministrandi Sacramenta suis Parochianis per milliare, & ultra distantibus, supplicavit Sacram Congregationẽ pro translatione Sanctissimi Sacramenti ab antedicta Parochiali ad præfatam Ecclesiam Sancti Ægidii, & Sacra Congregatio *sub die 8. Maii 1706.* ad dubium tunc propositum: *An sit locus petitæ translationi?* respondit affirmativè ad novam Ecclesiam ædificandam, & interim per modum provisionis omnia munia Parochialia censuit exercenda esse in Ecclesia Sancti Ægidii.

In executionem prælibati rescripti translata jam Sacra Synapsi ad dictam Ecclesiam S. Ægidii, ac studia sua vertente Populo ad reædificationem novæ Parochialis, hinc modernus Parochus adiit Sacram Congregationem pro declaratione dubii: *An liceat Communitati pro construenda nova Ecclesia uti Cæmentis, & materialibus antiquæ Parochialis, & Cappellæ S. Catharinæ?* Cui die 31. Martii ejusdem anni fuit responsum Affirmativè.

AR-

ARGUMENTUM.

Si Ecclesia destructa sit alibi Reædificata, an Patronus primæ Ecclesiæ sit etiam Patronus secundæ. Et an dismembrari, & erigi possit nova Ecclesia, aut Oratorium in præjudicium alterius Ecclesiæ Parochialis?

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia Patronalis destructa si alibi reædificetur, an Patronus primæ Ecclesiæ sit etiam Patronus secundæ.*

2 *Difficultas accedendi ad Parochiam est causa dismembrationis, dummodo constet ex processu desuper facto, & dummodo sit perpetua, ut numer. 3. & 4.*

5 *Dismembratio Parochiæ facienda non est, quando necessitatibus populorum aliàs consuli possit, & num. 61. & 62.*

6 *Ad validitatem dismembrationis requiritur citatio, & consensus Rectoris, & Patroni, & num. 59. An autem requiratur consensus Capituli, vide num. 7. & 37.*

8 *In dismembratione Ecclesiæ vacantis citari debet defensor.*

9 *Dissensio populorum non est causa dismembrationis.*

10 *Dismembratio, & erectio novæ Ecclesiæ fieri potest in præjudicium alterius Ecclesiæ Parochialis concurrentibus debitis requisitis, & num. 13. & 15.*

12 *Distantia duorum milliarium ab Ecclesia Parochiali reddit difficilem accessum ad illam, & est causa dismembrationis; amplia ut ibi, & num. 14.*

16 *Disparitas conditionis, Fortunæ, & morum, an sit causa sufficiens dismembrationis.*

17 *An ad erectionem novæ Parochiæ procedi possit invito Parocho Matricis?*

18 *Rectori novæ Parochiæ assignanda est congrua subsistentatio; sed de quibus reditibus, & Bonis ista congrua constituenda sit. Vide num. 19. 20. 21.*

22 *Nova Parochia ædificata intra limites antiquæ, an, & quos honores ei præstare teneatur? & an antiqua acquirat respectu novæ Parochiæ Iuspatronatûs, & num. 30.*

23 *Matricitas Ecclesiæ constare potest ex pluribus Signis, & adminiculis, de quibus num. 24. 25. 26. & 27. & 53. 54. & 55.*

28 *Existens in possessione tumulandi Cadavera Peregrinorum, & Advenarum cum delatione stolæ est manutenendus.*

29 *Peregrini, & Advenæ, qui non habent propriam sepulturam, ubi sepeliendi sunt.*

31 *Campanæ in die Sabathi Sancti, ante omnes alias Ecclesias pulsandæ sunt ab Ecclesia Matrice, & 54.*

32 *Beneplacitum Apostolicum requiritur in transactione, ex qua resultat alienatio Bonorum Ecclesiæ.*

33 *Pontifex non intendit derogare Iuri alterius.*

34 *Privilegium an censeatur renunciatum per actum contrarium.*

35 *Oratorium an ædificari possit intra limites Parochiæ? & num. 36. & 40.*

38 *In Oratoriis non curatis non potest asservari Sanctissimum Sacramentum absque licentia Papæ, sed limita, ut num. 46.*

39 *Vicarius Generalis an possit concedere licentiam erigendi oratoria publica, & num. 47.*

41 *Præjudicium proveniens Ecclesiæ Parochiali ex diminutione concursûs, & Eleemosinarum non est impedimentum ædificationis novarum Ecclesiarum.*

42 *Eleemosinæ, quæ à fidelibus offeruntur Cappellis, Oratoriis existentibus intra limites Parochiæ debentur Parocho, sed limita, ut ibi.*

43 *Oppositio affectata non est attendenda.*

44 *Oratorium publicum fundari potest intra limites alicujus Parochiæ de consensu Episcopi etiam invito Plebano.*

45 *Consensus Episcopi in ædificando Oratorium intra limites Ecclesiæ excludit præsumptionem præjudicii ejusdem Ecclesiæ.*

48 *Episcopus de Iure communi habet facultatem erigendi Oratoria publica.*

49 *Actus Attentatus dicitur ille, qui tendit in contemptum Judicis, & in præjudicium partis.*

50 *Distributiones debentur interessentibus D. Officiis.*

51 *Existens in possessione actuum præeminentiæ manutenendus est.*

52 *Usus Stolæ, an, & quando spectet privativè ad Parochum.*

56 *Determinationes pro Bona Pacis Ecclesiarum concordia, & populorum quiete absque beneplacito Apostolico subsistentur.*

57 *Breve Apostolicum per multum tempus observatum, executioni est demandandum.*

58 *Vicarius Generalis absque speciali mandato Episcopi non potest dismembrationes, & novas Parochiarum erectiones explere.*

60 *In dismembrationibus requiritur Processus cum citatione omnium interesse habentium.*

CASUS IV.

1 Ecclesia A. Patronalis cùm esset destructa fuit alibi reædificata; Quæritur, an Patronus primæ Ecclesiæ sit etiam Patronus secundæ?

In hoc articulo distinguendum est, aut Patronus primæ Ecclesiæ est Patronus ratione fundi, & tunc non est Patronus secundæ Ecclesiæ, cum hæc sit reædificata in alio fundo; aut est Patronus ratione dotationis, & tunc Patronus primæ Ecclesiæ est etiam Patronus secundæ, quia dos transit cum loco. Aut est Patronus ratione constructionis, & tunc si secunda Ecclesia erit reædificata ex Cæmentis, lapidibus, & lignis primæ Ecclesiæ, erit Patronus secundæ Ecclesiæ simul cum reædificante; Si verò dicta Ecclesia erit reædificata ex lapidibus, & lignis &c. quæ non sint primi Patroni, & tunc iste non erit Patronus secundæ ratione constructionis, ita *Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 6. art. 4.*

Et hic quæri potest, an quis possit ædificare Ecclesiam Parochialem intra limites alterius Ecclesiæ Parochialis de Iurepatronatûs, & quis in ea acquireret Iuspatronatûs?

Pro cujus resolutione sciendum est ad hoc, ut ædificari possit nova Ecclesia intra limites alterius Ecclesiæ Parochialis in hujus præjudicium plura requisita concurrere debere.

Primò. Concurrere debet Causa, seu
2 Difficultas accedendi ad Parochiam, ita ut Parochiani sine magno incommodo ad illam accedere non possint; quæ difficultas accedendi ad Parochiam provenire potest, vel ex distantia loci, vel ex asperitate itineris, vel ex aliquo Torrente, aut Flumine intermedio, quod transire sine aliquo periculo non possit, & quod sæpè exundans ita iter obsideat, ut aliquando cogantur infirmi sine Sacramentis Ecclesiæ mori; vel ex eo, quòd Parochia sit sita intra mœnia Civitatis, ad quam noctu temporis non pateat accessus Parochianorum, eo quia portæ clauduntur. Distantia verò quanta debeat esse remittitur arbitrio Episcopi, non enim omnis distantia præbet causam Ordinario dismembrandi, & erigendi novas Parochias, sed illa solùm, ex qua sequitur magnum incommodum Parochianis accedendi ad Parochiam, & ratione cujus Parochiani remanent privi Divinis Officiis, & moriuntur sine Sacramentis, itaut tamen casus obitûs Parochianorum sine Sacramentis debeant esse frequentes, & non rari. *Fagnan. in cap. ad Audientiam de Eccles. Ædific. num. 17. & seqq. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 4. num. 2. & seqq. & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in Frequentina 18. Septembris 1688. Rota decis. 578. num. 3. par. 19. tom. 2. recent.* Hujusmodi causa verò dismembrationis, & ædificationis
3 novæ Ecclesiæ, seu difficultas accedendi ad Parochiam ex quocumque capite proveniat, debet constare ex Process. desuper facto, & non ex assertione partium, vel etiam ipsius Episcopi, aut alterius dismembrationem authorizantis, *Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 28. num. 33.*

4 Secundò. Quòd hujusmodi causa, seu difficultas accedendi ad Parochiam sit perpetua, & non temporalis, scilicet pro aliquibus solum anni mensibus, quia tunc attenta temporaneitate causæ non est locus alicui perpetuæ dismembrationi, sive applicationi Bonorum in proprie-

prietate, sed deputatione Cappellani pro dictis mensibus, qui Sacramenta administret, & Divina Officia celebret, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii *in Gandaven. Vis. LL.* 31. *Martii* 1696.

Tertiò. Quòd aliter provideri non possit necessitatibus Parochianorum, Dismembratio enim Parochiæ facienda non est, quando necessitatibus populorum satis consulitur per adjunctionem Ministri Coadiutoris amovibilis, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Tridentina dismembrationis* 14. *Ianuarii* 1690. *& in Comen.* 5. *Iunii* 1688. *& in dicta Frequentina* 18. *Septembris ejusdem anni*; *& à S. Rota in Leodien. Dismembrationis* 1. *Februarii* 1712. *coram R. P. D. Falconerio §. Nullitati inferiùs legen. num.* 57. *§. Rector Matricis*. Vel quoties in loco per Oratorium necessitati Parochianorum subvenitur *Menoch. cons.* 477. *num.* 9. *Amostaz. de Causis Piis lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 5.

Quartò. Ut in illa parte Parochiæ antiquæ, ubi nova Parochia est erigenda, sit competens numerus Parochianorum, *Amostaz. ubi supra num.* 45.

Quintò. Requiritur citatio, & consensus Rectoris, Patroni, & aliorum Interesse habentium, juxta *Decisionem S. Rotæ in dicta Leodien. Dismembrationis §. Defectus verò*, quòd si tamen Rector, aut alii Interesse habentes nolint consentire dismembrationi, adhuc Episcopus concurrente legitima causa potest ad illam devenire. Ratio est, quia consensus Rectoris, Patroni, aut aliorum Interesse habentium non requiritur pro forma, neque ratione auctoritatis, seu pro auctorizanda dismembratione, quo casu hæc non esset valida absque dicto consensu, sed solùm requiritur ratione præjudicii, *Casiador. decis.* 3. *num.* 1. *de Iurepatr. Amostaz. ubi supra num.* 20. *& seqq.*

Sextò. Requiritur consensus Capituli, quia divisio, & dismembratio Parochiæ, quoad ejus reditus, cum sit alienatio rerum Ecclesiæ sine Capituli consensu fieri non potest, juxta *Text. in cap. Cum nos de his, quæ fiunt à Prælatis, & cap. Dudum de rebus Eccles. non alienan. in* 6. Sed animadvertendum est, quòd dupliciter Episcopus procedere potest ad dismembrationem Parochialis, auctoritate scilicet ordinaria, juxta *Text. in cap. Ad audientiam de Eccl. ædifican.* & auctoritate delegata, juxta *Trident. cap.* 4. *sess.* 21. *de Reformat.* Si procedit auctoritate ordinaria requiritur consensus Capituli, si verò procedit auctoritate delegata in eo casu, in quo Jure ordinario procedere non potest, non requiritur consensus Capituli, juxta *Fagnan. in dicto cap. Adaud. num.* 54.

Septimò. In casu quo Ecclesia Parochialis vacet requiritur, quòd detur, & citetur Defensor *Rota decis.* 165. *num.* 3. *par.* 3. *recent. & decis.* 413. *num.* 3. *coram Celsi.* & resolvit Sacra Congregatio Concilii *in Reatina Dismembrationis* 29. *Ianuarii* 1695. Dissensio autem populorum non est causa dismembrationis, juxta resolutionem ejusdem Sacræ Congregationis *in Syracusana Dismembrationis* 19. *Iunii* 1698. *&* 18. *Iulii* 1699.

Concurrentibus igitur hujusmodi requisitis est locus dismembrationi, & erectioni novæ Ecclesiæ in præjudicium alterius Ecclesiæ Parochialis, juxta *Text. in cap. Ad audientiam de Eccles. ædifican.* ibique *Abb. num.* 1. *& seqq. Buttr. num.* 1. *Barbos. num.* 1. *& seqq.* & ita novissimè resolutum fuit *à Sacra Congregatione Concilii in Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis* 16. *Iulii* 1712. in qua Communitas, & populus Castri Pontis Bosii non minùs ob distantiam ferè duorum milliarium, quàm ob itineris difficultatem accedendi ad propriam Parochiam Oppidi Lician. præsertim hyberno tempore, quo torrens iuterfluus exundat, & in nocturnis casibus, quibus Portæ Licianæ obserratæ reperiuntur, adeò ut Parochus Licianæ vetetur adire dictum Castrum Pontis, Sacramenta, cæteraque Spiritualia adiumenta collaturus eorum Animabus, instetit pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis Sancti Jacobi Licianæ, ac erectione novæ Parochialis in Castro Pontis Bosii, unde fuit quæsitum, an sit locus hujusmodi dismembrationi.

Et ego studens in hac causa affirmativè, respondendum sentiebam, quia ut superiùs notavi concurrente magna difficultate adeundi Ecclesiam Parochialem ambigi nequit, quin procedendum sit ad dismembrationem, & erectionem novæ Parochialis ad *Text. in dicto cap. Ad audientiam*

dientiam ibique DD. *Conc. Trident. cap.* 4. *sess.* 21. *de Reformat. Pignatell. consult. ult. numer.* 1. & 5. *tom.* 4. *Adden. ad Gregor. decis.* 504. *sub num.* 8. & *decis.* 87. *coram Ubald.*

Distantia duorum milliarium à Castro
12 Pontis ad Ecclesiam Parochialem Licianæ reddit difficilem accessum ad illam, ut per *Rotam decis.* 39. *nu.* 2. *coram Peutinger.* & *decis.* 1250. *coram Coccin. Barbos. ad Concil. sess.* 21. *cap.* 4. Præsertim concurrente asperitate itineris, & viæ Replenæ Torrentium, ex quibus hyberno tempore impeditur liber accessus ad Ecclesiam, & subministratio Sacramentorum, *Fagnan. in dicto cap. Ad audientiam num.* 19. *Barbos. de Offic.* & *potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 68. *Rota decis.* 39. *numer.* 1. *coram Peutinger.* & *decis.* 204. *par.* 17. *recent.*

Idem etiam scribente D. Advocato Pi-
13 tonio resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione 27. *Maii* 1713. *in Frequentina, seu Abelinen. Erectionis Parochialis*, ubi exponebatur, quòd inter Frequentum in cacumine Montis positum, ejusque Casalia, quæ ad radices jacent unius milliarii intervallum existeret, itineris ita asperi, difficilisque, ut hyemali præsertim tempore vix peragi possit; propterea que cum eorum Incolæ in numero tercentum circiter, sæpè sæpiùs infeliciter deperirent, Spiritualibus subsidiis haud præmuniti, Pietatis zelo accensus Dominicus Caracciolus utilis Dominus, Ecclesiam sub invocatione SS. Dominici, & Francisci in medio eorundem Casalium proprio ære construi curavit, eamque in Parochialem erigi cum assignatione congruæ portionis ex fructibus Ecclesiæ Archipresbyteralis, supplici ter egit. Judiciali processu transmisso super præmissorum veritate die 18. Septembris 1688. propositum fuit dubium, *An procedendum sit ad petitam Erectionem dictæ Ecclesiæ in Parochialem, cùm assignatione congruæ pro Parocho ex fructibus Ecclesiæ Archipresbyteralis arbitrio Episcopi detrahendæ*: Cui negativum responsum prodiit, sed Eminentissimi PP. censuerunt, quòd Episcopus quatenùs opus esset aliis mediis de Jure provideret. Decennio non evoluto, insurrexit Archipresbyter Curatus autumans expetitam Parochialis erectionem nullatenus permittendam esse, præcæteris attenta tenuitate redituum præbendæ Archipresbyteralis, ac injungi Eminentissimo Beneventano Archiepiscopo, supplicavit, ut invalescens rursus novandi consilium prorsus eliminaret, quatenus verò dijudicaretur necessarium, jugiter retineri posse addidit in Ecclesia Sancti Michaelis Archangeli, in districtu Casalium jam inde à priscis temporibus erecta Vicarium Curatum eorundem Incolarum sumptibus; quibus relatis precibus sub die 29. Novembris 1698. Sacra Congregatio eas benignè remisit prælaudato Eminentissimo Archiepiscopo, qui desuper procederet prout de Jure Assumpta hujusce causæ cognitione, idem Archiepiscopus sub die 17. Martii 1701. definitivè pronunciavit super erectione primodictæ Ecclesiæ SS. Dominici, & Francisci ejus Rectori assignata annua præstatione Ducat. 30. ab Incolis Casalium suppeditanda unà cum Ducatis 20. ex Decimis Capitulo solvi consuetis detrahendis, cui annuatim Parochus offerret Cereum quatuor librarum pro subjectionis inditio, à quo judicato cum reclamaverit Archipresbyter ad Sacram Congregationem propositum fuit dubium. An sententia super erectione Parochialis SS. Dominici, & Francisci sit exequenda.

Cui affirmativè respondendum senti-
14 ebam. Ex probationibus enim deductis in Processu perspicuum erat, quòd tria memorata Casalia distabant ab Ecclesia Parochiali Civitatis frequenti per milliarium cum dimidio, & quidem per iter adeò asperum, & incommodum, ut hyemali præsertim tempore, nec ipsi Incolæ ad Ecclesiam Parochialem, nec Parochus ad illos occasione infirmitatis pro administratione Sacramentorum sine maximo periculo, & incommodo accedere valeant juxta relationem Eminentissimi Archiepiscopi, & Depositionem Testium formiter examinatorum. Unde meritò per eundem Archiepiscopum pro erectione novæ Parochiæ pronunciatum fuit ad normam supradicti *Textus in cap. Ad audientiam 3. de Eccles. ædifican.* ibique *Abb. num. 3. vers. 2. Nota. Lambert. de Iurepatr. lib.*

lib. 1. part. 1. quæst. 3. art. 15. Rebuff. de Decim. quæst. 6. num. 21. Pignatell. consult. ultim. num. 1. & 5. tom. 4. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 8. nnm. 26. Rota decis. 193. num. 1. par. 4. tom. 2. recent. & in Aretina Jurium Parochialium super bono Jure 15. Januarii 1703. §. Cæterùm coram R. P. D. Ansaldo.

Concurrente præsertim ultra incommo-
15 dum evidenti periculo Animarum dictorum Casalium, nam ob distantiam, & iter suspensum, asperum, cænosum, præfati Homines ad Parochiam Civitatis nullo modo possunt accedere, ita ut innumeri sine Sacramentis decesserint, sæpè Missam festivis diebus audire nequiverint imbribus, & nivibus viæque asperitate impedientibus; Aere verò rigescente Pueri ad baptizandum non sine mortis periculo deferri valuerint; quibus omnibus stantibus Jura omnia, nedum novæ Parochiæ erectionem permittunt, sed necessariam esse disponunt, ut ajunt communiter Doctores *in dicto cap. Ad audientiam, & signanter Butrius numer. 4. Card. numer. 2. Fagnan. num. 217. & seqq.*

16 Advertendo etiam, quòd Parochiani degentes in dd. Casalibus cum suis Mulieribus, & Familia, rusticis, & abjectis vestibus induti, non possunt ad Ecclesiam Parochialem Civitatis confluere, & cum Civibus Divitibus, & pretiosis vestibus amictis se commiscere, ne risui, & delusioni pateant ob fortunæ, ac morum diversitatem, ex quo nova emergit causa erigendi Parochiam ne à Divinis audiendis retrahantur, ut post *Lap. Allegat. 66. ponderant Barbos. ad Concil. sess. 21. de Reformat. cap. 4. num. 7. & seqq. Fagnan. in dicto Cap. Ad audientiam num. 20. vers. Præter quam.*

Non obstat novæ Parochiæ erectionem non esse permittendam, ex quo de mense Junii 1688. proposito dubio in Sacra Congregatione, responsum fuerit negativè.

Primò, quia resolutionem dicti dubii non præcesserat formalis verificatio Causarum pro dicta erectione concurrentium. Secundò, quia tunc locus esset deputationi Æconomi, seu Coadiutoris dependentis à Parocho Matricis, quando non alia Causa concurreret, quàm excrescentia populi, hoc enim Casu, cum unus Rector non posset sufficere, sat est, ut Parochus tot alios sibi adjungat Sacerdotes, quot sufficiant ad Sacramenta exhiben-
17 da, at quando ultra populi numerositatem concurrunt etiam Causæ supradictæ, tali casu etiam invito Parocho Matricis ad novæ Parochiæ erectionem proceditur, *Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 28. à numer. 28. Azor. institut. Moral. par. 2. lib. 3. cap. 12. quæst. 7.* Sacra Congregatio Concilii *in Puteolana Erectionis Parochiæ* 18. *Junii* 1701. *lib. 5. decret. fol. 340.*

18 Ædificatâ novâ Parochiâ intra limites alterius Parochiæ novus etiam Rector, seu Parochus est instituendus, & ad ejus substentationem congrua designanda juxta *Text. in dicto cap. Ad audientiam de Eccles. ædifican.* Unde quæritur, de quibus reditibus, & Bonis ista congrua constituenda sit?

Et sentio eam in primis constituendam
19 esse de oblationibus, obventionibus, & primitiis debitis Parochiæ antiquæ non verò de decimis; Ratio est, quia ita facienda est erectio novæ Parochiæ, quominùs lædat antiquam. Unde si adsint oblationes, & primitiæ sufficientes ad substentationem novi Parochi, non est recurrendum ad decimas. *Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 4. num. 34. Rota decis. 448. numer. 2. par. 1. recent.* Si verò oblationes, & primitiæ non sufficiant deveniendum est ad decimas, etiam prædiales, ratio est, quia cum Decimæ debeantur ratione Sacramentorum, & Curæ, & sint de Jure Parochiali *cap. Cum contingat, cap. Parochianos de Decim.* Nova Parochia intentionem habet fundatam super perceptione decimarum contra matricem, *Abb. dicto cap. Cum contingat de Decim. sub num. 8. Calderin. cons. 2. eodem tit. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 28. num. 48. Amostaz. ubi supra num. 35. Rota decis. 168. num. 5. par. 1. recent.* Sed tamen constituenda est congrua pro novo Rectore de hujusmodi Decimis, & reditibus, deducta priùs sufficienti, & decenti, congrua pro Rectore matricis, seu de superfluis. *Amostaz. lib. 5. dicto cap. 4. num. 47.*

20 Si verò deducta sufficienti congrua pro Rectore Matricis, hæc non habeat Bona, unde dotem, & congruam Rectoris novi desi-

designet, tunc congrua petenda est à Parochianis, quibus Sacramenta administrantur *cap. Omnis Christianus de Consecrat. dist. prima. Rota decis.* 420. *num.* 8. *part.* 1. *recent.*

Quòd si Parochiani sint pauperes, itaut
21 non possint de congrua Rectoris providere, tunc Abbas, seu Præpositus, seu Rector cui in temporalibus Ecclesia Matrix subjicitur tenentur contribuere ad istam congruam. *Cap. Sanctorum* 2. *distinct.* 70. *cap. Extirpand. de Præben.* Et quandò isti non habent, nec est, unde ad hanc necessitatem provideatur, ex mensa Episcopi est providendum *Ca. Præsulum* 16. *quæst.* 3. vel per unionem aliquorum Beneficiorum. *Amostaz. ubi supra num.* 37. Et quando nec ex mensa Episcopi hæc congrua designari potest, tunc Parochia construenda est absque dote, & Rector est constituendus, ut ex labore proprio, & artificio victum quærat. *Fagnan. in dicto cap. Ad audientiam de Eccles. ædificandis num.* 7.

Ædificatâ autem novâ Ecclesiâ intra
22 limites alicujus Parochiæ, eique assignata congrua pro substentatione ejus Rectoris, debetur Ecclesiæ Matrici à dicta nova Ecclesia honor consistens in eo, quod teneatur Rector novæ Parochiæ adire ad matricem pro Baptismo, Scrutinio, Capitulo, nec non potest Ecclesia Matrix sibi reservare in signum honoris aliqua Jura Parochialia, nempè Baptizandi, vel Sepeliendi, ut docet *Lotter. de re Benef. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 51. *& seqq.* Debetur etiam Ecclesiæ Matrici Juspatronatûs, itaut Rector illius possit Rectorem novum præsentare, ut disponit *Textus in dicto cap. Ad audientiam.* Ratio est, quia cum ex reditibus Matricis Ecclesia nova construatur, aut dotetur, congruum est, quòd ipsa acquirat in ea Juspatronatûs, juxta dispositionem *Text. in cap. Fitiis.* Sed si Ecclesia Matrix nihil dederit, & contulerit ad ædificationem novæ Parochiæ non debetur ei Juspatronatus *Amostaz. ubi supra num.* 38.

Matricitas autem Ecclesiæ, quando constare non possit ex Instrumento fundationis, & erectionis comprobari potest ex pluribus signis, & adminiculis, quæ legi possunt in sequenti causa *Montis Cassinen. Manutentionis* vertente inter Ecclesiam Parochialem S. Mariæ Majoris Terræ Cerbarii Cassinen. Diœcesis, & Ecclesiam Ruralem S. Pauli, in qua causa scribebat in Rota, & scribere mihi imposuit Dominus meus Advocatus Pitonius, sicut in aliis Causis, ut ejus methodum, & modum scribendi addiscerem. Causa est tenoris sequentis.

Post longas, & varias controversias inter Ecclesiam Parochialem Sanctæ Mariæ Majoris Terræ Cerbarii Cassinen. Diœcesis, & Ecclesiam Ruralem S. Pauli existentem extra dictam Terram super præeminentiis, & præcedentiis in omnibus Processionibus tam sedendo, quàm eundo, & redeundo, & terminando, ac etiam super sonitu Campanarum in die Sabbathi Sancti, & super Matricitate, deventum fuit inter istas Ecclesias anno 1643. 26. Martii ad concordiam perpetuam servatis omnibus solemnitatibus Juris Canonici, & de consensu Episcopi Cassinen. ubi Ecclesia S. Mariæ, fuit confirmata Matrix concessâ præcedentiâ adversùs Ecclesiam S. Pauli in omnibus actibus honorificis.

Quæ transactio observata spatio 70. annorum circiter fuit anno præterito à R. D. Abbate Curato dictæ Ecclesiæ Sancti Pauli interrupta per Monitorium ab eo extortum coram A. C. super executione cujusdam prætensi Brevis sa. me. Innocentii III. editi anno 1198. in quo eidem Ecclesiæ S. Pauli conceditur retentio Baptismatis juxta sententiam, quæ in eodem Brevi asseritur lata favore ejusdem Ecclesiæ cum assertiva, ut prætenditur, quòd in nullo subjaceat Ecclesiæ S. Mariæ. Unde coram eodem A. C. suspenso solemniter petitorio ex parte ejusdem Ecclesiæ S. Mariæ petitum fuit mandatûm de manutenendo in sua antiquissima possessione matricitatis, & præcedentiæ, & in omnibus aliis superius expressis, ac etiam producto præfato Instrumento concordiæ anno 1643. in progressu Causæ A. C. mandatum de manutenendo ad favorem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris concessit per Decretum ad primam, & ad secundam per sententiam declaravit, transactionem validam, & legitimè initam, esseque perpetuò observandam inhibendo, ne contra illam aliquid innovetur, Ecclesiæ verò S. Pauli pro executione præfati Brevis concessit re-

ten-

tentionem Fontis Baptismalis, ac facultatem Parocho ministrandi Sacramenta suis Parochianis. Hinc commissâ Causâ Sacræ Rotæ, disputata fuerunt sequentia dubia.

Primò. An sit danda manutentio etiam super delatione Stolæ, in tumulatione Cadaverum, Peregrinorum, & Advenarum.

Secundò. An transactio substineatur, & Breve sa: me: Innocentii III. sit exequendum in Casu &c.

Quæ prout infra resolvenda dicebam.

23 Etenim animadvertendum est Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris prærogativâ Matricitatis pollere, quæ licèt constare non possit ex Instrumento ejus erectionis, & fundationis, quia fuit deperditum in dilapidatione ejusdem Ecclesiæ, facta à Siccardo Duce Beneventano de anno 830. tamen comprobari potest ex pluribus signis, & adminiculis juxta *Pignatell. consult.* 109. *num.* 2. *tom.* 9. *Rota decis.* 404. *num.* 53. *part.* 19. *& decis.* 105. *coram Seraphin. & decis.* 258. *numer.* 2. *coram Merlin. & decis.* 14. *numer.* 18. *coram Ansald.*

24 In primis namque Matricitas Ecclesiæ S. Mariæ Majoris legitur inscripta in petra marmorea in eadem Ecclesia posita ibi: *Hæc est sola Matrix*: & apertissimè desumitur, si animadvertatur, quòd omnes Processiones, & supplicationes generales ab hac Ecclesia incipiant, & in eam terminentur, & exteri recipiunt Sacramenta ab illius Rectore, licèt habeant domicilium intra limites materiales Ecclesiæ Sancti Pauli, etsi in hac sepeliuntur, adhuc Rector Ecclesiæ S. Mariæ peragit in illa omnes functiones funebres, ex quibus sufficientissimè comprobari Matricitatem dixerunt *Pignatell. dicta cons.* 109. *num.* 3. *&* 4. *Rota decis.* 196. *num.* 23. *part.* 19. *& decis.* 258. *num.* 7. *par.* 2. *& decis.* 397. *num.* 8. *& seqq. par.* 13. *recent. & decis.* 15. *num.* 3.

Depositiones etiam, & attestationes
25 plurium Testium conspirant in hanc eamdem veritatem, & compellationem Matricis, quæ depositiones Matricitatem justificant *Pignatell. dicta cons.* 109. *num.* 2. *Rota decis.* 258. *numer.* 1. *part.* 1. *recent.* Junctis præsertim variis enunciativis Matricitatis in Instrumento Statûs Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ non solùm deservire possunt pro sufficienti adminiculo earundem attestationum, ut testatur *Rot. decis.* 14. *num.* 6. *& seqq. coram R.P. D. Ansaldo*; sed etiam de per se concludunt Matricitatem, ut habetur per *Rotam decis.* 397. *num.* 11. *par.* 13. *& in Faventina Jurium Parochialium* 28. *Junii* 1697. *S. Prætermisso coram R.P. D. Ansaldo.*

Eoque magis dum ultra varia mandata
26 de manutenendo in possessione nuncupationis Ecclesiæ Matricis reportata à nostra Ecclesia ab A. C. Theodolo de anno 1642. & ab A. C. met die 12. Decembris 1711. contra Ecclesiam S. Pauli; iidem met Ordinarii Montis Cassinensis, tum in Institutionibus Rectoris Ecclesiæ S. Mariæ, tum in pluribus Visitationibus Castri Cerbarii pro certo habuerunt, Ecclesiam Sanctæ Mariæ fore Matricem; quantum verò deferendum veniat in hoc proposito Matricitatis similibus declarationibus, sive enunciativis factis ab Ordinario in actu Visitationis, ex quo de Ecclesiis suæ Diœcesis præsumitur informatus, palam liquet ex traditis per *Rotam in decis.* 125. *num.* 4. *post Vivian. de Jurepatr. decis.* 685. *num.* 9. *coram Cerr. & decis.* 724. *num.* 3. *part.* 3. *& decis.* 397. *num.* 5. *par.* 13. *recent. & in Aretina Jurium Parochialium* 27. *Februarii* 1704. §. *Ast ubi Episcopus coram R.P.D. Ansaldo.*

Et denique quod omnem dubietatem
27 tollit super Matricitate Ecclesiæ S. Mariæ est, quòd idemmet Rector, & Presbyteri Ecclesiæ S. Pauli de anno 1643. capitulariter congregati, nomine Ecclesiæ S. Pauli, pro se ipsis, & successoribus suis admiserunt Ecclesiam S. Mariæ vocari debere Matricem, & Rector dictæ Ecclesiæ Sancti Pauli confessus est Ecclesiam S. Mariæ esse Matricem; unde stantibus hisce confessionibus partis adversæ comprobatam remanere Matricitatem unanimiter voluerunt *Ruin. cons.* 142. *num.* 4. *volum.* 1. *Hatt. cons.* 543. *num.* 20. *Pignatell. dicta consul.* 109. *num.* 2. *Rot. decis.* 281. *num.* 19. *par.* 15. *recent. & decis.* 397. *num.* 2. *par.* 13. *recent.*

Probata ex his Matricitate Ecclesiæ S. Mariæ clarè sequitur affirmativa resolutio primi dubii, scilicet dandam esse Archipresbytero Ecclesiæ Sanctæ Mariæ

Majoris manutentionem etiam super de-
latione Stolę in tumulatione Cadaverum
28 Peregrinorum, & Advenarum; etenim
cum Archipresbyter reperiatur in posses-
sione tumulandi Cadavera Peregrinorum,
& Advenarum cum delatione Stolę, ei
innegabilis est manutentio, quę semper
datur ad statum, ut inquit *Rota decis.* 646.
num. 43. *penes Posth. de Manut.* & in nul-
lius, seu *Clarevallen. Jurisdictionis super
Manutentione* 25. *Junii* 1706. §. *Exor-
diendo quippe coram R. P. D. Kaunitz.*

Maximè quia prędicta Possessio est Juri
29 communi conformis, dum Peregrini, &
Advenę, qui non habent propriam sepul-
turam, sepeliendi sunt in Ecclesia majori,
seu Matrici, & ab ejus Rectore peragen-
da sunt funera cum assuetis indumentis,
scilicet Stola, Pluviali, & Aspersorio per
Gloss. in cap. Innostra de sepult. ibi: *Qui-
dam intelligunt de Peregrinis, qui non
habent propriam sepulturam, qui debent
sepelliri apud Ecclesiam Majorem*: & re-
solvit Sacra Congregatio Concilii *in Ebre-
dunen. Jurium Parochialium* 25. *Junii* 1695.
Barbos. de Offic. & potest. Parochi part. 3.
cap. 26. *num.* 35. *R. P. D. Petra in Com-
ment. ad Constit. Apost. tom.* 2. *ad Const.* 9.
Innocent. III. sect. unic. num. 50. *fol.* 277.
tom. 2.

Quoad primam partem secundi dubii,
transactionem solemniter initam de anno
1643. inter Ecclesiam Sanctę Marię, &
Ecclesiam S. Pauli substineri respon-
dendum de Jure est. Quoniam probata Ma-
30 tricitate Ecclesię Sanctę Mariæ, de Jure
infertur ad illius Rectorem pertinere prę-
cedentiam in omnibus Processionibus, tam
sedendo, quàm eundo, & redeundo, &
terminando. Dum Ecclesię Matrici dan-
dus est debitus Honor, nec alii Clerici
aliarum Ecclesiarum præcedere possunt
Rectori Ecclesię Matricis, ut resolvit
*Sacra Congregatio Concilii in Savonen. Ju-
rium Parochialium* 28. *Februarii* 1693.
& animadvertit Gratian. discept. 578.
num. 19.

Nec non ad ipsam Ecclesiam S. Mariæ
spectare pulsationem Campanarum in die
31 Sabathi Sancti, cum illę ante omnes alias
Ecclesias pulsandę sint ab Ecclesia Matri-
ce, ut notant *Pignatell. consult.* 109. *num.* 8.
tom. 9. *Gratian. discept. Forens.* 578. *n.* 17.
Rota decis. 105. *coram Serasin.* concurren-
te præsertim observantia, & consuetudine
ferè 70. annorum prędecedendi in omnibus
Abbati, & Capitulo Ecclesię S. Pauli, &
ante hanc pulsandi Campanas in die Saba-
thi Sancti, quę attendenda venit, non so-
lùm in casu, in quo agatur de vera Ma-
tricitate, sed etiam in casu, in quo agatur
de Matricitate impropria, resultante
ex eo, quòd vel ratione antiquitatis, vel
ex alia ratione Ecclesia esset major in lo-
co, erga quam filialis dicitur obligata,
saltem ad aliquam reverentiam, tamquam
erga propriam Matrem, licèt ejus subdita
non sit, ut optimè ratiocinatur idem *Pi-
gnatell. dicta consult.* 109. *num.* 6. *tom.* 9.

In nihilo obstante, quòd hujusmodi
transactio sit destituta Beneplacito Apo-
stolico requisito ex Constitutione sa: mem:
Urbani VIII. la 261. *Bullar. nov. tom.* 5.
tit. De præjudicial. Eccles. quia Ecclesia
S. Pauli per hujusmodi transactionem nihil
à se alienavit, sed concessit Ecclesię San-
ctę Marię ea, quę de Jure ad hanc spec-
tabant, ac proinde non erat necessarium
beneplacitum Apostolicum, quod solùm
32 requiritur, quando ex effectu transactio-
nis resultat alienatio indirecta, vel tacita,
aut expressa *Tusch. conclus.* 349. *num.* 1.
*litt. T. Sabell. in Summ. diversi. verb. Bene-
placitum tom.* 1. *num.* 4. §. *Quod sit*, & cum
hujusmodi Beneplacitum non sit neces-
sarium, allegabilis non est ex defectu illius
nullitas transactionis juxta *Sabell. ubi su-
pra num.* 8.

Etiamsi esset necessarium, tamen cùm
probetur observantia dictę transactionis
cum cursu temporis non solùm 30. sed
ferè 70. annorum, locus est presumptioni
ejusdem Beneplaciti Apostolici etiam post
dictam Constitutionem Urbanam *Sabell.
ubi supra num.* 12. *Rot. decis.* 7. *num.* 23.
par. 15. *recent.*

Secunda Pars deniqùe secundi dubii
negativè resolvenda venit, quoniam pre-
fatum Breve Innocentii III. concessum fuit
ad partis supplicationem sub suppositò,
quòd à Judice fuisset lata sententia favore
Rectoris Ecclesię S. Pauli, super facultate
baptizandi in ea, & quòd ibidem sui Pa-
rochiani percipiant cętera Sacramenta,
unde cùm non doceatur de suppositâ sen-
tentia, prædictum Breve substineri non
potest,

33potest, dum Papa numquam intendit derogare Juri alterius, nisi in quantum exprimit *cap. Super eo de Offic. delegat. Carol. Ant. de Luc. in animadvers. ad discept. 578. Gratian. num. 1.*

Ac etiam quia cum agatur de lapsu post sex seculorum, quæ intercesserunt à die concessionis dicti Brevis ad hodierna tempora, in quibus Matrix Ecclesia majoritatem, & omnia superiùs expressa pacificè exercuit adversùs Ecclesiam Sancti Pauli, & constet de usu in contrarium sequitur, quòd sit revocatum, aut præscriptum, & ammissum juxta *Text. in cap. Si de Terra, & cap. Accedentibus de Privileg.* & alia Jura allegata per *Rotam decis. 357. num. 9. coram Roxas. Tusch. conclus. 756. litt. P. num. 11.*

Et cùm Ecclesia Sancti Pauli de anno 1633. per transactionem recognoverit Ecclesiam Sanctæ Mariæ tamquam Matricem, eique concesserit præeminentiam, & superioritatem, sequitur, quòd per hujusmodi
34actum contrarium prædicto Brevi, seu Privilegio, censeatur illi renunciasse, & consequenter non est per dictam Ecclesiam Sancti Pauli illud ampliùs allegabile *Alexand. cons. 103. num. 1. versic. Nam per actum contrarium lib. 4. Tusch. conclus. 759. num. 5. litt. P.* & ita resolutum fuit à *Sacra Rota in Montis Cassinen. Manutentionis die 10. Junii 1712. coram R. P. D. Lancetta, cujus decisio legi potest in fine hujus Casus num. 50.*

Quæri etiam potest hîc an intra limites Parochiæ ædificari possit Oratorium? Cujus
35dubii resolutio colligenda venit ex sequenti Casu, in quo pro veritate scripsit, idem D. Advocatus Pitonius, & de ejus commissione ego ita juxta opinionem mihi benevisam infrascripta scripsi pro meo Studio, videlicet.

Martinus Ballester Rector Ecclesiæ Sanctæ Eulaliæ Majoricen. die 18. Septembris 1693. in ejus ultimo, quo decessit elogio disposuit, quòd cuncta ejus Bona applicarentur pro ædificatione Oratorii Sancti Philippi Nerii intra limites Ecclesiæ Parochialis, ubi ipse, dum erat in humanis consentientibus Parocho, nec non Patriæ Patribus, Prorege tunc temporis, & Episcopo erexerat Ecclesiam, & habitationem Patrum Congregantium cum necessariis ornamentis.

Rector autem tunc temporis, & Communitas præintelligentes, quòd PP. S. Philippi Nerii se disponebant pro executione dictæ fundationis, intimarunt, & protestarunt administratoribus Oratorii, ne auderent exequi præfatam fundationem, quin priùs adducerent eorum facultates, & necessarios consensus. Cui protestationi nullatenus respondentibus PP. prædictis Rector, & Communitas præfata die 18. Maii 1708. supplicarunt Vicarium Generalem, Sede Vacante, ne permitteret sub pœna nullitatis, & attentatorum fundationem dicti Oratorii, & prævio decreto intimatis à Vicario Interessatis, non obstante prædicta supplicatione, prælibati PP. Benedicere fecerunt Ecclesiam Oratorii cum asservatione Sacramentorum, declaratis Congregantibus, peractis omnibus necessariis actibus de consensu ejusdem Vicarii. His stantibus ad instantiam Rectoris, & Communitatis præfatæ proposita mihi fuerunt sequentia dubia.

Primò. An prædicta fundatio Oratorii subsistineatur.

Secundò. An Vicarius Generalis Sede Vacante possit dare licentiam aperiendi Oratoria publica non interveniente consensu Capituli.

Tertiò. An sit locus purgationi Attentatorum.

Quartò. An aliquis ex PP. dicti Oratorii possidens Beneficium in Parochia possit exigere distributiones in Choro ejusdem Parochiæ?

Super quibus requisitus, quia pro veritate sentirem, censebam prout infra de Jure respondendum. Etenim primum dubium
36negativè resolvendum videtur; quoniam fundatio præfati Oratorii publici Patrum S. Philippi Nerii intra limites Parochialis Ecclesiæ magnum affert præjudicium, tum eidem Ecclesiæ, quia stante dicta fundatione, Ecclesia Parochialis non haberet eumdem concursum, & oblationes Fidelium; tum Communitati præfatæ, quia PP. Congregantes captarent omnia Fidelium suffragia distribui solita Beneficiatis ejusdem Communitatis, ac proinde fundatio prædicta subsistinenda non venit juxta *Calderin. de Privileg. cons. 12. num. 1.*

37 Concurrente præsertim oppositione hodierni Parochi, quæ in hac materia est

considerabilis, cùm ejus consensus sit requisitus ratione præjudicii resultantis in emolumentis oblationum, & eleemosinarum, ratione Anniversariorum, & Missarum, aliorumque Divinorum. *Card. de Luca de Regular. disc. 29. num. 14. Ventrigl. in prax. annot. 18. num. 5. §. unic.* Nec non oppositioni etiam populi ejusdem Communitatis, cujus consensus requiritur in erectione novæ Ecclesiæ Regularium juxta *Card. de Luca ubi supra num. 15.*

Non obstat, quòd Rector tunc temporis, & Communitas præfata suum præstiterint consensum in fundatione dicti Oratorii, quia Rector consensit cum conditione *Salvis Juribus Parochialibus*, & Communitas cum pacto, & conditione, quòd Fundator subscribere deberet tot Capitula.

Quæ conditiones cùm non sint purificatæ, dum per fundationem dicti Oratorii non salvantur Jura Parochialia, nec à Fundatore fuerunt subscripta memorata Capitula, sequitur, quòd eorum consensus habeatur, ac si non esset.

Minusque officit consensus præstitus ab Episcopo, quia Oratoriorum erectio non debet ab Episcopis de facili permitti ob damna spiritualia, quæ eveniunt Parochianis, ut docet *Monacel. in Formul. for. Ecclesiast. tit. 13. num. 42.* nec potest Epi-
38 scopus licentiam concedere asservandi continuò, & permanenter in Oratoriis non curatis Sanctissimum Sacramentum pro Adoratione Fidelium, cùm ad hoc requiratur licentia Papæ juxta *Ventrigl. in prax. annot. 19. §. unic. par. 2. num. 18.*

Quoad secundum dubium negativè res-
39 pondendum videtur: Quoniam Oratoria publica Regularium, seu Religiosorum cùm sint eorumdem Ecclesiæ, non potest Vicarius Generalis licentiam concedere illa erigendi *Ventrigl. in prax. annot. 18. num. 22. §. In his terminis. Niccol. resolut. Canonic. lib. 1. tit. 28. de Vicar. Capitular. num. 22.* Eâ ratione, quia facultas erigendi novas Ecclesias Religiosorum ob rei gravitatem de Jure, & specialiter commissa Episcopo juxta *Text. in cap. Quidam cap. de Monach. & cap. Cellulas 18. quæst. 2.* Adeoque in generali commissione Vicarii non venit hujusmodi facultas, quę certę personę, vel dignitati à Jure est specialiter commissa *Leg. 1. ff. de Offic. ejus, cui Mandat. & Jurisdict. & cap. 2. de Offic. Vicar. lib. 6.*

Tertii dubii resolutio affirmativa esse videtur. Etenim pendente recursu per Rectorem, & Communitatem prædictam ante Vicarium Generalem, ne permitteret sub pæna nullitatis, & attentatorum Patrum Sancti Philippi Nerii fundationem Oratorii, præfati PP. deveniendo ad dictam fundationem dicuntur attentasse, adeoque ipsi tenentur, & obligati sunt ad hujusmodi Attentatorum purgationem, *Lancellott. de Attentat. par. 3. cap. 29. n. 99.*

Quarto denique dubio negativè respondendum est. Cùm enim distributiones non debentur, nisi Interessentibus in Choro Divinis Officiis non possunt PP. prædicti Oratorii ad hujus bonum Regimen, & administrationem incumbentes exigere distributiones debitas Interessentibus in Choro Parochiæ.

40 His tamen non obstantibus contrarium verius de Jure censeo; primum namque dubium affirmativè resolvendum esse arbitror, quoniam hujusmodi Oratorium publicum, seu Ecclesia PP. Sancti Philippi Nerii erectum fuit, & fundatum à Martino Ballester intra limites Ecclesiæ Parochialis de consensu Episcopi, Rectoris, nec non Communitatis, & Proregis, quorum omnium interveniente consensu fundatio, seu erectio præfata Oratorii absque dubio substinenda venit juxta *Text. in cap. Auctoritate de Privileg. in 6. ibique Gloss. verb. Oratoria, Geminian. num. 2. Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 11. art. 12. num. 2. Lezzan. in Summa tom. 4. consult. 45. num. 141.* & fuit resolutum à *Sacra Congregatione Concilii in Posnanien. aperitionis Oratorii 16. Februarii 1704. & 19. Aprilis 1704. & in Forolivien. erectionis Ecclesiæ 16. Junii 1694.*

Immo etiam si Oratorium non fuisset à præfato Ballester finitum, tamen quia fuit cœptum ab ipso cum licentia Episcopi, poterat finiri, & finitum augeri, seu extendi absque alia licentia, ut docent *Ventrigl. in prax. Annot. 18. num. 24.*

Animadvertendo præsertim, quod fundatio hujusmodi Oratorii redundat ad majorem Dei gloriam Sancti Philippi Nerii

lau-

laudem, & Animarum salutem, nec ullum certum præjudicium affert Rectori Ecclesiæ Parochialis, nec præfatæ Communitati, unde fundatio prædicti Oratorii non est cur non sit approbanda juxta vulgatum, & juridicum illud axioma: *Quod tibi non nocet, & alteri prodest, de facili concedendum est: L. in Creditore ff. de evict. ibique Gloss. verb. Quod sine dispendio.*

Nullatenus adversatur oppositio moderni Parochi impedire conantis fundationem præfati Oratorii sub prætextu præjudicii ei resultantis ex diminutione concursûs, & in emolumentis oblationum, eleemosinarum, Anniversariorum, & Mis-
41 sarum: quoniam præjudicium proveniens Ecclesiis Parochialibus ex diminutione concursûs, & eleemosinarum penitus contemnitur, & Parochi semper succumbent, quoties hoc Clypeo velint se opponere ædificationi novarum Ecclesiarum juxta plures resolutiones *Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, quas refert Monacell. in Formul. for. Eccles. Formul.* 10. *tit.* 6. *num.* 9. *& seqq.*

Et licèt de Jure communi oblationes,
42 & eleemosinæ, quæ à fidelibus fiunt, & offeruntur, Cappellis, Oratoriis, Ecclesiasticis existentibus intra limites Parochiæ debeantur Parocho, ut tradunt *Capon. discept.* 77. *per tot. Amostaz. de Causis Piis par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *Tondut. quæst. Benefic. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 63. *num.* 8. *& seqq.* Tamen quando oblationes fiunt Oratorio, seu Congregationi Oratorii, quæ habeat propriam Ecclesiam, non fit ulla injuria, & præjudicium, si non debeantur Parocho; quia illa de Jure sunt, & converti debent in utilitatem illius Ecclesiæ, juxta *Carol. Anton. de Luca ad Ventrigl. part.* 2. *Annot.* 16. §. *unic. num.* 16. *Monacell. Formul. for. Eccles. Formul.* 10. *tit.* 6. *num.* 20. *& seqq.*

Nec considerabilis est alia oppositio Communitatis; nam cum ista de anno 1693. consenserit præfatæ fundationi, se
43 opponere nunc eidem fundationi, dicitur oppositio affectata, quæ negligi solet juxta *Card. de Luca de Regul. disc.* 29. *num.* 15.

Non obstat, quod Rector tunc temporis suum præstiterit consensum fundationi dicti Oratorii cum clausula *Salvis Juribus Parochialibus*, quæ cum non verificetur ejus consensus, pro nullo habetur. Quia cùm clausula illa non intelligatur quoad concursum, & oblationes Fidelium, sed quoad Decimas, & primitias dumtaxat, quæ à Laicis solent Parochis exhiberi juxta *Lezzan. in Summ. tom.* 4. *cons.* 24. *num.* 17. optimè verificatur conditio illa, dum Decimæ, & primitiæ non recipiuntur à dicto Oratorio, sed ab Ecclesia Parochiali.

Sed etiam si non interveniisset consensus Parochi, immo hic suum positivum dissensum interposuisset; Adhuc fundatio
44 Oratorii substinenda esset, quia Oratorium publicum fundari potest intra limites alicujus Parochiæ etiam invito Plebano, cum consensu tamen Diœcesani, etiamsi sequeretur aliquod damnum Parochiæ non magnum, ea ratione, quia non debet quis impediri facere talem ædificationem, quæ tendit ad augendum Cultum Divinum, ut docet *Paulus de Cittadin. de Jurepatr. par.* 3. *caus.* 1. *num.* 90. *Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 3. *art.* 15. *nu.* 3.
45 *vers. Tu adverte*. Et eo ipso, quòd in fundatione Oratorii publici intervenit consensus Episcopi, excluditur præsumptio præjudicii Ecclesiæ Parochialis, quia aliàs si præjudicium aliquod juridicum pateretur Plebanus, ipse Diœcesanus non consensisset, ut arguit *Lambertin. ubi suprà*.

Immo cùm Congregatio PP. S. Philippi Nerii non accedat ad funera, minusque admittat sepulturam Cadaverum in Ecclesia, sequitur, quòd ejus introductio nullum, aut modicum, ac remotum præjudicium Parocho causet, adeoque consensus Parochi suppleri potest per superiorem. *Card. de Luca de Regul. disc.* 29. *numer.* 15. *Ventrigl. in prax. annot.* 18. §. *Unico num.* 5.

Nec attendenda venit altera objectio,
46 nempe quòd Episcopus licentiam concedere non possit asservandi continuò, & permanenter in Oratoriis non curatis Sanctissimum Sacramentum pro adoratione Fidelium, cùm ad hoc requiratur licentia Papæ; quia hoc solùm procedit in Oratoriis, quæ sub regimine Laicorum sunt, non verò in Oratoriis publicis, seu Ecclesiis Religiosorum; ubi de licentia Episcopi asservari posse Sanctissimum Sacra-

cramentum testatur *Barbos. de potestat. Paroch. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 51.

Quoad secundum dubium affirmativè
47est respondendum; quoniam Vicarius Capitularis Sede Vacante, quoad Jurisdictionem succedit Episcopo, unde sicuti Episcopus potest dare licentiam aperiendi Oratoria publica, juxta *Textum in dicto cap. Auctoritate de Privileg. in 6. ibique Gloss. verbo Oratoria*, ita & Vicarius Capitularis poterit dare hujusmodi licentiam, cùm jurisdictio Vicarii Capitularis eadem sit, quæ fuit Episcopi. *Niccol. resol. Canonic. lib.* 1. *tit.* 28. *de Vicar. Capitul. numer.* 21. *& in Flosc. verb. Vicarius Capitularis num.* 68.

Immo quoddam Monasterium Fratrum S. Dominici cæptum ædificari de licentia Vicarii Capitularis, respondit Sacra Congregatio Concilii, sinendum esse ad finem perduci, ut testatur *Fagnan. in cap. Non amplius de Institut. num.* 70. ergo à fortiori idem Vicarius Capitularis poterit dare licentiam ædificandi Oratoria publica, & hæc cæpta ædificari de ejus licentia, permittendum est, ad finem perduci; cùm facultas erigendi novum Monasterium non competat Episcopo de Jure
48communi, sicut ei competit facultas erigendi Oratoria publica *Fagnan. ubi supra num.* 75.

In nihilo obstante, si non interveniat positivus, & expressus consensus Capituli, quia eo ipso, quòd Vicarius Capitularis consentit Fundationi publici Oratorii, præsumitur eidem fundationi consensisse etiam Capitulum, cum Vicarius Capitularis exerceat Jurisdictionem Capituli.

Descendendo ad examen tertii dubii, ejus resolutionem negativam esse censeo; etenim PP. S. Philippi Nerii devenientes de consensu Vicarii Capitularis ad totalem executionem fundationis dicti Oratorii, jam à multo tempore de consensu Episcopi legitimè fundati, & constructi, nulla commiserunt Attentata, non obstante supplicatione porrecta à Parocho, & Communitate eidem Vicario, ne permitteret sub pœna nullitatis, & Attentatorum fundationem Oratorii, quoniam totalis executio fundationis Oratorii facta à dictis Patribus non tendit in contemptum jurisdictionis alicujus Judicis, cum à Vicario Capitulari, aut ab alio Judice non fuit eis facta inhibitio, & prohibitio, ne exequerentur totalem fundationem Oratorii, immo ab eodem Vicario fuit eis permissum illam ad finem perduci. Nec tendit in præjudicium moderni Parochi, & Communitatis, juxta superiùs adducta; Adeoque prædicti Patres deveniendo ad hujusmodi fundationem dici non possunt attentasse; cum actus attentatus dicatur ille, qui tendit in contem-
49ptum Judicis, & in præjudicium partis, juxta *Lancellot. de Attent. part.* 1. *in præfat. num.* 42. *&* 44. *Card. de Luca de Judic. disc.* 18. *num.* 26. Ac proinde non est locus impræsentiarum purgationi attentatorum, cum hæc solum detur, ubi adsunt Attentata, ut docet idem *Lancellot. par.* 3. *cap.* 29. *num.* 99.

Quartum denique dubium resolven-
50odum est cum distinctione; aut enim aliquis ex Patribus dicti Oratorii possidens Beneficium in Parochia adest, seu interest Statutis oris in Choro ejusdem Parochiæ pro celebratione Divinorum Officiorum, & debentur ei distributiones quotidianæ, juxta *Textum in cap. Unic. de Cleric. non resid. in 6. Fagnan. in cap. De cætero de Cleric. non resid. num.* 10. Si verò non præstat in Choro hujusmodi Interessentiam Divinis Officiis, distributiones quotidianas exigere non potest, cùm istæ nihil commune habeant cum corpore Beneficii, sed dentur ratione servitii, & in recompensam sollicitudinis Divinorum Officiorum, ut notat idem *Fagnan. in cap. Gravis de restit. spoliat. num.* 78.

R. P. D.

R. P. D.

LANCETTA

Nullius, seu Montis Cassinen. Manutentionis.

Veneris 10. *Junii* 1712.

JUra, & præeminentias Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris Cerbarii tueri satagentes illius Archipresbyter, & Clerus adversus Parochum, & Abbatem Ecclesiæ Sancti Pauli extra dictam Terram existentis; duplici innitebantur fundamento; Matricitatis nempè, & transactionis, quæ usque ab anno 1634. inter has Ecclesias, earumque Rectores inita fuerat; è contra verò vigore Brevis sa: me: Innocentii III. præfatam Ecclesiam S. Pauli à quacumque subjectione liberam, & immunem esse opponebatur; Hinc delata controversia ad A. C. concessa extitit manutentio dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris, quoad actus præeminentiales in ejus decreto designatos, nempè respectu *ad statum, & nuncupationem Ecclesiæ Majoris, & Matricis Terræ Cerbarii privativè quoad Ecclesiam Sancti Pauli, quoad præcedentiam in quibuscumque Processionibus, & sessionibus unitim fieri solitis, & pulsationem Campanarum ante omnes alias Ecclesias in die Sabbati Sancti, ac quoad exercitium functionum, cæterorumque actuum in transactione contentorum; Et ulterius demandata fuit observantia ejusdem transactionis, ac brevis executio.*

Nec dispar fuit exitus Causæ per appellationem ad nostrum Tribunal devolutæ; nam proposito per me hodie dubio omnium dictarum prætensionum complexivo, DD. censuerunt *Manutentionem dandam esse Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, sive ejus Archipresbytero, etiam super delatione Stolæ in tumulatione Cadaverum Advenarum, & Peregrinorum, transactionem subsistineri, & Breve esse exequendum.*

51 Distincte enim, juxta dubii partes, procedendo, cum respectu ad controversos præeminentiæ actus possessio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ canonizata fuit etiam anno 1642. per mandatum de manutenendo in Tribunali A. C. reportatum, ac anno 1697. mediante Instrumento publico super ejusdem statu in sequelam Edicti Vicarii Cassinen. celebrato, continuata subinde appareat ad hæc usque tempora, tum ex depositionibus quamplurium Testium, tum & fortiùs ex relatione Ordinarii, sive Abbatis Cassinen. novissimè transmissa ad Sacram Congregationem Concilii, utique eadem Ecclesia Sanctæ Mariæ in dicta possessione manutenenda venit ex passim vulgatis Juribus, de quibus *Rota in Senen. Jurium Parochialium* 13. *Februarii* 1708. §. *Cum enim coram Me, & in Perusina Præeminentiarum super Manutentione* 2. *Decembris* 1711. §. *finali coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Et quamvis ex præfata Ordinarii relatione constet, quòd etiam Parochus Ecclesiæ Sancti Pauli cumulativè cum Archipresbytero deferre consueverit Stolam in tumulatione Cadaverum Advenarum, & Peregrinorum, quia tamen, ut prosequitur dicta relatio, in vim decreti Synodalis solùm Archipresbyter administrat Sacramenta eisdem Peregrinis, & Advenis, eorumque Cadavera in Ecclesia Sanctæ Mariæ tumulantur, ideo ejus tantùm pos-
52 sessio manuteneri debet, cùm usus Stolæ in signum Parochialis Jurisdictionis in hisce actibus privativè spectet ad Parochum *Barbos. de Offic. & potest. Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *numer.* 76. *& in Summ. Apostol. dec. collect.* 236. *num.* 10. *Gratian. discept. Forens. cap.* 298. *à num* 65. *cum pluribus seqq. Pignatell. consultat.* 73. *numer.* 21. *tom.* 8. *Rot. coram Zarat. dec.* 45. *num.* 4.

Maximè quia hîc concurrunt non leves probationes Matricitatis favore Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & cùm non agatur de illa probanda in petitorio, ad concludendam genericam subjectionem quoad duriores effectus, perceptiones decimarum, emolumentorum Parochialium, & similium, in quibus terminis probationes debent esse plenæ, & concludentes, sed in hypothesi solùm adducta fuerit ad colorandum possessorium respectu Jurium præeminentialium, de quibus est quæstio, profectò sufficit probatio Matricitatis impropriæ,

ut

ut distinguendo tradunt *Card. de Luca de Paroch. disc.* 27. *num.* 9. *& de Decim. disc.* 12. *num.* 13. *Rot. in Bisinianen. Præeminentiarum* 10. *Februarii* 1710. §. *Minusque, & seqq. &* 16. *Januarii* 1711. §. *Siquidem rursus coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Hujusmodi autem Matricitas resultat
53 ex antiquissimis enunciativis per Ordinarios emissis in visitationibus annorum 1595. ac 1634. quibus sanè ad hunc effectum deferendum est, cùm Episcopus apprimè informatus censeatur de statu, & prærogativis suarum Ecclesiarum *Rota decis.* 397. *num.* 6. *& seqq. par.* 13. *recent. decis.* 685. *num.* 9. *coram Cerro, decis.* 14. *num.* 2. *coram R. P. D. meo Ansaldo, & in dicta Bisinianen. Præeminentiarum* 10. *Februarii* 1610. §. *Sed voci, &* 16. *Januarii* 1611. §. *Siquidem in fine coram eodem.*

Eoque potissimum, quia in altera ex dictis Visitationibus, anni nempè 1619. adnotatum legitur Ordinarii decretum, in quo statuitur: *quòd Archipresbyter præcedat Abbatem Sancti Pauli in Processionibus, & omnibus aliis*: In altera verò anni 1634. idem Abbas Sancti Pauli expressè fassus fuit, Ecclesiam Sanctæ Mariæ *esse Matricem*, quamobrem tam ex ipsa declaratione, in actu proportionato facta ab Episcopo, quàm ex dicta partis confessione, urgens emergit Matricitatis argumentum, ut in ordine ad primam conclusionem prosequitur *Rota dicta decis.* 14. *numer.* 1. *coram R. P. D. meo Ansaldo, & decis.* 284. *num.* 4. *par.* 14. *recent.* & respectu ad secundam *Rot. dicta decis.* 397. *num.* 2. *par.* 13. *recent. & in dicta Bisinianen. Præeminentiarum* 10. *Februarii* 1710. §. *In primis, &* 16. *Januarii* 1711. §. *Fortiùs coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Validiùs præmissa confirmantur ex re Judicata anni 1642. suscitatâ enim tunc temporis controversiâ inter Rectores Ecclesiarum Collitigantium super præcedentia pulsandi Campanas die Sabbati majoris Hebdomadæ, quamvis Vicarius Generalis, tanquam Commissarius delegatus, hanc facultatem promiscuè utrique Ecclesiæ competere declaravit, attamen Ordinarius in gradu appellationis pronun-
54 ciavit, illud privativè spectare ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ utique hujusmodi prærogativâ, citra Matricitatis præeminentiam insigniri non poterat *Card. de Luca de præeminent. disc.* 42. *numer.* 15. *Rota coram Merlin. decis.* 109. *& coram Dunoz. sen. decis.* 198. *num.* 2. *& in dicta Bisinianen. Præeminentiarum* 16. *Januarii* 1711. §. *finali coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Nec quicquam suffragatur exceptio, quòd dicta sententia sit evidenter nulla, ex quo Ordinarius non poterat ampliùs se ingerere in causa postquam super eâdem pronunciaverat Vicarius Generalis; nam ultra quòd iste processit uti Commissarius delegatus, cessat vis objecti, animadvertendo, quòd devolutâ per ulteriorem appellationem causâ ad A. C. tantùm abest, ut præfata sententia revocata fuerit, quin potiùs Ecclesia Sanctæ Mariæ manutentionem reportaverit in possessione *Matricitatis*, & exercitio aliarum præeminentiarum, & de facto, recedentibus subinde partibus ab hac lite, mediante transactione (de qua infra) In ea signanter Canonizata fuit favore Ecclesiæ Sanctæ Mariæ præcedentia in pulsatione Campanæ dicta die Sabbati Sancti, adeout perperam modò controvertatur veritas, quæ toties per rem Judicatam, & per partis confessionem confirmata extitit *Rot. in sæpedicta decis.* 14. *num.* 7. 8. *&* 15. *coram R. P. D. meo Ansaldo, & infanen. Jurisdictionis* 31. *Januarii* 1704. §. *Quod autem coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

Adaugetur assumpti comprobatio, tum ex Inventario Ecclesiæ Sancti Pauli, expleto anno 1696. tum ex alio anni 1697. super statu Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris, præsentibus Rectore, & Clero utriusque Ecclesiæ, in eis enim concorditer semper eadem Ecclesia Sanctæ Mariæ *Matrix* nuncupatur, ac controversæ ejusdem præeminentiæ recensentur, ex quibus probatio Matricitatis, juxta præmissa substantiatur.

55 Præterea in idem etiam Collimant quamplures inscriptiones in lapidibus sępedictæ Ecclesiæ insculptæ, & licèt nonnullæ ex eis, tanquam recentes redarguantur per simplices fides aliquorum testium, pendente lite, expiscatas, attamen ab hac nota omnino immunis est illa, quę

usque

usque ab anno 1653. incisa dignoscitur in Campana majori ejusdem Ecclesiæ ibi: *Hæc est sola Matrix*; quæque proinde optimè confert ad Intentum *Gloss. in cap. Causam quæ de probat. & notant scribentes in l. Monumenta C. de relig. & sumpt. funer. Card. de Luca de præeminent. disc. 2. num. 7. cum Concordan. apud Rot. coram Arguell. decis. 17. num. 41.*

Et tandem accedit dicta relatio Ordinarii, transmissa ad Sacram Congregationem Concili, in qua nedum testatur, Ecclesiam Sanctæ Mariæ esse *Matricem*, sed etiam subdit, ut dictum est, quòd ejus Archipresbyter Sacramenta ministrat Advenis, & Peregrinis, & consequenter ex hoc actu univocè in aperto ponitur controversa matricitas in hoc Iudicio possessorio, ad effectum consequendi dumtaxat controversa Iura præeminentialia *Pignatell. consultat. 109. num. 4. tom. 9. Rot. dicta decis. 397. num. 8. par. 13. & in dicta Bisinianen. Præeminentiarum 17. Februarii 1710. §. Mirificè coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Consecutivè ex his substinetur transactio, celebrata anno 1643. non attenta duplici exceptione, quòd scilicet utilis non fuerit Ecclesiæ Sancti Pauli, & destituta appareat Beneplacito Apostolico; prima enim cessat in facto, nam in illa constabilita fuit præcedentia favore Parochi, & Cleri S. Pauli in propria Ecclesia, quæ, præscindendo à transactione, eisdem non competebat; altera verò tollitur ex pluribus facti circumstantiis, quæ simul unitæ in præsenti hypothesi, validitatem ejusdem transactionis secum ferunt, quia, nempe bona fide, inita extitit inter duas Ecclesias super Iuribus præeminentialibus ad dirimendas controversias, Divino Cultui admodum præjudiciales, & etiam ex quo nihil in illa datum fuit ab Ecclesia Sancti Pauli, nisi id, quod præcedenter competebat Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, tum ratione assistentiæ Iuris propter Matricitatem, tum ratione rei Iudicatæ ad favorem ejusdem vigentis, adeout nunquam spatio septuaginta, ferè annorum impugnata fuerit, sed pacificum semper effectum sortita dignoscatur, in quibns terminis, vel Beneplacitum non requiritur, ut per *Text. in cap. Finali de pact. in 6.* respondit *Rota coram Seraphin. decis. 36. per tot. & coram Cerro decis. 570. num. 15.* ubi quòd sufficit, ut transactio contineat pacta licita, & honesta, *decis. 305. num. finali tom. 1. & decis. 460. num. 25. tom. 2. par. 19. recent.* ubi quòd hujusmodi de-
56 terminationes pro bono pacis, Ecclesiarum concordia, & populorum quiete, absque Beneplacito Apostolico, substinentur, *& in Eugubina Præeminentiarum 20. Februarii 1702. §. finali coram Eminentissimo D. Cardinali Priolo, & in Monopolitana Præeminentiarum super manutentione 16. Junii 1704. §. Non relevantibus coram Reverendissimo Domino meo Decano.*

Vel præsumi debet non obstante, quòd lapsum non fuerit tempus centum annorum à notissima Constitutione san. mem. Urbani VIII. requisitum, quia hæc locum sibi vindicat in contractibus Ecclesiæ præjudicialibus, initis cum Clericis, sive aliis particularibus non autem cum alia Ecclesia ex justa, & rationabili causa, ut præcisè animadvertit *Rot. coram Dunozett. Jun. decis. 713. num. 6. & 10. & decis. 1169. num. 5. & 6. coram Emerix Jun.*

Deveniendo ad postremam Dubii partem, exequendum pariter est Breve san. mem. Innocentii III. nam istud præfefert tantummodo confirmationem sententiæ latæ per Cardinalem Roffridum tunc temporis Abbatem Cassinensem, in qua Parocho Sancti Pauli concedebatur facultas retinendi in propria Ecclesia æquè Parochiali fontem Baptismalem, suisque Parochianis liberè Sacramenta ministran-
57 di, cumque quoad hos actus idem Breve usque non observatum fuerit, profectò executioni demandandum venit, *Rot. decis. 558. num. 1. par. 1. & decis. 189. num. 1. par. 15. recen. & decis. 112. num. 2. coram Cerreo.*

Cæterum nullo modo obstat supradictæ impropriæ Matricitati, quamvis, referendo sententiæ verba exprimat quòd Ecclesia S. Pauli: *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in nullo subjaceat*: tum quia stat benè simul quòd Ecclesia S. Pauli non sit propriè, & formaliter subjecta, & tamen contendere nequeat supradictas præeminentias Ecclesiæ Sanctæ Mariæ propter

impropriam Matricitatem jam comprobatam, tum quia hæc expressio respicit retentionem fontis Baptismalis, ac Sacramentorum administrationem, quorum dumtaxat actuum libertas, ac exercitium in controversiam deductum fuerat, quemadmodum apertè convincitur ex tenore sententiæ in eadem Bulla relato, atque ideò præfata enunciativa, quamquam generalis, & indefinita ad suam speciem restringi, ac juxta subjectam materiam intelligi debet, *l. Quæsitum §. Mœnia ff. de legat. 3. Surdus consil. 33. num. 26. & consil. 421. num. 12. Rocc. disput. Iur. cap. 166. num. 7. tom. 2. Rot. coram Coccin. decis. 1788. num. 79. & coram Bich. decis. 295. num. 1. & decis. 407. n. 7. & in rec. decis. 428. num. 16. par. 4. tom. 2. & decis. 303. num. 12. par. 19.*

Omnemque submovet hæsitationem vetustissima observantia, nam per quinque secula, & ultra Parochi Sancti Pauli potiti solum fuerunt facultate exercendi Curam Animarum propriæ Parochiæ, semper verò intacta remanserunt Iura præeminentialia Ecclesiæ Sanctæ Mariæ per tot actus, res Iudicatas, & transactio in dies constabilita, itaut inde ad evidentiam usque dignoscatur quid, & quantum in dicto Brevi comprehensum fuerit, *Rota coram San. mem. Alexandro VIII. decis. 175. num. 10. & decis. 1342. num. 8. coram Emer. Jun. & decis. 65. numer. 13. & decis. 319. num. 3. par. 15. & decis. 533. num. 11. par. 18. recent.*

Et ita utraque &c.

R. P. D.

FALCONERIO

Leodien. Dismembrationis.

Lunæ 1. *Februarii* 1712.

REctor Matricis, & Parochialis Ecclesiæ Oppidi Beringen. de Iure patronatûs Marchionis de Trichateau à primæva illius erectione, semper Sacramenta ministravit, tam Oppidanis, quam Suburbanis commorantibus in quatuor vicis, nuncupatis: *Pael*, *Brealer*, *Merbergh*, & *Trevaent*; Hicque juxta Regionis stylum nuncupatur Pastor, & in suæ Curæ adjutorium retinet duos Presbyteros qui diù, noctuque unâ cum ipso Pastore dictæ Curæ incumbunt. Pari semper pietate conjunctus fuit uterque populus Oppidanus, & Suburbanus in parandis expensis pro indigentiis dictæ Ecclesiæ; immo mediante solemni concordia stipulata de anno 1530. Suburbani promiserunt contribuere duas ex tribus partibus dictarum expensarum, Oppidani verò solummodo unam, sicuti promissa adimpleverunt de anno 1654, in quo eamdem Ecclesiam in pulchriorem formam reædificarunt, atque in ea admodum eminentem elevarunt Turrim.

Anno 1700. præmeditantes Suburbani se eximere à subjectione dictæ Ecclesiæ, sumpto præsidio à nimia illius distantia ab eorum vicis à viarum inundatione, ac à Ianuarum dicti Oppidi Beringen. clausura tempore nocturno, recursum habuerunt ad Vicarium Generalem Leodien. ad hoc, ut dismembratis dictis quatuor Vicis ab antiqua matre, erigeret in Parochialem Cappellam Sancti Ioannis Baptistæ sitam in Vico *Pael*, sed comperto, quòd Vicus *Tervaent* magis distaret à Cappella, quàm ab Ecclesia Matrice, quòd nonnullæ Domus in æquali reperirentur distantia, & duæ adessent viæ, quarum altera non erat inundationibus obnoxia, & demum, quòd Ianuæ dicti Oppidi semper, & omni tempore ad nutum Suburbanorum aperirentur, à cæptâ instantiâ recesserunt mediante declaratione, quòd semper debito tempore à proprio Pastore recepissent Sacramenta, & revocato eorum assensu pro petita dismembratione, protestati fuerunt, nolle quidquam contribuere pro indigentiis dictæ Parochialis Ecclesiæ erigendæ.

Post quinquennale silentium restaurarunt de anno 1705. eandem instantiam: Et quamvis Pastor, & Consules dicti Oppidi pro dirimenda quacumque controversia obtulissent deputare in præfata Cappella Presbyterum, qui Sacramenta eis ministraret, & singulis diebus festivis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vis concionaretur, ac Missam celebraret; attamen Vicarius Generalis, non citato Pastore, Patrono, & Consulibus, ac omni prorsus ordine judiciali prætermisso, sub die 26. Junii 1708. sententiam dismembrationis, & erectionis respectivè dictæ Cappeilæ in Parochialem protulit, de qua habitâ intra decennium notitiâ, & interpositâ ad S. Sedem appellatione, post mihi delegatam causam, concessis, & successivè in partibus præsentatis litteris inhibitorialibus, & compulsorialibus, non perhorruerunt in illarum spretum fontem Baptismalem erigere, mortuos tumulare in dicta Cappella, atque consimilia, & majora patrare attentata; unde pro illorum purgatione disputato dubio sub die 27. Junii 1710. Domini rescripserunt: *Videatur de bono Jure etiam ad effectum Attentatorum*: Quocirca ad trutinam revocato in hodierna Audientia congruo dubio, fuit à Dominis definitum: *constare de bono Jure Adriani dictæ Matricis Ecclesiæ Pastoris, etiam ad effectum Attentatorum purgandorum per viam nullitatis, & ad mentem.*

Etenim de bono Jure Adriani constare compertum fuit, attenta nullitate, & injustia dismembrationis, & respectivè erectionis novæ Parochialis expletæ à Vicario Generali Leodien. Et quidem nullitas visa fuit insanabilis, uti proveniens tam à defectu Jurisdictionis, quàm ab illo citationis, juxta sancita in Bullis Pii IV. & Clementis VIII. de quibus *Gratian. discept. Foren. cap.* 762. *num.* 11. *Ridolphin. in prax. par.* 1. *cap.* 13. *num.* 348. *& seqq. Ricc. collect.* 2865. *Rota decis.* 36. *num.* 1. *& seq. par.* 10. *recent.*

Defectus primæ apertè promanat ex eo,
58 quòd dismembratio, & erectio novæ Parochiæ facta fuit auctoritate Ordinaria à dicto Vicario Generali, qui absque speciali facultate, & mandato Celsissimi Episcopi nequivit dismembrationes, & novas Parochiarum erectiones explere, *Sbrozz. de Offic. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 116. *num.* 6. ea per ipsum allegata ratione, quòd dismembratio est species alienationis, quæ uti fieri nequit à Procuratore sine speciali mandato, ita nec pariter à Vicario, qui dicitur Procurator Episcopi, *Barbos. de potest. Episcop. allegat.* 54. *num.* 76. *Ventrigl. in prax. tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *nu.* 21. *Pax Jord. lucubrat. tom.* 2. *lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 160. *Rot. cor. Puteo decis.* 53. *num.* 1. *lib.* 3. *in correct. & coram Ubald. dec.* 865. *num.* 3.

Neque dicta nullitas salvari potest sub prætextu, quòd Vicarius processerit uti Administrator Celsissimi Episcopi, quia dicta qualitas tantummodo educitur à quibusdam enunciativis emissis de anno 1700. & 1701. quæ nequeunt concludere, illam adfuisse de anno 1708. de quo tempore fuit ab ipso lata sententia dismembrationis, veluti de mandato Dominorum meorum, fuit à me in comperto positum oculari recognitione litterarum Apostolicarum, quibus Celsissimus Episcopus fuit de Ecclesia Leodien. provisus, dum illæ fuerunt expeditæ sub die 29. Septembris 1694. & in eis asseritur, tunc fuisse constitutum in ætate 23. annorum, ideoque in spiritualibus fuit dictæ Ecclesiæ Deputatus Administrator, quousque ipse ad ætatem legitimam perveniret, ibi; *Teque ex nunc donec ad ætatem legitimam perveneris, eidem Ecclesiæ Leodien. Administratorem in Spiritualibus quidem ab eis dependentibus &c.* Et inferiùs ibi: *Ac ex nunc prout ex tunc postquam ad ætatem legitimam hujusmodi perveneris, de persona tua prædictæ Ecclesiæ Leodien. eadem auctoritate providemus*: Cum igitur legitima ætas Episcopi sit triginta annorum, uti præfinitur à *Text. in cap. Cum in cunctis* 7. *de elect. & in can. Quæcumque dist.* 77. inde fit, quod si de tempore suæ provisionis, nempe de anno 1694. erat constitutus in ætate 23. annorum, dubio procul de anno 1702. reperiebatur in ætate legitima pro Episcopatu, quamvis Sacerdotium, & Episcopalem ordinem non assumpsisset nisi de anno 1707. & consequenter de anno 1708. quo fuit lata dicta sententia, Ecclesia non erat sub Regimine Administratoriis, sed proprii Antistitis; illa enim est vis, & efficacia dictionis *Donec*: & alterius dictionis *Postquam*: ut prima, quæ fuit relata ad Administratorem, donec Celsissimus Provisus ad ætatem legitimam perveniret, restringat dispositionem cum perseverantia usque ad tempus, cui est adjecta, *Bart. in leg.* 1. *num.* 15. *ff. de condit. & demonstr. Gratian. cons. Sive res-*

pons. 81. *num.* 26. *lib.* 2. Secunda verò, quæ est relata ad ipsum provisum: *Ex nunc prout ex tunc, postquam ad ætatem legitimam perveneris*: Excludit tempus ante ætatem legitimam, & includit tempus posterius, *Paris. cons.* 32. *num.* 83. *lib.* 1. *& cons.* 31. *num.* 31. *lib.* 2. *Menoch. consil.* 1103. *num.* 4.

Id etiam comprobatur ex confessione ipsius Vicarii, qui de anno 1700. se enunciavit Vicarium, & Coadministratorem: In sententia verò lata de anno 1708. prætermisso titulo Coadministratoris, solummodo pronunciavit uti Vicarius Generalis, quinimò expressit procedere: *auctoritate ordinaria*: quæ est diversa ab illa à Sede Apostolica ad tempus ipsi delegata, *cap. Cum aliquibus* §. *Si verò de rescript. in* 6. *Gloss. in cap. fin. sub verb. Casibus de Offic. Judic. Ordin.*

Et inutiliter facultas Vicarii educitur à libello ab ipsis Suburbanis porrecto Celsissimo Episcopo; quoniam ille duas continebat petitiones, alteram super lite orta inter ipsos, & Magistratum super contributione Taxarum; alteram verò super separatione dictorum quatuor vicorum à matrice; unde cum Episcopus remisisset causam ad suum consilium cum illa restrictiva: *quanto al temporale dumtaxat*: & circa causam Spiritualem nil dixisset, cessat ex facto suppositum tributæ facultatis Vicario; tantò magis, quia eadem facultas erat specialiter necessaria, juxta auctoritates supra allegatas, & Episcopus in sua Epistola asseruit, dismembrationem fuisse sequutam ipso inscio, ibi: *senza alcuna mia saputa.*

Defectus verò secundæ est æquè patens,
59dum nec Patronus, neque Pastor dictæ Matricis Ecclesiæ citati fuerunt, & nihilominus ambo erant in dismembratione audiendi: nam quoad Patronum, ille per suum Procuratorem comparuerat, & dum agebatur de dismembratione propriæ Ecclesiæ suppositæ suo Patronatui Laicali, ejus citatio erat omninò necessaria, *Covar. practic. quæst. cap.* 36. *num.* 11. *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 7. *de Reformat. cap.* 6. *num.* 22. *Turricell. de Union. cap.* 9. *num.* 40. *& seq. Garz. de Benefic. par.* 12. *cap.* 2. *numer.* 202. *Pax. Jordan. tom.* 2. *lucubrat.* 10. *tit.* 32. *num.* 86. Prout pariter indispensabiliter requirebatur citatio Rectoris, sive, ut ibi dicunt, Pastoris, *Fagnan. in cap Ad audientiam il primo num.* 29. *de Eccles. ædific.* ubi ait, quòd etsi erectio novæ Parochiæ valeat fieri invito Rectore Matricis, tamen nequit fieri eo irrequisito, & non citato, & refert resolutionem Sactæ Congregationis Concilii, *Garz. de Benef. par.* 12. *cap.* 3. *num.* 3. *vers. Requiritur, Genuen. in praz. num.* 17. *Corrad. in prax. Benefic. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 8. *Nicol. lucubr. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 48. *tit. de Eccles. ædific. num.* 1. *vers. Non verò, Monacell. in Formul. for. Eccles. tom.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *n.* 9.

Nec dicta nullitas declinari potest sub prætextu consuetudinis vigentis in Curia Leodien. de non audiendis partibus in causis dismembrationum, quia hujusmodi consuetudo excluditur à Processu hujus Causæ, à quo constat de anno 1700. 1701. & 1702. Patronum, & Rectorem fuisse in quolibet actu citatos, & ideò si fuerunt citati in compilatione Processûs, nulla ratio assignari potest, quare non debuissent citari in prolatione sententiæ; præsertim quia citatio uti de Jure naturali nequit tolli à statuto, vel contraria consuetudine, *Ubert. de Citat. cap.* 8. *num.* 109. *Pax Jordan. tom.* 3. *lucubrat. lib.* 14. *tit.* 1. *numer.* 2. *& seq.* ubi quòd potest variari modus, dummodo non auferatur defensio, sive absolutè non tollatur citatio, latè *Rota decis.* 639. *num.* 20. *&* 21. ubi quòd nec etiam supremus Princeps citationem tollere potest, *par.* 18. *rec. tom.* 2.

Prout nec pariter citatio diei valet sublata à dispositione *Sacri Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 4. *de Reformat.* ut innuit *Corrad. in prax. Benefic. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. *Siquidem prædictus Author, in antecedenti*
60*num.* 8. defendit, quòd pro justificandis causis fieri debeat Processus, ac omnia in eo registranda sint, nec est novum, quòd in dismembrationibus requiratur Processus cum citatione omnium interesse habentium *Pignatell. consult.* 230. *num.* 18. *tom.* 4. *Rota decis.* 224. *num.* 15. *part.* 10. *recent.* & ultimo loco resolvit Sacra Congregatio Concilii *in Lunen. Sarzanen.* 28. *Februarii* 1711. quæ rescripsit: *Dilata, & Episcopus conficiat Processũ auditis interesse habentibus.*

Nullitati dictæ sententiæ tam ex defectu Jurisdictionis quàm ex defectu citationis, con-

concomitatur manifesta illius injustitia: nam prætermisso examine, an pro hac dismembratione concurrat justa causa, & necessitas, sive magna difficultas accedendi ad Ecclesiam Matricem pro suscipiendis Sacramentis; cùm loci distantia, Flumina intermedia, Portæ Civitatis clausæ, & similia impedimenta tunc præbeant justam causam erigèndi novam Parochiam, quando pariunt dictam difficultatem accedendi ad Ecclesiam Matricem pro susceptione Sacramentorum, optimè *Fagnan. in cap. Ad audientiam sub num. 23. de Eccles. ædificand.* Prætermisso inquam, an ista difficultas sit legitimè, & concludenter probata, sive potiùs submoveatur ab immemorabili accessu ad eandem Ecclesiam Matricem, absque ulla contradictione, sive aliqua legitima probatione, quòd quis ex Parochianis obierit sine Sacramentis propter difficultatem accedendi ad dictam Ecclesiam Matricem ex causa illius magnæ distantiæ, ac ex aquarum inundationibus, sive ex clausura portarum, ut probant *Antonell. de Regim. Ecclesiast. lib. 3. cap. 8. num. 25. Rota decis. 484. num. 5. part. 1. & decis. 288. sub numer. 1. part. 2. recent.* Domini præsupposita etiam subsistentia
61 causarum, eas non sufficere crediderunt, quotiescumque potest aliunde provideri, cum dismembratio sit remedium extraordinarium, & subsidiarium, ad quod nunquam à Judicibus deveniri solet, quotiescumque adsit aliud remedium minùs odiosum, & exorbitans, ut firmavit *Rot. dicta decis. 484. sub num. 4. par. 1. & decis. 223. num. 11. par. 6. decis. 224. num. 18. par. 10. & decis. 578. num. 6. & 7. par. 19. recent. tom. 2.*

Idcirco cùm Pastor se obtulerit deputare Presbyterum, sive Cappellanum Vi-
62 carium amovibilem ad nutum, qui suo nomine, suisque sumptibus, & expensis in dicta Cappella S. Joannis Baptistæ Sacramenta Suburbanis ministraret singulis diebus festivis, conciones faceret, ac Missam celebraret, & cum dicta deputatione remaneat omnibus consultum, necessitatibus nempe Suburbanorum, ac indemnitati Ecclesiæ Matricis, ac ejus Pastoris, necnon etiam Patroni, consequens est, quòd dum potest alio modo provideri, nullatenus deveniri debeat ad odiosum remedium dismembrationis, ut in præcisis terminis resolvit *Rota in dicta decis. 578. per tot. par. 19. tom. 2. recent.* & ex mente Sacræ Congregationis Concilii communiter probant *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. de Reformat. num. 10. & de potestat. Episcop. allegat. 78. num. 7., & in Summ. Apost. decis. in verbo Dismembrare num. 2. Bertacchin. vot. decis. 117. num. 2.* ubi refert resolutionem dictæ Sacræ Congregationis *in Militen. 26. Januarii 1697.* inquien. etiam, non sufficere ad effectum dismembrationis notabilem distantiam, nec intermedium flumen, nec multos sine Sacramentis decessisse, nisi probetur, quòd per appositionem Cappellani suppleri non possit, *Carol. Anton. de Luca de Apost. Regioque assensu quæst. 81. num. 3. Monacell. in Formular. par. 1. tit. 2. Formul. 3. num. 4. Card. de Luca ad Conc. disc. 16. num. 3. & in Miscell. Eccl. disc. 1. num. 116. vers. Secùs autem, & de Paroch. disc. 34. num. 6. Ricc. in prax. par. 1. resol. 486. sub num. 6. Trullench. in Decalog lib. 3. cap. 3. dub. 8. num. 7. Castropal. tract. 13. de Benefic. disput. 6. punct. 10. num. 4. in fin. vers. Illud tamen Rota coram Coccin. decis. 1428. numer. 4. & seqq. & in Recent. decis. 239. num. 4. & decis. 484. num. pariter 4. par. 1. & decis. 288. num. 3. par. 3. & decis. 223. num. 11. par. 6. & decis. 578. num. 7. & 8. par. 19. tom. 2.*

Nec in tot Auctoritatum concursu meretur attendi illa *Monacelli in Form. dicta part. 2. tit. 2. Form. 3. num. 6.* afferentis, quòd ubi Communitas polliceatur novam Parochiam dotare, sit deveniendum ad dismembrationem, non obstante oblatione Parochi constituendi Cappellanum suis sumptibus: nam ultra quòd idem Auctor præcedenti *num. 4.* sibi contradicit, & resolutio Sacræ Congregationis Concilii ab eo adducta loquatur in diversis circumstantiis, ejus opinio adversatur sententiæ Sacræ Rotæ communiter receptæ *in dicta decis. 578. num. 7. & 8. par. 19. tom. 2. rec.* cui sunt conformes resolutiones dictæ Sacræ Congregationis Concilii, quæ postmodum dictæ sententiæ semper adhæsit, sicuti elicitur à pluribus resolutionibus ad hunc effectum cumulatis à *Pascucc. ad Pignatell. de Paroch. tom. 2. fol. 203.*

At quia Pastor obtulit deputare in Cappella

pella Sancti Joannis Baptistæ unum ex suis Vicariis Cappellanis actu inservientibus Ecclesiæ Matrici, cui opponebatur impotentia residendi, & ministrandi Sacramenta in dicta Cappella, propter onus Chori in Matrice, ac propter stipendium, quod habet à Magistratu Beringensi; Idcirco Domini non curando inquirere, an hujusmodi supposita subsistant, pro dirimendis quibuscumque controversiis censuerunt, quòd deputari debeat alius Sacerdos idoneus, ad nutum dicti Pastoris amovibilis, qui hæc, & similia impedimenta non patiatur, & possit ibi residere, ac diu noctuque Sacramenta ministrare, prout in rescripto *Ad mentem* continetur.

In sequelam boni Juris hactenus canonizati favore Adriani, sive Ecclesiæ Matricis, succedit purgatio Attentatorum, quæ in tantùm fuerunt à DD. unâ cum bono Jure discussa, in quantum excludi prætendebatur à Suburbanis culpa positiva ex ignorantia, & erronea credulitate, quòd sententia dismembrationis fuisset valida, quòdque illius executio fuisset potiùs continuatio possessionis circa exercitium novæ Parochialis jam erectæ: Quinnimo illa nequivisset impediri per appellationem, ne discrimen animarum eveniret, ut de attentatis commissis per erroneam credulitatem à meritis causæ dimetiendis *Card. de Luca de Jurisdict. disc.* 115. *num.* 3. Ideoque DD. eos absolvendo à rigorosa purgatione Attentatorum facti, demandarunt illa esse purganda per viam nullitatis, juxta plenè deducta per *Rot. in Nullius, seu Terræ Pontiani successionis super attentatis* 4. *Maii* 1699. *coram R. P. D. meo Ansaldo, inter suas impressas in ordine la* 87. *num.* 1. *& seq. & in illius addit. num.* 34. *&* 35. cum concordantibus.

Et ita fuit conclusum omnibus Informantibus.

ARGUMENTUM.

Destructâ Ecclesiâ à Rectore an Patronus possit repetere ab ipso dotem, Iconem, Calices, Paramenta, Candelabra, & alia Ornamenta, & Sacra Suppellectilia propriæ Cappellæ Patronalis in dicta Ecclesia existentis.

SUMMARIUM.

1 *Patronus tenetur reædificare Cappellam, quando ipsa non in se, sed Ecclesia, in qua sita est, indiget reædificatione, & quidem secundum novam simetriam Ecclesiæ.*

2 *Patronus, quo casu excusetur à reædificatione Cappellæ?*

3 *Patronus an possit petere à Rectore, ut sibi restituantur Dos, Ico, Calices, Candelabra, & alia ornamenta propriæ Cappellæ unâ cum Ecclesia à Rectore destructæ?*

4 *Afferuntur rationes in contrarium, & num.* 5. 6. *&* 7.

8 *Resolvitur affirmativè in duobus casibus, & de ratione num.* 9. *&* 13.

10 *Respondetur rationibus in contrarium allatis, & num.* 11. *&* 12.

14 *Ex pluribus adminiculis, & conjecturis simul junctis arguitur dominium.*

15 *Dominium, seu proprietas Cappellæ ex quibus probetur, & num.* 16. *usque ad* 20.

21 *Argenta, & alia SS. Suppellectilia esse propria Cappellæ Patronalis ex quibus probetur?*

CASUS V.

DEstructâ, ac solo æquatâ Ecclesiâ A, in qua Patronus habebat Cappellam, per Rectorem de consensu, & licentia legitimi Superioris ad effectum illam ampliandi, & in meliorem, ac nobiliorem structuram reducendi; Non quæro hîc an Patronus teneatur reædificare Cappellam Patronalem, quæ non in

in se, sed sola Ecclesia, in qua ipsa sita est opus haheat reædificatione ex integro? Hæc enim quæstio agitatur à Præceptore meo in ejus novo *Tractatu de Controversiis Patron. Alleg.* ubi tue-
1 tur Patronum teneri reædificare Cappellam, quando ipsa non in se, sed Ecclesia, in qua sita est indigeat reædificatione ex integro: immo teneri illam reædificare secundum novam structuram, ac simetriam ejusdem Ecclesiæ: ex auctoritate *Card. de Luca disc.* 84. *de Jurepatr. per tot.* & ex rationibus, quas ibi erudite deductas videre poteris.

Quod quæro est: Si Episcopus, aut Rector Ecclesiæ, quæ fuit solo æquata, nollent, ut Patronus reædificaret Cappellam in Ecclesia de novo reædificanda, aut si Patronus esset pauper, quo casu ratione impossibilitatis excusaretur à re-
2 ædificatione Cappellæ juxta *Antonell. de Jurib. & onerib. Cleric. part 6. lib. 2. c. 11. num.* 14. & Rector nollet illam reædificare, an Patronus possit petere à Rectore, ut sibi restituantur Dos, Ico, Cali-
3 ces, Paramenta, Candelabra, & alia Sacra Suppellectilia, ac ornamenta propriæ Cappellæ Patronalis ab eodem Rectore unâ cum Ecclesia destructæ?

4 Et videtur negativè respondendum, quoniam ab initio fundationis, ac constructionis præfatæ Cappellæ fuerunt à Patrono ei assignata, & oblata Dos, Ico, Calices, Candelabra, & alia ornamenta Sacra, ex qua assignatione, & oblatione duplex oritur impedimentum petendi, & restituendi Patrono hujusmodi ornamenta, & suppellectilia. Primum enim est, quòd per hanc assignationem, & oblationem ornamentorum factam à Patrono propriæ Cappellæ, illa effecta fuerunt Sacra, & Deo dicata, ac proinde non potest Patronus ea petere, ut sibi in hoc casu restituantur, nec Rector Ecclesiæ, in qua Cappella Patronalis sita erat, potest illa Patrono restituere; sed permanere debent in Ecclesia de novo construenda; cum omnibus notum sit, res Sacras, & Deo dicatas, ac ad Divinum Cultum destinatas in ullius commercio esse non posse, nec converti, aut transferri in usus profanos, & personarum secularium, nec de eis testari ad *Text. Semel Deo de reg. jur. in 6. ac juxta Constitut. S. Pii V. edit. anno* 1567. 3. *Kalen. Septembris incipien. Romani Pontificis in Bullar. vet. in ordine la* 44. *Menoch. cons.* 382. *num.* 8. *Paul. de Cittad. de Jurepatr. par.* 3. *caus.* 2. *num.* 26. *in fine. Ballet. disquisit. Cleric.* §. 9. *num.* 2. *& seq. Rot. decis.* 61. *num.* 9. *coram Priolo.*

5 Sic quia Beneficium est ordinatum ad Divinum Officium, non potest Laicus petere, ut sibi conferatur Beneficium; Ita cum Dos, Ico, Candelabra, Calices, & alia ornamenta collata præfatæ Cappellæ sint Deo dicata, & ad Divinum Cultum destinata, non poterit Patronus petere, ut sibi restituantur, in casu demolitionis ejusdem Cappellæ. Ratio est, quia persona privata licèt possit habere administrationem rerum Ecclesiæ merè providentialem, ut dicam infrà in sequenti casu, tamen non potest habere dominium, & usumfructum alicujus rei Religiosæ, & Sacræ, juxta *Gloss. in leg. Status ff. de Usufruct. Abb. in cap. Quoniam de Decim. num.* 1.

6 Secundum impedimentum est, quia per prædictam assignationem, & oblationem ornamentorum factam à Patrono propriæ Cappellæ, hæc effecta fuerunt propria Ecclesiæ, in qua ipsa Cappella constructa fuit, & ad illius dominium transierunt, cum oblationes, & relicta facta Cappellæ existenti intra Ecclesiam, non cedant Cappellæ, sed Ecclesiæ ad *Text. in cap. Pastoralis de his, quæ fiunt à ma: pa: cap. ibique Abb. num.* 2. *& in cap. Quoniam de Decim. num.* 1. ex quo sequitur, quòd Rector Ecclesiæ non possit in hoc casu dicta ornamenta Patrono restituere, immo nec transferre ad aliam Ecclesiam, cùm sit ipsi prohibita alienatio rerum Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus. *Tondut. quæst. Benef. cap.* 43. *num.* 1. *tom.* 1. *Turricell. de rebus Eccles. non alienan. cap.* 1. *num.* 1. *Rot. decis.* 10. *num.* 2. *apud Mantic.*

Quod comprobatur etiam animadvertendo, quòd Rector dictæ Ecclesiæ, quæ
7 destructa fuit unâ cum Cappella per multum temporis spatium, existit in possessione utendi dictis ornamentis Cappellæ, nec non percipiendi fructus dotis ab initio eidem Cappellæ assignatæ; unde

non

non potest Patronus ampliùs repetere dotem, & ornamenta Cappellæ, & spoliare Ecclesiam, seu Rectorem hujusmodi possessione; sed tam dos, quàm ornamenta Cappellæ retinenda sunt per Ecclesiam de novo construendam, & si ibi non reædificetur ipsa Cappella; ex tanti enim temporis decursu inducta fuit obligatio continuandi in dicta possessione, etiamsi ageretur de facultativis, seu de præsentationibus voluntariè factis; nam si populus daret Prædicatori per decennium eleemosinam, ista decemnalis possessio sufficit ad obligandum populum ad continuationem eleemosinæ. *Covar. lib. 1. var. resol. cap. 17. num. 7.* Si Presbyteri pro usu alicujus Confraternitatis per longum tempus commodarent vasa argentea, paramenta, & campanas propriæ Ecclesiæ, cogi possent in futurum ad hæc præstanda. *Rot. decis. 360. num. 7. par. 1. recent.* ergo, & à fortiori ex longa possessione utendi dictis ornamentis, & percipiendi fructus dotis Cappellæ oriretur obligatio respectu Patroni ea non repetendi; respectu verò Rectoris continuandi in dicta possessione; ea ratione, quia favore causæ piæ ex præteritis actis per longum tempus continuatis, etiam jure facultatis oritur obligatio in futurum. *Adden. ad Gregor. decis. 162. in fin.*

8 His tamen non obstantibus in hoc casu contrarium verius de jure censeo: etenim destructâ Ecclesiâ A, ac solo æquata unâ cum Cappella Patronali ad solum effectum illam ampliandi; si Episcopus, aut Rector nolit permittere reædificationem Cappellæ in Ecclesia de novo construenda; aut si Patronus sit pauper ita ut non possit illam reædificare, justum, & rationabile non est, quòd Patronus absque ulla culpa privetur non solùm propria Cappella propriis sumptibus ædificata, sed etiam ejus ornamentis, & dote; sed sicuti Patronus sentiebat incommodum providendi dictam Cappellam ornamentis, & omnibus necessariis ad Divinum cultum, ac pro celebratione Missarum. *Ventrigl. in prax. par. 2. Annot. 19. §. unic. num. 33. Card. de Luca de Jurepatr. discept. 52. num. 12.* Ita sentire debet commodum, ut sibi restituantur, Dos, Ico, Calices, Candelabra, paramenta, & alia ornamenta Cappellæ Patronalis, non ad effectum illa retinendi apud se, & in proprios usus convertendi, sed ad effectum illa transferendi ad aliud Altare, aut aliam Cappellam alterius Ecclesiæ, ut fieri posse docet *Text. in cap. Ligna dist. 1. de Const.* ibique *Gloss. vers. Ad profectum: Gloss. in cap. Semel Deo verb. Humanos de regul. juris in 6. Genuen. in prax. cap. 41. num. 21.*

Ratio autem est, quia si Rector dictæ 9 Ecclesiæ destructæ, nollet, ut Patronus reædificaret ibi Cappellam, aut hic esset pauper, & idem Rector sibi appropriaret dotem, & ornamenta præfatæ Cappellæ, ipse locupletaretur ex proprio facto cum aliena jactura, & de Altari, seu Cappella viveret absque eo quòd eidem præstaret ullum servitium, contra prima juris principia, juxta quæ nemo cum aliena jactura locupletari potest; & qui Altari non servit, de Altari vivere non debet. *Surdus de Aliment. tit. 7. quæst. 35. num. 3.* Unde Rector dictæ Ecclesiæ in hoc casu vel debet permittere Patrono reædificationem propriæ Cappellæ, vel debet ipse illam reædificare, vel si nolit permittere reædificationem, nec illam reædificare, debet restituere dotem, & alia ornamenta, eidem Cappellæ à Patrono assignata; ut fuit resolutum à *Sacra Rota in Calaritana Cappellæ 14. Junii 1713. §. Justitia coram R. P. D. Lancetta inferius legen. num. 12.*

Non obstant ex adverso superius deduc- 10 ta, nimirum, quòd per assignationem, & oblationem ornamentorum ab initio factam à Patrono propriæ Cappellæ, illa effecta fuerint Sacra, & Deo dicata, & consequenter converti non possunt in prophanos usus; quoniam hoc est verum, & nullatenus controvertitur; sed in hoc casu Patronus non converteret illa in proprios usus, sed ea, ut dixi, assignaret alteri Altari, seu Cappellæ alterius Ecclesiæ.

Nec per supradictam assignationem do- 11 tis, ac oblationem ornamentorum ab initio factam à Patrono propriæ Cappellæ, illa effecta fuerunt propria Ecclesiæ, in qua Cappella sita erat: etenim licèt oblationes, & eleemosinæ factæ Cappellę existenti intra Ecclesiam cedant Ecclesię,

&

& non Cappellæ, quando agitur de Cappella jam fundata, & erecta, & quando non constat de contraria mente offerentium ex auctoritatibus superiùs adductis, quibus addo *Fagnan. in dicto cap. Pastoralis de his, quæ fiunt à ma: pa: Cap. numer.* 17. & 18. *Pignatell. consult.* 83. *n.* 1. *tom.* 6. Tamen quando agitur de Cappella construenda, dotanda, ac ornanda ex oblationibus datis titulo dotis, & quando expressè, vel conjecturaliter constat de contraria voluntate Fidelium, ut in casu præsenti; qui oblationes fecissent pro officiatura, & ornatu Cappellæ, tunc oblationes, dos, & ornamenta non cedunt Ecclesiæ, sed Cappellæ, juxta *Fagnan. in dicto cap. Pastoralis num.* 29. *Card. de Luca de Decim. disc.* 19. *num.* 9. *Bertacchin. Vot. decis.* 192. *num.* 4. *Rot. decis.* 37. *num.* 8. *par.* 5. *recent.*

12 Alterum denique objectum desumptum ex longæva possessione Rectoris utendi dictis ornamentis, & percipiendi fructus præfatæ dotis non contrariatur; hujusmodi enim possessio utendi ornamentis Cappellæ, & recipiendi fructus illius dotis provenit ex causa servitii præstanda à Rectore in dicta Cappella, nec non ex causa adimplementi onerum illius, à Patrono in limine fundationis adjectorum; Destructa autem Ecclesia A, & una cum ipsa Cappella Patronali, si hæc non reædificetur ex culpa, & voluntate Rectoris, cessat hujusmodi causa finalis servitii, & adimplementi, & consequenter cessare etiam debet, & ipse usus ornamentorum, & receptio fructuum dotis Cappellæ destructæ, & amplius in dicta Ecclesia non existentis, ut expressè docet *Tondut. quæst. Benef. cap.* 43. *num.* 15. *tom.* 1.

R. P. D.

LANCETTA

Calaritana Cappellæ.

Mercurii 14. *Junii* 1713.

AMpliationem propriæ Ecclesiæ, quam meditabantur PP. B. Mariæ de Mercede Civitatis Calaritanæ executioni demandare cupientes vetus ejusdem ædificium solo æquare cæperant, quamobrem societas Physicorum, & Chirurgorum dictæ Civitatis possidens in eadem Ecclesia Cappellam unâ cum Oratorio sub Invocatione SS. Cosmæ, & Damiani manutentionem expostulavit in illorum possessione coram Vicario Generali, votique Compos fieri obtinuit.

Delatâ Controversiâ ad A. C. per modum provisionis demandata fuit æstimatio dictæ Cappellæ, & Oratorii, ac PP. facta obligatione solvendi eorum pretium prout de Jure, reportarunt facultatem continuandi jam cęptam demolitionem, assumptaque post modumdiscussione meritorum coram eodem A. C. condemnati fuerunt PP. prædicti ad solutionem pretii Cappellæ, & Oratorii, necnon ad restitutionem Iconis, Statuarum, Supellectilium, Argentorum, ac demum Capitalis Librarum 300, quas Societas assignaverat PP. ut Cappellæ, & Oratorio assistentiam præstarent. Cum autem intra legitima tempora omissa fuerit appellationis prosecutio hinc ad normam Commissionis mihi directæ disceptand. hodie proposui consuetum dubium, & DD. attenta validitate, ac Justitia præcedentis Sententiæ pro Informante respondentes: *Constare de re Judicata, non autem de Causis restitutionis in integrum* censuerunt.

Justitia enim, cùm validitatem præse-
13 ferat actorum revolutio, clarè emergere visa est ex eo, quòd Constito de Societatis Dominio quoad Cappellam, & Oratorium, cæteraque res annexas, utique in ejus sequelam Juri omnino consona re-

putanda venit condemnatio PP. ad reficiendum eidem Societati illorum pretium, & restituenda omnia superius expressa ad *Text. in l. 2. C. de rei vindic. & §. Cum suo Instit. de rer. divis. Cyriac. contr. 310. à num. 21. & seqq. Panimoll. dec. 26. annot. 2. num. 21. & 22. Rota in Caven. Molendinorum 20. Martii 1711. §. finali coram R. P. D. meo Crispo.* Hujusmodi verò

14 Dominium distinctè agendo respectu Cappellæ satis superque comprobat. ex pluribus adminiculis, Conjecturis, & Judiciis, quæ simul juncta perfectum probationis gradum constituere debent in hypothesi, in qua agitur de re antiquissima, ne aliàs probatio Dominii, quæ semper difficillima est, injuriâ temporis impossibilis reddatur juxta monitum *Text. in l. Indicia, Cod. de rei vindic. Rota decis. 100. num. 6. coram Bich. & coram Cerr. decis. 653. numer. 10. & latè in Herbipolen. Monasterii 17. Junii 1709. §. Ex quibus coram bon. mem. Caffarello, & 27. Junii 1712. §. Idque gemina coram R. P. D. meo Ansaldo, & 8. Maii proximi præteriti §. Quibus Constabilitis coram Me.*

15 Et sanè inter plura argumenta, quæ resultant ex depositionibus Testium formiter examinatorum primo loco arrisit DD. illud ductum ex longæva, ac numquam interrupta Societatis possessione. Cujus initium cum memoriam præfatorum Testium, eorumque majorum excedat, nemo non videt quantum conferat ad concludendum Dominium, ut inquit Speculator *par. 2. tit. de primo decreto §. Restat num. 7. quem sequit. Bald. in l. 1. num. 3. in fin. ff. famil. Erciſc. Mascard. de probat. Conclus. 540. num. 23. Rota decis. 566. numer. 6. & 10. par. 18. recent. & in Placentina pretensæ Collegialitatis 20. Junii 1695. §. Quoniam coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

16 Adaugetur qualificatæ hujus possessionis pondus, & robur, tum quia Confratres privativè semper retinuerunt claves Cancellorum dictæ Cappellæ, tum quia successivè eosdem Cancellos, absque ulla PP. Contradictione inde amoverunt, ac etiam pro libito alienarunt, Privativa enim clavis retentio non obscuram Dominii notam præsefert ad *Text. in leg. Clavibus ff. de Contrahen. Empt. Mascard. de probat. concluſ. 298. à num. 1. & seqq. Rota decis. 82. num. 5. part. 18. recent. & decis. 1311. num. 5. coram Emer. Jun.* prout quoque libera dispositio circa rem seu partem rei de qua quæritur *Honded. cons. 84. nu. 13. & seqq. lib. 2. Rota coram Coccin. dec. 1708. num. 4. & in recent. decis. 633. numer. 5. part. 3.*

17 Validius in assumpti comprobationem collimant geminæ urgentissimæ circumstantiæ, altera nempe quòd iidem Confratres propriis semper sumptibus ornatus, & instaurationes Cappellæ expleverunt pararuntque in dies omnia pro ejusdem manutentione necessaria, quibus sanè expensis non ita de facili, tantâque liberalitate sese subjecissent nisi illius Dominium ad ipsos spectaret, cum hujusmodi onera Dominum, & Patronum sequantur *l. ex conduct. 16. ibique Glos. in verb. Reficit ff. Locat. & Conduct. Pacion. de Locat. & Conduct. cap. 34. §. Primò à num. 1. cum seqq. Ventrigl. in prax. par. 2. annotat. 19. §. Unico num. 33. Rota in Salernitana Alimentorum 11. Junoi 1712. §. Rursus coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

18 Altera verò, quòd omnes Eleemosinæ, & Oblationes, quibus ex Christifidelium pia largitate pro tempore ditata extitit Cappella, nedum independenter administratæ verùm etiam in usus sibi benevisos per Societatem erogatæ fuerunt videntibus, & numquam reclamantibus PP. adeout ex his in aperto quodammodo constituatur illius proprietas, & Dominium penes Societatem, nam aliàs omni Jure præfatas obventiones vindicare poterant PP. utpote Ecclesiæ Rectores *Fagnan. in cap. Pastoralis de his, quæ fiunt à Prælat. à num. 24. & seqq. Donat. in praxi quæst. regul. tom. 12. tract. 13. quæst. 24. num. 10. R. P. D. Petra in Comment. ad Constit. Apost. tom. 2. ad Constit. 1. Anastasii IV. sect. 2. à num. 43. cum seqq. Rota in Perusina Præeminentiarum 2. Decembris 1711. §. Idipsum coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Ejusdemque relevantiæ apparuit ani-
19 madversio, quòd licèt hodie post constructionem Oratorii per solam Ecclesiæ Januam pateat aditus ad Cappellam nihilominus priscis temporibus hæc particularem, & omnino separatam portam habebat,

bat, quæ quidem independentia notabiliter excludit PP. dominium, illudque confirmat favore Societatis *Francesc. de Eccles. Cathedr. cap. 25. num. 185. Rota in Hispalen. Suppellectilium 28. Novembris 1701. §. Neque cum seqq. coram Eminentissimo Card. Priolo.*

Hæc omnia ex præfatis Testibus de-
20prompta robustiores vires assumunt, tum ex quo sæpedicta Cappella erecta est sub Titulo, & Invocatione SS. Cosmæ, & Damiani juxta institutum, quod profitetur Societas cujus propterea sumptibus illa ædificata præsumitur, ut generalibus omissis in his terminis advertit *Ricc. in prax. for. Eccles. tom. 3. resolut. 133. numer. 4.*

Tum ex dicto Instrumento anni 1586. in quo Confratres sese obligarunt persolvere PP. annuum stipendium, & de facto eisdem assignarunt capitale Librarum 300. ad hoc ut assistentiam, & famulatum Cappellæ subirent, hujusmodi enim stipendium nullo modo compatitur cum Dominio à PP. prætenso, quia nemo prætendere valet mercedem pro servitio in re propria præstito *Leg. 1. in fine Cod. Mandati Zacch. de Salar. quæst. 51. num. 33. Rota decis. 70. num. 6. & 7. part. 18. recen. & in Alerien. Pensionis 14. Januarii 1710. §. Ast in præsenti coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Tantoque magis quia dicta assignatio, & correspectiva promissio concepta fuit cum clausulis perpetuitatem ex utraque parte importantibus, ideòque clarè infertur Confratres possidere Cappellam Jure Dominii, secus namque contractus initus fuisset ad tempus, donec scilicet in eadem Cappella permansisset Societas, ut de se patet, & conferunt deducta *in dicta Hispalen. Monasterii 27. Junii 1712. §. Cospirante coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Constabilito ex his omnibus simul junctis Dominio Societatis frustra in præcedentibus Instantiis recurrebatur ad possibile Jus familiaritatis, multiplicitas quippe, & qualitas actuum adeo longa temporum serie pacificè continuata indubitanter protenditur ultra terminos simplicis permissionis facultativæ *Rota coram Bichio dec. 543. à num. 8. & seqq. & decis. 397. num. 3. par. 2. recent. & in Mantuana Bonorum 7. Maii 1708. §. Quod autem coram R. P. D. meo Aldrovando, & in Perusina Præeminentiarum 2. Decembris 1711. §. Excusatio coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Sicut etiam corruit objectum aliàs desumptum ex Donatione Regis Aragoniæ factâ favore PP. de anno 1636. quia Regius Donans declaravit ad se spectasse tantummodo Juspatronatûs quoad Altare Majus, quæ profectò Juris limitatio ad certum Altare excludit cæteras Ecclesiæ Cappellas *ad Text. in cap. Pastoralis de Donat. ibique Gloss. in verb. Tuum Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 2. quæst. 1. art. 9. à num. 18. & seqq.*

Atque hæc quoad Dominium Cappellæ: super Dominio autem Oratorii parum immorandum esse censuerunt DD. nam ut deponunt supradicti Testes, & constat ex redditione rationum facta per Ministros Societatis de anno 1675. & computis ibidem insertis illud ædificatum fuit propriis sumptibus Societatis, cui propterea solvendum venit ejusdem pretium *ad Text. Expressum in Can. Monasterium 16. quæst. 7. Rota coram Coccin. decis. 1900. num. 2. & decis. 550. num. 1. par. 1. divers.*

Haud attentâ prætensione aliàs promotâ quòd dicti Oratorii Ædificium cesserit solo spectanti ad Ecclesiam, hæc enim regula locum sibi non vindicat ubi res est de ædibus Sacris, solùmque PP. prætendere possent pretium situs, super quo constructum extitit Oratorium, quoties concludenter probarent illud ab initio persolutum non fuisse. *Altograd. cons. 10. à n. 30. tom. 2. Rota coram Ubaldo dec. 352. num. 18. repetit. in Recent. decis. 308. n. 6. par. 4. tom. 1.*

Quemadmodum etiam facili negotio absoluta fuit inspectio, quoad restitutio-
21nem argentorum, cæterarumque Supellectilium, nam illa pro majori parte comparata justificantur propriis pecuniis Societatis, & tamen ad effectum, de quo agitur excludendi nempe quodcumque Jus PP. satis est, quòd omnes prædictæ res permanserint semper sub particulari Custodia, & Cura Confratrum eisque semper Societas liberè, & independenter usa fuerit ex præcisè animadversis per *Tondut. quæst. Benef. tom. 1. cap. 43. num. 1.*

Rota in Hispalen. Supellectilium 28. Novembris 1701. §. Verùm Domini coram Eminentissimo D. Cardinali Priolo.

Et tandem patens est Justitiâ rei Judicatæ respectu ad resolutionem supradicti Contractûs, & Instrumenti, in quo per Confratres facta fuit assignatio librarum 300. intuitu obligationis à PP. susceptæ præstandi assistentiam, & famulatum in dicta Cappella, eo ipso siquidem quòd ex eorumdem facto deficit causa finalis consistens in promisso servitio, & assistentia consequens est, ut cessare debeat correspectiva dicti stipendii assignatio *Rota coram Priolo decis. 358. num. 12. & dec. 90. num. 40. part. 19. Recent. & in Lucana Livelli 9. Maii 1707. §. E converso coram R. P. D. meo Ansaldo, & 27. Junii 1712. §. Et sane coram Me.*

Et ita altera tantum &c.

ARGUMENTUM.

An Patronus habeat Jus prohibendi, ne ab aliis pulsentur Campanæ Ecclesiæ Patronalis, & jus eligendi Campanarium, nec non retinendi claves; & an in dismembratione, alienatione, & permutatione bonorum Ecclesiæ Patronalis requiratur consensus Patroni?

SUMMARIUM.

1 *Patronus non habet jus prohibendi usum Campanarum necessarium, & consuetum Ecclesiæ Patronalis; secus usum Campanarum non necessarium, & intempestivum.*
2 *Scholaris, Doctor, aut Ægrotus possunt prohibere immodicum, & non necessarium Campanarum usum.*
3 *Patronus an habeat jus eligendi Campanarium propriæ Ecclesiæ Patronalis?*
4 *Patronus an habeat jus retinendi claves Ecclesiæ Patronalis? & num. 6.*
5 *Ex retentione clavium Ecclesiæ arguitur ejus custodia, & administratio, & num. 16.*
7 *Patronus est capax retinendi claves Sanctarum Reliquiarum, Imaginum, ac oblationum, quæ eis fiunt?*
8 *Administratio Ecclesiæ quotuplex sit?*
9 *Patronus an, & cujus administrationis Ecclesiæ sit capax.*
10 *Consensus Patroni an requiratur in permutatione, dismembratione, aut alienatione bonorum Ecclesiæ Patronalis? & num. 11.*
12 *Patronus non potest se opponere permutationi, & dismembrationi faciendæ per Pontificem, & quare?*
13 *Refertur resolutio Sacræ Congregationis Concilii in Aquipenden. seu Soanen. permutationis.*
14 *Fundatio est unus ex modis acquirendi Juspatronatum.*
15 *Fundatio ex quibus probetur?*
17 *Quæ sint conjecturæ inefficaces ad probandum fundatorem noluisse sibi reservare Juspatronatum.*

CASUS VI.

TRia in hoc casu quæro; primum est, an Patronus habeat jus prohibendi, ne ab aliis pulsentur Campanæ Ecclesiæ Patronalis, & jus eligendi campanarium?

Pro cujus resolutione distinguo inter usum campanarum necessarium, consue-
1 tum, & moderatum, prout est, si Campanæ pulsentur pro Sacrificio Missæ advocandos fideles ad Missam audiendam, si pulsentur in honorem in diebus festis Sanctorum Ecclesiæ, aut pro Salutatione Angelica, aut pro expellendis improbis pluviis, vel tempestatibus, & similibus; & inter usum campanarum immodicum, non necessarium, & intempestivum; Patronus quidem non habet jus prohibendi usum campanarum necessarium, & consuetum, sed iste totaliter pendet à Rectore Ecclesiæ Patronalis, ad quem spectat cura ministerialis ipsius, & qui habet auctoritatem pulsandi ejus campanas; *Barbos. vot. decis. 106. num. 125.* Crederem tamen, illum habere jus prohibendi usum campanarum immodicum, intempestivum, & non necessarium, & ne campanæ relinquantur indiscretioni, seu indiscreto arbitrio campanarii, nec non puerorum, & aliorum Juvenum, qui ob solatium, quod recipiunt in pulsandis campanis, libenter ad earum pulsationem concurrunt; ex hujusmodi

jusmodi enim sonu multoties impediuntur dicta officia in vicinis Ecclesiis, studium Scholarium, ac lectura in publicis Scholis, molestia infertur infirmis. *Barbos. vot.* 102. *num.* 88. *& seqq. Pignatell. consult. Canonic.* 54. *num.* 3. *tom.* 5. *Rota decis.* 17. *post Antonell. de Jurib. & onerib. Cleric. num.* 11. Unde sicuti Scholaris,
2 Doctor, aut Ægrotus possunt prohibere hujusmodi immodicum, & non necessarium campanæ usum. *Abb. in cap. Cum inter de consuetud. num.* 3. *Gratian. discept. foren. cap.* 186. *num.* 17. *Barbos. dicto vot.* 102. *num.* 86. Ita & multò magis Patronus, ad quem vigore hujus Canonis spectat jus defendendi Ecclesiam, & curandi, ne hujus bona dilapidentur, & in pravos usus convertantur; poterit prohibere non necessarium, & indiscretum usum campanarum propriæ Ecclesiæ.

Respectu verò Juris eligendi campana-
3 rium, censeo vigore Jurispatronatus hujusmodi Jus Patrono non competere, sed spectare ad Rectorem Ecclesiæ, nisi in limine fundationis Patronus illud sibi reservasset, dum quilibet rei suæ potest apponere conditionem, & modum sibi magis bene visum, ea ratione, quia qui potest actum facere potest, & illum qualificare, *ad Text. in l. Videamus* §. *penult. l. in action. in princip. ff. dein lit. Jur.* & dicam inferius *in secunda parte Can.* 26. Aut nisi per immemorabilem esset in possessione juris eligendi, seu deputandi campanarium, quo casu præsumitur Patronus ab initio sibi reservasse hujusmodi jus, ad tradita *per Attolin. resol. Forens. resol.* 47. *num.* 59. *Rota decis.* 223. *num.* 1. *coram Seraph.*

Secundum est, an Patronus habeat jus
4 retinendi claves Ecclesiæ Patronalis?

Et videtur respondendum negativè, quia Patronus non habet administrationem, nec curam Ecclesiæ Patronalis, juxta *Gloss. in cap. Cum vos de Offic. ordin. verb. Æconomos*; & consequenter nec habebit jus retinendi claves ejusdem, cum ex retentione clavium arguatur hujusmodi cura, seu administratio, ad *Text. in l. Clavibus ff. de Contrahen. empt. Menoch. præsumpt.* 96. *num.* 3. *lib.* 3. *Andreol. controvers.* 381. *num.* 3. *tom.* 2. *Rot. in Calaritana Cappellæ* 14. *Junii* 1713. §. *Adaugetur coram R. P. D. Lancetta, in superiori Casu impressa num.* 12.

6 Contrarium tamen hodie absque dubio procedit, nimirum Patrono vigore, & in sequelam Jurispatronatûs deberi retentionem clavium Ecclesiæ Patronalis ad notas decisiones *Sacræ Rotæ* 859. *num.* 6. *& 1311. num.* 5. *coram Emerix Jun. & in Augustana Jurispatronatus super negotio principali* 31. *Januarii* 1695. §. *His, quæ corroborativè coram bo: me: Ursino, inferius legen.* 2. Et de facto videmus quam
7 plures Patronos habere claves Sanctarum Reliquiarum, Imaginum, ac oblationum, & Eleemosinarum, quæ ipsis imaginibus fiunt, ut testantur *Dec. cons.* 148 *num.* 3. *Card. de Luc. in Miscell. disc.* 35. *num.* 7. *& 10. Andreoll. controv.* 381. *numer.* 3. *& 17. tom.* 2. *Oliva de for. Eccles. part.* 1. *quæst.* 7. *num.* 70. *Rot. decis.* 217. *num.* 15. *coram Merlin.* Ergo etiam poterunt habere claves Ecclesiæ Patronalis unâ tamen cum hujus Rectore. Vide D. Advocatum Pitonium Præceptorem meum in ejus novo *tractatu de Controv. Patron. Alleg.* ubi eruditè de more tractat de custodia Ecclesiæ Patronalis vacantis, & de appositione Æconomi in Ecclesiis Parochialibus tam unitis, quàm non unitis Monasteriis Regularium, & ubi quoque asserit Patrono competere hujusmodi retentionem clavium.

Non obstat, quòd Patronus non habeat administrationem Ecclesiæ Patronalis, & consequenter nec habere poterit retentionem clavium; quoniam triplex est administratio Ecclesiæ; alia enim est *Auctorizabilis*, consistens in Institutione Rectoris, & aliis Juribus propriis Ordinario; alia *Ministerialis* consistens in ipso formali Regimine, vel Rectoria Ecclesiæ cum administratione Divinorum, illorumque actuum spiritualium explicatione, seu in cura Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus; alia *Providentialis*, seu *Sollicitudinis*, consistens in cura, & Æconomica administratione Bonorum temporalium Ecclesiæ, ne dissipentur, seu in alios usus convertantur.

Patronus autem licèt non habeat ad-
9 ministrationem Ecclesiæ Patronalis auctorizabilem, quia hæc spectat ad Ordinarium, aut ad habentem instituere; nec illam

illam ministerialem, quia hæc spectat ad Rectorem; habet tamen admiuistrationem Ecclesiæ providentialem, seu sollicitudinis, ne ejus bona dissipentur, & in alios usus convertantur, ex dispositione hujus Canonis *Filiis*; ac juxta distinctionem *Archidiaconi in cap. Laicis 16. quæst. 7. num. 1.* ibi: *Alia est enim auctoritatis, & hæc est solius Episcopi. Alia est ministerii, & hæc est Æconomi, qui tantùm est, sive debet esse Clericus; alia est providentiæ, & sollicitudinis, & hæc competit Laicis, puta Patrono*: quam sequuntur *Senuen. in prax. Ar. hiep. Neap. cap. 41. per tot. Card. de Luc. in Miscell. disc. 35. num. 11.*

Ratio autem est, quia licèt Patronus Laicus sit incapax rerum, ac Jurium Spiritualium quoad dominium, & proprietatem, tamen est capax quoad illorum usum; sic videmus illum non prohiberi jus sepulchri acquirere in Ecclesia, jus habendi Cappellas, retinendi scamna; *Lambert. de Jurepat. lib. 1. par. 1. quæst. 11. art. 13. Gratian. cap. 210. per tot. Giovagnon. conf. 8. numer. 12. & seqq. part. 2.* Et dicam infra in seqq. casibus; ergo nec prohibebitur habere administrationem merè providentialem, & sollicitudinis, & consequenter nec prohibebitur habere claves Ecclesiæ. *Oliv. de for. Eccles. dicta par. 1. quæst. 7. num. 66. in fine, & nu. 67.*

Tertium quod quæro est, an in permu-
10 tatione, dismembratione, aut alienatione bonorum Ecclesiæ Patronalis requiratur consensus Patroni?

In hoc articulo distinguo inter permutationem, dismembrationem, aut alienationem necessarias, seu faciendas ex justa, & rationabili causa necessitatis, aut utilitatis; & permutationem voluntariam juxta distinctionem *Card. Zabarell. in cap. Quæsitum num. 23. de rer. permut.* ibi: *Quædam est permutatio voluntaria, quædam necessaria, quæ fit officio Superioris*: Respectu permutationis, dismembrationis, aut alienationis necessariæ bonorum Ecclesiæ Patronalis non requiritur consensus Patroni ex necessitate, & validitate actûs, sed solùm ex quadam urbanitate, & honestate; *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 2. art. 7. num. 2.* Immo nec ipsorum permutantium, sive sint Episcopi, sive Rectores inferiores Ecclesiarum, ut in terminis permutationis, dismembrationis, & divisionis Episcopatuum habemus *Textum in cap. 1. de rer. permut. ibique Butrius num. 6. Abb. num. 4. & seqq. & Gloss. in Can. lege Imperatorum in verb. Divisiones dist. 10.* ubi ex justa causa potest Summus Pontifex invitis, & dissentientibus Episcopis, ad eorum Episcopatuum divisionem, & dismembrationem devenire, *Gloss. in Can. Multis 16. quæst. 1.* Et in terminis dismembrationis Ecclesiarum inferiorum adest *Textus in cap. Ad audientiam 3. de Eccl. ædific.*

11 Quoad verò permutationem, dismembrationem, aut alienationem bonorum Ecclesiæ Patronalis voluntarias, aut etiam necessarias faciendas per inferiorem potest Patronus se opponere, contradicere, & dissentire. *Innocen. in cap. 1. sub num. 6. circa med. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capit. Ancharan. cons. 122. nu. 3. Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 11. num. 66. & lib. 2. quæst. 3. num. 5.* Quæ oppositio, seu dissensus Patroni est attendendus, si ipse alleget causam rationabilem, & gravem, quæ grave involvat præjudicium Ecclesiæ Patronali; secus si nullum affertur præjudicium; *Lambertin. de Iurepatr. lib. 3. quæst. 6. art. 1. num. 6. versic. Decimo septimo, Felin. in cap. Cum accessissent num. 20. de Constit.* ibi: *Si Patronus sine causa non vult consentire permutationi, potest Episcopus hoc facere sine ejus consensu, quia Patronus non debet impedire magnam utilitatem Ecclesiæ.*

Si autem permutatio, alienatio, & dis-
12 membratio etiam voluntariè, & absque necessitate esset facienda per Summum Pontificem, tunc Patronus non potest se opponere, nec ejus oppositio attendenda venit; quia Summus Pontifex in Beneficialibus, & in Ecclesiasticis non accipit modificationem aliquam ex præjudicio, vel interesse alterius juxta *Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 11. num. 65. & seqq. & num. 74. Cassiod. decis. 3. de Iurepatr. per tot. fol. mihi 217. Gratian. discept. forens. 415. num. 2.*

Et ita sentiebam studens in Congrega-
13 tione Concilii apud R. P. D. meum Petrum Secretarium in Aquipenden. seu Soanen. permutationis, scribente Domino Advocato Pitonio meo Præceptore, ubi

cum

cum Reverendissimus Episcopus Aquipenden. optaret permutare bina oppida Manciani, & Capalbii, quæ sub ditione Magnæ Etruriæ Ducis extant, cum binis oppidis Proceni, & Onani existentibus in statu Ecclesiastico, & spectantibus ad Jurisdictionem Spiritualem Episcopi Soanen. Ei se opposuit idem Magnus Dux Etruriæ sub prætextu Jurispatronatûs sibi competentis respectu Episcopatus Soanen. Non obstante autem hujusmodi oppositione, concurrentibus justis causis, sentiebam esse locum permutationi; Sacra verò Congregatio proposito dubio: *An sit locus permutationi in casu &c. die 9. Febr. 1715. respondit*: Negativè, & ad mentem.

R. P. D.

URSINO

Augustana Jurispatronatûs super negotio principali.

Lunæ 31. Januarii 1692.

14 A Serie facti expensa in altera decisione contemporaneè ad præsentem edita in puncto reintegrationis, Domini desumentes resolutionis fomentum, constare responderunt de Jurepatronatu ad commodum Reginæ, & illius hæredum; cùm namque evidenter constiterit de fundatione Cappellæ, de qua res est illius propriis sumptibus expleta unâ cum Cappellanorum habitatione, ac ulteriùs ita approbante, & confirmante Ordinario congrua fuerit dos assignata, ipso Jure in fundationis sequelam Juspatronatûs in Cappella extructa censetur illi quæsitum, etsi non fuerit expressè reservatum; Nam cum fundatio sit alter ex modis, quibus Canonicæ sanctiones permittunt Patronatûs acquisitionem, per illam, absque alio Hominis ministerio, Jus hoc honorificum reservatur, nisi constet, quòd fuerit expressè remissum ad *Text. litteral. in cap. Nobis de Iurepatr. Abb. in cap. Significavit* 42. *in primo notabili de testib.* & ibidem *Fælin. num.* 2. *Vivian. de Iurepatr. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. *juncto num.* 13. *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 4. *& seqq. Adden. ad Buratt. decis.* 1. *num.* 14. *Rot. coram Cavaler. decis.* 30. *num.* 1. *& in Melevitana Commendæ* 20. *Aprilis* 1679. §. *Nec ideò desinit coram Reverendissimo Bourlemont, & in Camerinen. Iurispatronatûs* 10. *Maii* 1694. *coram R.P.D. meo Molines, ac in Romana Cappellaniarum* 26. *Februarii* 1693. §. *Neque secundum coram Reverendiss. D. meo Decano.*

15 Fundatio autem in præsenti redditur incontrovertibilis, & apertè resultat tàm ex actibus præcedentibus, quàm subsequutis; ex antecedentibus inquam; nam ad effectum validè explendi optatam Cappellæ extructionem Regina preces porrexit Ordinario Augustano pro impetrando illius assensu, *ut in Summario* Actoris *numer.* 1. actuque consensum obtinuit sub narrativa propositi, quod nutriebat Regina ædificandi Cappellam in Campo Lycio, idemque à subsecutis liquet; nam consumato ædificio in litteris confirmatoriis ab Episcopo obtentis dicitur jam à fundamentis noviter extructam Cappellam, ac reditibus, & ornamentis decentibus condecoratam, ut in præcitato Baronis *Summario num.* 2. in quorum sequelam fuerunt subinde apposita Familiæ Insignia, ac sepulcrales inscriptiones prænarratam fundationem testantes, à quibus sicut illa dubio procul comprobatur, ita urgens eruitur adminiculum pro canonizanda Patronatûs reservatione, ut considerat *Rip. in cap. Cum Ecclesia Sutrina num.* 97. *de cauf. possess. & propr.* ubi quòd Arma, & Insignia insculpta in Ecclesia faciunt præsumere, quem esse in possessione Patronatûs *Barbos. de offic. & potest. Episc. par.* 3. *allegat.* 72. *num.* 50. *Rota decis.* 13. *num.* 3. *& decis.* 518. *num.* 5. *par.* 1. *& decis.* 274. *num.* 70. *par.* 2. *recent. Tondut. resolut. Benefic. lib.* 1. *cap.* 73. *num.* 9. *Andreol. controvers.* 381. *num.* 13. 14. *& seqq.*

Hisque corroborativè accedit, Reginam 16usque ad tempus spolii semper retinuisse claves Ecclesiæ, & sacræ Suppellectilis, ac oblationum, quæ præeminentia dato præambulo fundationis titulo non nisi veris Patronis competit, & manifestum indicium

dicium Juris honorifici, quod fortiùs præsefert, quia etsi hujusmodi retentio posset ad titulum custodiæ referri, talis tamen interpretatio minimè adaptatur hypothesi Fundatricis, cui à Jure quæritur Iurispatronatûs, ac in cujus sequelam clavium retentio ei debetur *ad Text. in leg. Clavibus, ff. de contrah. empt.* in proximis sequutum à *Rota in Fanen. Ecclesiæ, & Clavium* 5. *Julii* 1688. §. *Firmato autem coram Reverendissimo Decano.*

17 Admittebant Scribentes pro Episcopo veritatem fundationis, & efficaciam illius ad effectum acquirendi Juspatronatum; sed contendebant in themate regulam limitari, ex quo in fundatione Regina noluerit hoc Jus aliàs competens sibi reservare, immo contrario facto à conjecturis elicito declaraverit propriam voluntatem exclusivam reservationis, quæ conjecturali probationum genere demonstrata aptam dicebant elidere legalem regulam Fundatori assistentem ex *Rocc. de Curt. de Jurepatr. verb. Et dotavit num.* 11. *post med. vers. & ad conjecturas, Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 55. *num.* 20. *Corrad. in praxi Benef. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 25.

Verùm cùm conjecturæ ad hunc effectum volitæ debeant esse efficaces, & urgentes juxta ea, quæ tradunt DD. nuper allegati, & talis ponderis Domini non adinvenerint illas hodie propositas ad intentum, ideò eis parvi pensis regulæ inhærere decreverunt.

Prima namque elicita ex causa expressa à Fundatrice in precibus porrectis Episcopo pro obtinendo assensu augurata, nempe Divini Cultûs, & Catholicæ Devotionis, quasi quòd uti præseferens motivum æternæ retributionis excludat animum consequendi fructum temporalem Patronatûs minùs concludebat: nam motivum pietatis narratum in antedictis precibus, cum optimè sit compatibile cum Patronatûs reservatione, illam non excludit, immo potiùs confovet, & adauget, cùm omnia pia opera fiant impulsu charitatis, & spei æternæ retributionis, sed non exclusivè ad temporalem mercedem, quæ de Jure ab illis exoritur; unde satis diversum est in Jure Cappellam ædificare pro eleemosina, & remissione peccatorum, & pro incremento Divini Cultûs, & Catholicæ Devotionis; nam in primo expressio illa specialis, cùm repugnet acquisitioni Patronatûs, indicium præsefert voluntatis contrariæ, ut in his terminis loquuta fuit *Rota in decis.* 564. *num.* 7. *post med. vers. Et hoc eò magis part.* 4. *divers.* dixitque *Corrad. in prax. Benef. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 25. In secundo verò casu cùm narrativa illa generalis optimè compatiatur Patronatui eum non excludit; sed illius acquisitionem relinquit Juris dispositioni.

Secunda verò illatio desumpta, ex quo constructa Cappella fuerit incorporata Parochiali Ecclesiæ Meutingensi, minùs relevabat, nam præter quòd ex iis, quæ præferebantur, memorata quoque Parochia erat de Jurepatronatu ædificantis, potest stare simul Ecclesiam, esse alteri incorporatam quoad administrationem, firma manente subjectione erga Patronum, cùm in iis nulla adinveniatur Juris resistentia.

Ejusdem ponderis erat animadversio, quòd Fundatrix sibi quamdam jurisdictionem temporalem reservaverit in loco constructæ Cappellæ: unde reddatur inverisimile non expressisse Patronatum, si illum sibi acquiri voluisset: etenim Jurisdictio indigebat declaratione, cùm à Jure non exoriretur, sicuti Jus Patronale, quod proinde tacere voluit absque ullo sui præjudicio, cùm argumentum discretivæ non concludat, ubi casus omissus suppletur à Juris dispositione, ad generaliter firmata per *Rot. decis.* 220. *num.* 19. *part.* 11. *& decis.* 17. *pariter num.* 19. *par.* 16. *rec.*

Denique minùs concludere visæ sunt illationes desumptæ tam ab observantia affirmativa, ex quo pro corroboratione conditionum appositarum Regina exquisiverit assensum Ordinarii non necessarium, quàm à negativa, eò quia nulla afferatur præsentatio effectum sortita, quæ Patronalem qualitatem comprobet; siquidem requirere ad cautelam Episcopi confirmationem non tollit Jus quæsitum à fundatione, potissimùm concurrente retentione clavium, aliisque actibus superiùs expensis, qui declarant petitionem fuisse factam citra derogationem Juris Patronalis ei jam quæsiti, ut in proximis tenuit *Rota in Terracinen. Census* 12. *Februarii* 1685. §. *Quinimò, & §§. seqq. coram bon: mem: Albergato.*

Ex-

Expetitæ verò præsentationes afferri non valent ad proximitatem spolii passi; nam ab anno 1603. tempus fundationis ad diem spolii sequut. anno 1624. forsitan casus novæ præsentationis non evenit, quarum tamen deficientia suppletur à cæteris actibus possessoriis æquè præseferentibus qualitatem Patronalem, ut jam demonstratum est.

Et ita Partibus contradicentibus &c.

ARGUMENTUM.

Patronus an possit prohibere, ne ab alio ponatur Scamnum, aut Sedile, ne introducatur Confraternitas, & ne apponantur insignia, & arma in propria Ecclesia Patronali.

SUMMARIUM.

1 *Refertur sententia affirmans Patronum habere Jus prohibendi, ne in Ecclesia apponatur scamnum, & introducatur Confraternitas.*

2 *Invito usuario nemo potest habitare, & alios actus exercere in ejus fundo.*

3 *Scamnum semel concessum Laico in Ecclesia non potest amplius amoveri, sed est transitorium ad ejus hæredes, limita, ut num.* 18.

4 *Episcopus permittere non potest præjudicialia Ecclesiæ.*

5 *Refertur sententia negans Patronum habere Jus, ne ab alio apponatur scamnum, ac introducatur Confraternitas, nisi in limine fundationis, hoc jus sibi reservaverit, ut num.* 10.

6 *A Jurepatronatus ad jus prohibendi non infertur. Intellige, ut num.* 14.

7 *Episcopus, aut Rector Ecclesiæ, salvis Juribus Patroni, potest permittere in illa introductionem Confraternitatis, & concedere aliis Jus sedendi.*

8 *Laici sunt capaces acquirendi scamna, & sedilia in Ecclesiis.*

9 *Oppositio irrationabilis non est attendenda.*

11 *Conciliatur utraque sententia.*

12 *Patronus habet jus prohibendi, ne ab alio apponatur scamnum in eminentiori loco Ecclesiæ, aut magis ornatum, & altum præ cæteris.*

13 *Patronus primus in Ecclesia sedere debet, & præ cæteris sede nobiliori, & altiori honorandus.*

15 *Patronus non habet jus prohibendi, ne ab alio apponatur scamnum in aliquo loco Ecclesiæ non eminentiori, nec nobiliori; Sed limita, ut ibi.*

16 *Jus honorificum competens Patrono, in quo consistat?*

17 *Decisio* 843. coram Cerro, *quo sensu procedat?*

19 *Patronus, salvis ejus Juribus, impedire non potest, ne introducatur in Ecclesia Patronali Confraternitas.*

20 *Absque consensu Patroni, quis potest ædificare Cappellam in Ecclesia Patronali.*

21 *Quæ uni prosunt, & alteri non nocent impediri non possunt.*

22 *Responsum* 110. R. P. D. Fattinelli *non applicatur.*

23 *Patronus non habet Jus prohibendi, ne in Ecclesia Patronali ab alio apponantur Arma, Insignia, & Inscriptiones conjuncta cum declaratione, quod illa non sint Arma, aut Insignia Fundatoris, aut Patroni.*

24 *Benefactorum apponi possunt Arma in Ecclesia Patronali cum dicta declaratione.*

25 *Arma, sive Insignia apponi possunt in lapide sepulchrali, aut depicta in papyro in parietibus Ecclesiæ Patronalis tempore luctus.*

26 *Patronus habet jus prohibendi, ne ab alio in Ecclesia apponantur Arma, & Insignia sejuncta à præfata declaratione; & quare num.* 27.

28 *Patronus extraneus in Ecclesia non potest apponere sua Insignia, & Arma etiam remanentibus illis fundatoris; Sed limita, ut ibi.*

CASUS VII.

COntendente Titio ponere de consensu Ordinarii, & Rectoris scamnum, aut sedile in Ecclesia Patronata A. pro Divinis Officiis, & Concionibus audiendis, ibique erigere Confraternitatem,

& apponere propria Insignia, Arma, & Inscriptiones in ejus pariete, aut pavimento, illicò se oppositit Patronus ejusdem Ecclesiæ prohibendo ipsi Titio, ne hæc in ejus Ecclesia inducere attentaret. Quæritur proinde, an Patronus habeat Jus prohibendi, ne ab alio extraneo ponatur scamnum, introducatur Confraternitas, aut apponantur Insignia, & Arma in propria Ecclesia Patronali?

1 Et sane affirmativè respondendum videtur; Patronus enim licèt non habeat dominium proprietatis in Ecclesia Patronali, habet tamen usum, & commoditatem, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. art. 4. quæst. 5. num. 13. Mantic. decis. 59. n. 3. Rota decis. 787. numer. 4. part. 1. diversi.* adeoque tanquam Usuarius ejusdem Ecclesiæ potest prohibere, ne alius apponat ibi scamnum, ac introducat Confraternitatem, dum nemo proprio marte, & in-
2 vito Usuario in ejus fundo potest habitare, & alios actus exercere, *ad Text. in L. Si habitatio, §. Sed siff. de usu, & habitat. Card. de Luca de Præem. disc. 12. numer. 2. Rota decis. 291. num. 2. coram Coccin.*

Ratio autem est; quia apponere scamnum, ac introducere Confraternitatem in Ecclesia Patronali, est imponere illi servitutem præstandi commoditatem Confratribus, ut se ibi congregare, & proprias functiones peragere valeant, & retinendi scamnum pro servitio, & commoditate illius extranei, ac ejus hæredum, itaut si Ecclesia Patronalis vellet illud amovere, hoc non posset, cùm scamnum
3 semel concessum Laico in Ecclesia non possit ampliùs amoveri, sed ipse Laicus, ac ejus hæredes, ad quos scamnum, seu Jus sedendi in loco particulari Ecclesiæ est transitorium, sunt manutenendi in sua quasi possessione. *Paris. cons. 146. num. 6. & 24. lib. 4. Altograd. controvers. 85. numer. 5. & 19. tom. 2. Ciarlin. controvers. forens. cap. 210. num. 13. & 28. Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 7. num. 43.* Quæ servitus perpetua videtur esse nimis gravis, & onerosa Ecclesiæ, & potest esse maximi impedimenti cultui, ac servitio Divino, quod multoties per appositionem hujusmodi scamnorum, aut sedilium evenire solet; cùm autem Patronus habeat Jus defendendi Ecclesiam à qualibet servitute juxta præsentem Canonem *Filiis*; hinc poterit prohibere, ne alius extraneus apponat in sua Ecclesia Patronali scamnum, & ne introducat Confraternitem, eo invito, non obstante quod re-
4 portaverit consensum Episcopi, quia Episcopus permittere non potest præjudicialia Ecclesiæ, nec habet in illa jurisdictionem, quoad ea, quæ respiciunt temporalia, prout est apponere scamnum in Ecclesia *ad Text. in cap. Cùm Venerabilis de Relig. Domib.* ut in terminis scamni hanc sententiam tueri videtur. *Rot. decis. 843. per tot. coram Cerro*, & in terminis Confraternitatis *R.P.D. Fattinell. de Translat. pension. & respons. Jur. respons. 110. per tot.*

Econtra negativa sententia verior vi-
5 detur, nimirum Patronum non habere jus prohibendi, ne alius apponat scamnum, ac introducat Confraternitatem in Ecclesia Patronali. Quoniam Patronus vigore Jurispatronatus non habet in Ecclesia, nisi Jus nominandi, aut præsentandi Rectorem, jus illam defendendi, & Jura honorifica, & præeminentialia; ergo quoties per hujusmodi appositionem scamni, & introductionem Confraternitatis, salvantur illæsa, & intacta omnia Jura eidem Patrono competentia, non est cur habere jus prohibendi prætendat, ne introducatur in sua Ecclesia Confraternitas, & ne alteri ibi jus habendi scamnum, &
6 sedendi concedatur, dum à Jurepatronatus ad Jus prohibendi non infertur, *Rota decis. 474. num. 7. par. 19. tom. 2. & decis. 123. num. 6. coram Dunoz. & decis. 145. num. 2. coram Gregor.*

7 Salvis enim Juribus honorificis Patroni, & nullo hujus præjudicio existente; Episcopus, aut Rector Ecclesiæ potest ibi permittere introductionem Confraternitatis, nec non aliis Laicis non Patronis distribuere loca Ecclesiæ pro apponendis in eis scamnis, juxta *Rocch. de Curt. de Jurepatr. verb. Construxit num. 11. Lambertin. eod. tract. part. 1. lib. 1. quæst. 3. art. 7.*

8 Maximè cum Laici de consensu tacito, vel expresso Episcopi, aut Rectoris sint capaces acquirendi scamna, & sedilia in Ecclesiis, & in earum locis particularibus pro audiendis Divinis Officiis, & Concionibus,

nibus, non quoad proprietatem, sed quoad usum. *Giovagnon. cons.* 8. *num.* 3. *& 9. lib.* 2. *Altograd. controv.* 85. *num.* 1. *& seq. tom.* 2. *Ciarlin. controv. for. cap.* 210. *n.* 1. *& 23. tom.* 2. *Gratian. discept. for. c.* 220. *num.* 34.

Nec huic assignationi, & distributioni locorum Ecclesiæ factæ per Episcopum, aut Rectorem se opponere posset Patro-
9 nus; quia si in hujusmodi assignatione, & distributione salvantur Jura patronalia; quæcumque oppositio per Patronum adducta est levis, & irrationabilis, & quæ in consideratione haberi non deberet, ut benè *Rota in Neapolitana Constructionis Ecclesiæ super secundo dubio* 26. *Junii* 1711. §. *Quibus omnibus coram R. P. D. Falconerio*. Nisi Patronus in limine fundationis
10 sibi reservasset Jusprohibendi, ne ab aliis apponantur scamna, aut introducatur Confraternitas in ejus Ecclesia Patronali: quo casu hujusmodi Jus prohibendi competeret Patrono non ex vi Jurispatronatus, sed ex vi reservationis specialiter factæ de consensu Episcopi in limine fundationis. *Rota decis.* 474. *num.* 6. *par.* 19. *tom.* 2. *recent.*

11 Pro concordia autem utriusque sententiæ considero scamnum, aut sedile alicujus Extranei, & non Patroni, in triplici Statu; *Primò* nimirum ut existens in aliquo loco Ecclesiæ Patronalis? *Secundò*, ut existens in eminentiori loco; & *Tertiò* ut existens magis ornatum, & nobilitatum, aut altum præ aliis; Stante hac consider-
12 atione crederem Patronum habere Jus prohibendi, ne in sua Ecclesia apponatur scamnum à Persona extranea in eminentiori loco Ecclesiæ, aut magis ornatum, & nobilitatum, aut altum præcæteris, & his terminis procedere primam sententiam affirmativam. Ratio est, quia appositio, & erectio scamni in eminentiori loco, aut magis ornati, nobilis, & structuræ altioris illo Patroni detrahit præeminentiæ, & honori ejusdem Patroni, qui primus in
13 Ecclesia patronata sedere debet, & præcæteris sede nobiliori, & altiori honorandus, & consequenter tamquam præjudicialis Juribus honorificis Patroni poterit per ipsum prohiberi, *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 4. *num.* 2. *Paris. consil.* 149. *num.* 2. *lib.* 4. *Gratian. discept. forens. cap.* 220. *num.* 40. *Rota decis.* 163. *num.* 19. *par.* 17. *recent. & decis.* 321. *n.* 2. *coram Cavaler.*

Nec obstat, quod à Jurepatronatus ad
14 Jus prohibendi inferri non possit, quia hoc procedit quoad ea, quæ non tendunt in præjudicium Patroni, secùs quoad ea, quæ sunt ipsi præjudicialia. Nec jure cautum invenitur, quod Episcopus, aut Rector Ecclesiæ Patronalis possit assignare, aut concedere Personæ extraneæ scamnum in loco nobiliori, & præeminentiori eo, in quo habet scamnum idem Patronus; Immò contrarium dispositum habetur in supradicto *Can.* 1. *Piæ Mentis*, *& 2. Frigentius*, ubi statuitur Patronum esse præcæteris honorandum, eique primum locum in sessionibus assignandum, & ibi firmavi *Cas.* 1. *num.* 4.

Si verò consideretur scamnum alicujus
15 extranei, seu non Patroni in statu simplicis, & puræ existentiæ in aliquo loco Ecclesiæ Patronatæ; censeo Patronum non habere jus prohibendi, ne à tertio apponatur hujusmodi scamnum in aliquo loco Ecclesiæ non eminentiori, nec nobiliori, nisi hujusmodi Jus sibi reservaverit in limine fundationis, ut superiùs dixi *num.* 9. & in his terminis procedere secundam sententiam negativam. Sicuti enim licèt Patronus prohibere possit, ne alii extranei in Ecclesia Patronali ipsi præferantur in pace, thurificatione, & in præstatione Candelæ die Purificationis, tamen non potest prohibere ne aliis post ipsum concedatur pax, thurificutio, & candela; Ita licèt Patronus possit prohibere, ne aliis assignentur scamna nobiliora, aut in loco eminentiori Ecclesiæ, tamen non poterit absolutè, & simpliciter prohibere, ne aliis in ullo loco Ecclesiæ concedantur scamna,
16 & Jus sedendi. Ratio autem est, quia Jus honorificum, quod competit Patrono, non consistit in Jure prohibendi, ne alii honorentur, sed quod in honore cæteris aliis præferatur. *Abb. in cap. Nobis num.* 5. *in fine de Jurepatr. Rocch. de Curt. eodem tract. in verb. Honorificum num.* 99. *Rota decis.* 321. *coram Cavaler.*

Non adversatur decisio 843. *coram*
17 *Cerro*, superiùs allata in affirmativa sententia, quoniam illa procedit, quandò adest præjudicium Patroni, & negativa

consuetudo retinendi scamnum in Ecclesia, seu quando ob angustiam loci, scamna sunt impedimenti, secùs quando nullum adest præjudicium Patroni, ut ibi dicitur num. 3. ibi: *Quia cum in hac Ecclesia nullus umquam consueverit similia scamna retinere, eorumque appositio ob angustiam situs esset impedimenti non videtur sufficiens consensus Episcopi, qui Ecclesiæ de Jurepatronatus nullo modo valet præjudicare.*

Minusque attendendum venit, quod ibi subjungebatur, nimirum, quod si in Ecclesia Patronali concedantur aliis scamna, & sedilia; Ecclesia non poterit illa amplius amovere etenim hoc est
18 omninò insubsistens; dum Patronus si agnoscat, quod ex retentione scamni in tali loco Ecclesiæ incommodetur, & impediatur cultus, & servitium ejusdem Ecclesiæ, cum ad ipsum vigore hujus Canonis *Filiis* spectet defendere Ecclesiam ab omni incommodo, & præjudicio, poterit notificare Episcopo, aut Rectori Ecclesiæ hujusmodi incommodum, & impedimentum, & instare ut removeatur scamnum, itaut Episcopus, aut Rector cognita veritate impedimenti poterit ad sui libitum hujusmodi scamnum removere, & alium locum equipollentem pro scamno assignare. *Giovagnon. cons.* 8. *n.* 19. *&* 23. *lib.* 2. *Ciarlin. cap.* 210. *num.* 16. *&* 37. *lib.* 2. *Altograd. controv.* 85. *num.* 7. *& seq. tom.* 2. *Barbos. in Collect. Apostolic. decis. collect.* 301. *num.* 11.

Idem dico de Confraternitate, quæ
19 salvis Juribus Patroni impediri non potest per eum, ne introducatur in Ecclesia Patronali. Sicuti enim tertius absque consensu Patroni, immò eo invito potest
20 ædificare Cappellam in Ecclesia Patronali, quia ex hoc non fit præjudicium Patrono. *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 3. *art.* 17. *Tondut. quæst. benefic. cap.* 73. *num.* 8. *tom.* 1. Ita etiam poterit erigi Confraternitas absque consensu Patroni, salvis ejus juribus, ea ratione, quia hujusmodi erectio Confraternitatis non nocet Patrono, immò prodest, & est valdè utilis Confratribus, & consequenter impediri non potest, dum ea, quæ uni prosunt, & alteri non no-
21 cent, impediri non possunt *ad Text. in L.* 2. §. *Item Varas, ff. de acquir. ptuvial. arcen. Menoch. cons.* 51. *num.* 45. *& cons.* 121. *num.* 8. *Rota in Neapolitana Constructionis Ecclesiæ* 13. *Maii* 1712. §. *Eoque magis coram R. P. D. Scotto.*

Responsum autem *R. P. D. Fattinelli*
22 110. superiùs allegatum non applicatur, quia loquitur de Cappella particulari S. Zitæ Familiæ Fattinellorum, existente in Ecclesia S. Frigidiani Canonicorum Lateranensium Lucen. Insuper ibi loquitur in terminis diversis; nempè de Confraternitate jam erecta, & introducta, solùm ad triennium, & contenta non permanere in dicta Cappella; in casu nostro agitur de Confraternitate introducenda, & erigenda salvis Juribus Patroni, & sine ejus præjudicio in Ecclesia publica Patronali ad majorem Cultum Divinum, ubi Patronus non habet Jus prohibendi ea, quæ ipsi non nocent, & alteri prosunt; immò hæc impedire non potest, juxta auctoritates superiùs relatas, §. *Idem dico, quibus addo Text. in L. Si cui ff. de servit. leg. Rescripta Cod. de prec. Imper. offer. Gomez. var. resolut. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. *vers. Immò postea.*

23 Descendendo verò ad examen, an Patronus habeat jus prohibendi, ne in Ecclesia Patronali apponantur ab aliis eorum Arma, Insignia, & inscriptiones; Respondeo Arma, Insignia, & inscriptiones aliorum, qui non sunt Patroni considerari posse purè, & simpliciter secundum se absque ulla declaratione, & enunciativa denotante illa non esse Arma, nec Insignia, nec inscriptiones fundatoris, aut Patroni; & considerari posse, ut unita, & conjuncta cum tali declaratione, aut enunciativa. Si considerentur, ut conjuncta cum tali declaratione, & enunciativa censeo Patronum non posse impedire, ne ab aliis apponantur hujusmodi Arma. Sic Benefactores de consensu Rectoris, aut Episcopi
24 possunt depingi, & insculpi facere in Ecclesia Arma, & Insignia propria, ac inscriptiones, dummodò declarent, quod per hujusmodi armorum appositionem nullum Ius, aut titulum præter illud Benefactoris acquirere intendant, & dummodò fiat scriptura in marmore ostendens Arma primi fundatoris; Insuper extra-

traneus potest in propria sepultura existente in Ecclesia Patronali, ultra illam Patroni apponere Insignia, Arma, & inscriptiones in lapide sepulchrali, necnon in parietibus Ecclesiæ Patronalis apponere, & affigere Arma depicta in papyro, non ut ibi perpetuo remaneant, sed durante dumtaxat anno luctus, ut quotidie videmus hic in Urbe hujusmodi Arma, in papyro depicta affixa in parietibus Ecclesiarum, etiam Patronalium tempore luctus alicujus, qui ibi habet sepulchrum; ea ratione, quia appositio hujusmodi Armorum, & Insignium habentium præfatam declarationem, & enunciativam nullatenus est præjudicialis Iuribus Patroni; *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 5. art. 4. num. 9. Tondut. quæst. benef. cap. 37. num. 10. 15. & 19. tom. 1.*

Si verò Arma, & Insignia, & inscri-
26 ptiones considerentur secundùm se, & se juncta à præfata declaratione, & enunciativa, crederem Patronum habere Ius prohibendi, ne in Ecclesia Patronali, illa sic purè, & simpliciter sumpta absque dicta declaratione apponantur; non quia Armorum, & Insignium appositio, sit quoddam dominii argumentum, ut volunt *Ancharan. cons. 113. Tondut. quæst. Benef. cap. 73. tom. 1. Adden. ad Buratt. decis. 323. num. 20.* Hoc enim non mihi videtur absolutè verum; quoniam Arma insignia, & inscriptiones, vel sunt apposita in aliquo cancello, porta, vel in alia parte minùs principali Ecclesiæ, & non probant dominium illius, quia cum posita sint in parte minùs principali non possunt arguere dominium totius Ecclesiæ, vel sunt apposita in parte principali Ecclesiæ, nec per se probant dominium, quia ex alia Causa arma poterunt apponi, quàm ratione dominii, nempè propter Eleemosinam factam Cappellæ, ut benè *Amostaz. de Causis Piis lib. 5. cap. 7. num. 41. & seq.*

Sed censeo rationem esse, quia inte-
27 rest fundatori, ut ejus memoria conservetur in Ecclesia, & ut absque ullo dubio omnes sciant, quod ipse sit fundator, & Patronus Ecclesiæ. Si autem permitteretur extraneo apponi propria Arma, & insignia sejuncta à dicta declaratione, & enunciativa in Ecclesia Patronali; per hujusmodi appositionem armorum præjudicaretur memoriæ fundatoris, nam posset de facili confundi, & in progressu temporis dubitari, quis illam Ecclesiam ædificare fecerit, ut optimè hanc rationem perpendit, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 5. art. 4. num. 1. & 2.*

Immò ob hanc rationem nec Patro-
28 nus extraneus potest in Ecclesia Patronali apponere sua Insignia, & Arma etiam remanentibus antiquis Armis fundatoris, nisi in his Armis antiquis declaretur, & imprimatur Scriptura, illa fuisse arma primi fundatoris, *Lambert. ubi supra num. 8. Tondut. quæst. benefic. cap. 73. num. 21. & seq. tom. 1.*

ARGUMENTUM.

Patronus an habeat jus prohibendi, ne ab aliis excaventur sepulchra in Ecclesia Patronali.

SUMMARIUM.

1 *Sepulchrum excavari potest per Confraternitatem de consensu Episcopi in Ecclesia Patronali invitis Parocho, & Patrono, limita ut num. 10.*
2 *Jus Parochiale in quo consistat?*
3 *Per concessionem Sepulchri in Ecclesia Patronali pro Confratribus præservantur Jura Parochialia.*
4 *Ad Parochum spectat decernere, per quam viam incedere debeat funus.*
5 *Patronus non potest impedire excavationem, & concessionem Juris Sepulchri in Ecclesia Patronali favore aliorum.*
6 *Patronus Cappellæ non acquirit Jus prohibendi, ne ibi excaventur Sepulchra.*
7 *In Ecclesia Patronali fundari possunt Cappellæ invito Patrono.*
8 *Consensus Patroni in occurrentibus circa rem Patronalem quandò requiritur?*
9 *Refertur resolutio Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in Neapolitana Sepulchri.*

10 *Si Confraternitas haberet Sepulchrum jam ædificatum in Ecclesia Parochiali Parochus posset impedire, ne excavetur novum Sepulchrum in Ecclesia Patronali pro Confratribus, amplia ut num.* 11.

12 *Episcopus potest concedere Ecclesiæ non Parochiali Privilegium, & Jus Sepulchri ex justa causa, secus sine illa.*

13 *Optabile est unicuique sepeliri in Sepulchro majorum.*

CASUS VIII.

ERecta quadam Confraternitate in Ecclesia Patronali A. sita intra limites Parochiæ B. cum ipsa vellet excavare sepulchrum, & habere jus sepulchri pro Confratribus in dicta Ecclesia Patronali, se oppositerunt Parochus, & Patronus. Quæritur proinde, an præfata Confraternitas possit de consensu Episcopi excavare sepulchrum, & habere jus sepulchri pro Confratribus in dicta Ecclesia Patronali sita intra limites Parochiæ B. renuentibus, & reluctantibus Parocho, & Patrono?

In qua quæstione censeo affirmativè respondendum ductus à dispositione *Textus in cap. Cum liberum de Sepult.* per quam electio sepulturæ est facultativa, & omnibus Adultis libera; sicuti igitur Confratres præfatæ Confraternitatis possunt liberè eligere sepulturam in aliis Ecclesiis, adeout Parochus non possit hujusmodi liberam electionem impedire, ita poterunt excavare sepulchrum in Ecclesia Patronali, & Episcopus ibi eis concedere Privilegium, & jus sepulchri.

2 Ratio est, quia jus Parochiale non consistit in humatione omnium Cadaverum Parochianorum, sed consistit in humatione illorum Cadaverum, quæ non habent, aut non elegerunt sepulturam, & in exactione quartæ funeralis, juxta *Text. in cap. Ex parte, & cap. Cùm liberum de sepult. & Clement. Dudum eodem tit. Rot. decis.* 501. *num.* 1. *part.* 13. *recent. & decis.* 87. *num.* 5. *& decis.* 88. *numer.* 4. *coram Sperell.*

Si excavetur per Confraternitatem
3 sepulchrum in dicta Ecclesia Patronali, eique concedatur ab Episcopo jus sepulchri pro Confratribus, præservantur hujusmodi Iura Parochialia; nam si Confratres decederent absque electione sepulturę in Ecclesia Patronali, etiamsi haberent ibi proprium sepulchrum, adhuc essent sepeliendi in Ecclesia Parochiali, eo quia Confratres sodalitatum decedentes ex hac vita non electa sepultura sepeliri non possunt in sepulchro suæ Ecclesiæ, sed tenentur sepeliri in Ecclesia Parochiali. *Samuel. de sepult. elect. tract.* 1. *controvers.* 10. *conclus.* 1. *Matteucc. Offic. Cur. Eccles. cap.* 48. *num.* 30. Aut si decederent electa propria sepultura in Ecclesia Patronali, & ibi essent sepeliendi præservaretur aliud jus Parochiale, nempè quarta funeralis, quia deberent illam solvere dictæ Ecclesiæ Parochiali, juxta dictum *Clement. Dudum de sepult. & cap.*
4 *Pastoralis eodem tit.* Insuper ad Parochum spectaret decernere, per quam viam incedere funus deberet, & officia peragere, & Confratrum corpora sepulturæ tradere, ut in terminis Confratrum decrevit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium in una *Castellanensi* 2. *Januarii* 1584. *& in una Brixiensi* 18. *Junii* 1591. *& Nicotorensi* 5. *Junii* 1615. *& resolvit Sacra Congregatio Rituum in Neapolitana* 18. *Maii* 1602. *relat. per Samuel. ubi supra controv.* 5. *conclus.* 7. *&* 8.

Unde cum in excavatione sepulchri in præfata Ecclesia Patronali præserventur omnia Iura Parochialia Ecclesiæ Parochialis B. nulla suadet ratio, quod Episcopus non possit illam permittere, & ibi concedere Confraternitati jus sepulchri, nec est cur Parochus se opponat hujusmodi concessioni, & resolvit *Sacra Rota in Romana Oratorii* 13. *Januarii* 1698. *coram R. P. D. Priolo, §. Nullum igitur præjudicium impress. post Antonell. de Juribus, & oneribus Clericor. decis.* 17. *& Sacra Congregatio Episcoporum in una Capuana* 30. *Maii* 1629. ad relationem Eminentissimi Cardinalis Pii bon. mem. ibi: *Curatum Casalis Casæ puellæ Capuanæ Diœcesis non posse prohibere Alicornio Natali ejusdem Terræ jus sepulturæ pro se, & suis Successoribus in Ecclesia per ipsum Alicornium ædificata, reservata quarta funerali proprio Parocho*: relat *per Samuel. de sepult. elect. tract.* 1. *controv.* 5. *conclus.* 4.

Nec

5 Nec Patronus impedire valet hujusmodi excavationem, & concessionem Juris sepulchri in Ecclesia Patronali favore prædictæ Confraternitatis. Quoniam licèt Patronus habeat Juspatronatus in Ecclesia Patronali, non proinde sequitur, quod habeat in ea etiam jus privativum sepulchri, seu jus prohibendi, ne ibi excaventur sepulchra favore aliorum, itaut absque consensu, & beneplacito Patroni licitum non sit Ordinario concedere alteri facultatem excavandi sepulchrum in Ecclesia Patronali, cùm nihil habeat commune jus sepulturæ cum Jurepatronatus, ut superiùs firmavi *in Can. I. & II. Cas. II. n.* 2. quampluribus auctoritatibus, quibus addo *Rot. decis.* 352. *numer.* 7. *ad* 12. *coram Ubald.*

Quod comprobatur paritate, nam Pa-
6 tronus Cappellæ non acquirit jus prohibendi, ne ibi excaventur sepulchra *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 4. *num.* 22. *Rota decis.* 163. *num.* 15. *&* 16. *part.* 17. *Recent.* Ergo nec Patronus totius Ecclesiæ habebit jus prohibendi, ne ibi excaventur sepulchra favore aliorum, nisi hoc jus sibi expressè reservaverit in limine fundationis, ut dixi *dicto Casu* 2. *num.* 6.
7 & sicuti in Ecclesia Patronali possunt fundari Cappellæ non solum absque consensu Patroni, sed etiam ipso invito, juxta auctoritates adductas in Casu præcedenti *num.* 20. quibus addo *Lezzan. in Summ. quæst. Regul. verb. Sepultur. num.* 16. Ita etiam ibi de consensu Ordinarii poterit excavari sepulchrum pro Confratribus præfatæ Confraternitatis absque consensu Patroni.

Ratio autem est, quia consensus Patro-
8 ni in occurrentibus circa rem Patronalem, solùm requiritur, quando fit præjudicium Patrono, aut ejus Juripatronatus; si concedatur jus sepulchri Confratribus in Ecclesia Patronata per hujusmodi concessionem non læditur Juspatronatus Patroni, quod non consistit in jure prohibendi; ac proinde Episcopus licitè, & validè poterit sine consensu Patroni concedere Confraternitati facultatem excavandi sepulchrum pro Confratribus in dicta Ecclesia Patronali ad tradita in superiori Casu *numer.* 15. *& seqq.*

Non obstat si fortasse dicatur, quod Episcopus in re Patronali non possit quidquam alterare, & innovare invito Patrono; quoniam hoc procedit in iis, quæ sunt præjudicialia eidem Patrono, non verò in iis, quæ nullatenus illi sunt præjudicialia; & ita resolutum fuit à Sacra Con-
9 gregatione Episcoporum, & Regularium in *Neapolitana Sepulchri* 30. *Septembris* 1712. vertente inter Illustrissimos, & Excellentissimos DD. Gubernatores Montis Ciarlettæ, & Scipionis Caraccioli pro una, & Illustrissimos DD. hæredes Ducis Spezzani, nec non Promotorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ pro altera parte, ubi prætendente Duce Spezzani excavare sepulchrum favore ejus familiæ in pavimento Ecclesiæ Cathedralis, quod est de Jurepatronatus Gubernatorum Montis Ciarlettæ; nec non excavante dictum sepulchrum ex concessione Eminentissimi Archiepiscopi apposita solemni inscriptione absque consensu Patronorum, fuit disputatum dubium: *An concessio sepulturæ, de qua agitur subsistendatur in Casu &c.* & Sacra Congregatio respondit: *Affirmativè.*

Cæterum si præfata Confraternitas ha-
10 beret sepulchrum jam constructum, & ædificatum in Ecclesia Parochiali B. quodusque in hodiernam diem perseveraret, ibique semper sepulti essent Confratres; in hoc casu censerem Parochum posse impedire, ne in dicta Ecclesia Patronali A. excavetur, & construatur novum sepulchrum pro Confratribus; quoniam cùm ipsi Confratres habeant proprium sepulchrum jam constructum, & ædificatum in Ecclesia Parochiali, & cùm hæc ab initio fundationis Confraternitatis usque nunc sit in possessione Juris sepulchri Confratrum, non potest proinde eadem Ecclesia Parochialis spoliari hujusmodi Jure sepulchri supprimendo ibi sepulturam Confratrum, & eam transferendo in Ecclesiam Patronalem, sed manutenenda est in dicta possessione Iuris sepulchri Confratrum, utpote conformi juri communi, juxta quod sepulchrum competit privativè Ecclesiæ Parochiali ad *Text. in cap. Fraternitatem de sepult. Clement. Dudum eodem tit.* & argumento à contrario sensu *Text. in l. longa possessio ff. de mort. inferen. & sepulchr. ædific. Hostien. in cap.* 1. *de sepult.*

Ma-

11 Maximè si nullæ adessent causæ privandi Parochialem Ecclesiam dicto Jure sepulchri Confratrum ab ea per multos annos possesso, nimirum si non adesset necessitas, eo quia sepulchrum Confratrum in dicta Ecclesia Parochiali optimè custodiatur, & ibi per Parochum Confratres cum omni decentia sepeliantur, aut à Confratribus nullum motivum necessitatis assignetur ædificandi in Ecclesia Patronali novum sepulchrum; aut si non adesset utilitas, ut de facto in hoc casu adesse non posse videtur; immo si dicta Ecclesia Parochialis privaretur sepulchro Confratrum, & illud transferretur in Ecclesiam Patronalem, etsi præservarentur Iura Parochialia, adhuc ex hujusmodi privatione, & translatione sepulchri multæ lites, & discordiæ inter Confratres, & Parochum in diem orirentur, fieri namque posset, quòd post concessionem sepulchri absoluto à Parocho officio, Rector Ecclesiæ Patronalis denuo illa peragere vellet, faciliter Crucem, Stolam, Aspersorium, ac similia Parochi specialia usurparet, itaut continuò Parochus, ne dicta præjudicialia committerentur, vigil esse oporteret; & in casu, quo aliquod irreperet præjudicium, hinc lites, & discordiæ, morientium namque Confratrum seducerentur Voluntates, ut expressè sepulturam in Ecclesia Patronali eligerent, indeque quæstiones nascerentur, an de electione verè constaret, & an ut possent eam eligere à præscripto tempore in libro Societatis fuissent adscripti.

Ac proinde Episcopus, cujus vigilantia debet esse quies Subditorum, ad evitandas hujusmodi lites, contentiones, & quæstiones permittere non deberet hanc novitatem, sed procurare, ut servetur solitum, & Ecclesia Parochialis in suo Jure sepulchri Confratrum conservetur. Licèt
12 enim Episcopus Ecclesiæ non Parochiali valeat concedere privilegium, & jus sepulchri ex justa causa, & de consensu Capituli, tamen sine justa causa, & hujusmodi consensu illud privilegium concedere non valet, ea ratione, quia Episcopus non potest ardua explicare sine consensu Capituli, nec potest jus unius Ecclesiæ dare alteri sine causa. Si igitur non adesset ulla justa causa privandi Ecclesiam Parochialem suo antiquo jure sepulchri Confratrum, & illud transferendi, seu de novo excavandi in dicta Ecclesia Patronali, non posset Episcopus permittere hujusmodi constructionem, & excavationem novi sepulchri, & Parochus posset illam impedire, juxta *Abb. in cap. Certificari de sepultur. num. 8. Fagnan. in cap. Fraternitatem eodem tit. num. 7. Barbos. de Offic. & potest. Parochi cap. 26. num. 11. Monacell. Formul. legal. formul. 10. tit. 6. n. 22. par. 1.* ibi: *Quod tamen sine justa causa concedere non deberet.*

Non adversantur superiùs deducta, quia illa procedunt in casu, quo Confratres nullum haberent sepulchrum; in hoc enim casu Ecclesia Parochialis, salvis Juribus Parochialibus, non posset impedire constructionem sepulchri pro Confratribus in Ecclesia Patronali, in qua Confraternitas est erecta ex auctoritatibus ibi adductis; at in casu, quo Confratres habeant sepulchrum jam constructum, & ædificatum in præfata Ecclesia Parochiali, non possunt prætendere absque justa causa translationem, & constructionem novi sepulchri in dictam Ecclesiam Patronalem, spoliando Parochialem antiquo jure sepulchri, sed
13 debent esse contenti sepulchro majorum, in quo optabile est unicuique sepeliri, *Fagnan. in dicto cap. Fraternitatem de sepult. num. 2. ibique Barbos. num. 3.*

ARGUMENTUM.

Parochus an possit exercere in Ecclesia Patronali Jura, seu functiones tam Parochiales, quàm non Parochiales ad sui libitum invito Patrono, vel potiùs exercitium functionum non Parochialium spectet ad Rectorem Ecclesiæ Patronalis. Electio Diaconi, & Subdiaconi pro celebratione Missæ Solemnis in Ecclesia Patronali, ad quem spectet?

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Functiones aliæ sunt Parochiales, & aliæ non Parochiales, & quæ sint, explicatur, & num. 2.*

3 *Ecclesia, aut Oratorium Patronale situm intra limites Parochiæ, an dicatur esse sub Dominio, & Subjectione Parochi?*

4 *Ecclesia sive libera, sive Patronalis sita intra limites Parochiæ habet dependentiam ab ea, quoad functiones Parochiales, non verò quoad non Parochiales, & num. 28. & 29.*

5 *Sola Ecclesia Cathedralis habet intentionem fundatam super Subjectione alterius Ecclesiæ sitæ intra limites suæ Parochiæ, & num. 29.*

6 *Parochus non potest exercere functiones non Parochiales in Ecclesia Patronali, sed illas exercere debet in propria Ecclesia.*

7 *Ecclesiæ sitæ intra limites Parochiæ, aliæ sunt eidem subjectæ, & aliæ non.*

8 *Resolutiones Sacræ Congregationis Rituum allegatæ à* Pignattello, *quo sensu sint intelligendæ? & num. 30.*

9 *Exercitium functionum non Parochialium in Ecclesiis Patronalibus spectat ad harum Rectores, & num. 10. & 21. & 23.*

11 *Electio Diaconi, & Subdiaconi assistentium celebrationi Missæ Solemnis in die Festivitatis S. Titularis in Ecclesia Patronali spectat ad hujus Rectorem; et si careat Rectore, spectat ad Patronum, et si non habeat Patronum, spectat ad ejus Custodem, & num. 32. Amplia, ut num. 33. & seqq.*

12 *Parochus non potest quæstuare pro Sanctissimo Sacramento in Ecclesia Patronali sita intra limites Parochiæ, nec retinere Capsulam Eleemosinarum, nec ejus Claves, nec ibi celebrare Missam Solemnem, aut Pacem Populo dare invito ejus Rectore, aut Patrono.*

13 *Parochus non potest impedire celebrationem Missarum, & alia Spiritualia sita intra limites Parochiæ.*

14 *Parocho non licet explere functiones Parochiales in Ecclesiis Patronalibus sitis intra limites Parochiæ ad sui libitum independenter à Patronis, & iis invitis.*

15 *Functiones Parochiales in Ecclesiis Patronalibus inscio, & reluctante Parocho peragi non possunt.*

16 *Clavis Ecclesiæ Patronalis existentens intra limites Parochiæ spectat ad Cappellanum pro tempore, non autem ad Parochum.*

17 *Benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum non sunt de Juribus Parochialibus, & num. 20.*

18 *Benedictiones mulieris, & Fontis Baptismalis fieri debent à Parocho.*

19 *Restitutio in integrum adversùs rem judicatam quando conceditur.*

22 *Benedictiones Ovorum, & similium, unde initium habuerunt?*

24 *Parochus, ut ex consuetudine immemorabili dicatur sibi competere exercitium Jurium non Parochialium in Ecclesiis sitis intra limites Parochiæ, quid requiritur?*

25 *Constitutio, aut dispositio, quæ falsò nititur fundamento subsistere non potest.*

26 *Regulares an sint subjecti Constitutionibus Synodalibus?*

27 *Regulares possunt benedicere Ova, & similia juxta propriam Ecclesiam, & non extra per Domos.*

31 *Electio Sacerdotum celebrare debentium non est de juribus Parochialibus.*

CASUS IX.

INtra limites Ecclesiæ Parochialis fundatum reperitur Oratorium publicum, seu Ecclesia de Jurepatronatus familiæ B. Parochus prædictæ Ecclesiæ Parochialis, ob majorem ejus, populique commoditatem, prætendebat benedicere, & distribuere Candelas, Cineres, & Palmas; facere benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Seminis, Ovorum, & similium; & etiam facere omnes functiones Hebdomadæ Sanctæ in dicto Oratorio, seu Ecclesia Patronali; cui prætentioni resistente Patrono Ecclesiæ existimante non

posse Parochum ad sui libitum exercere dictos Actus in Ecclesia Patronali, quæritur proinde.

Primò: An Oratorium publicum, seu Ecclesia Patronalis fundata intra limites Parochiæ habeat dependentiam, & subjectionem ab ea tam in functionibus Parochialibus, quàm non Parochialibus.

Secundò: An liceat Parocho dictæ Ecclesiæ Parochialis independenter à Patronis explere functiones Parochiales in dicto Oratorio, seu Ecclesia ad sui libitum, iis invitis?

Sciendum est functiones alias esse merè
1 Parochiales, & alies non merè Parochiales; functiones merè Parochiales consistunt in Jure decimandi, ac percipiendi oblationes, juxta *Text. in cap. Cum contingat, & cap. Cum tua de Decimis, Barbos. de Offic. & potest. Episcop. par. 3. cap. 28. §. 2. num. 8.* in obligatione Parochianorum recipiendi Sacramentum Eucharistiæ in die Paschatis, aliaque Sacramenta moribundis conferri solita, illud scilicet Eucharistiæ, quod sumitur pro Viatico, ac illud extremæ Unctionis, juxta *Text. in cap. Nullus de Parochis*; nec non in jure funerandi, ac sepulturæ, quoties defunctus in alia Ecclesia sepulturam non eligat, vel sepulturam majorum non habeat, quo casu Quarta, seu portio Canonica Parocho debetur, juxta *Text. in Clement. Dudum, §. verò, & ff. Hujusmodi de sepultur. Card. de Luca de Parochis disc. 31. numer. 8. Rota decis. 552. num. 3. part. 5. Recent.* In jure faciendi inter Missarum Solemnia diebus festivis publicas denunciationes Matrimoniorum, *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 6. num. 4. Barbos. de Offic. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. n. 17.* In jure assistendi, seu interessendi celebrationi Matrimoniorum, juxta dispositionem *Conc. Tridentini sess. 24. de Reformat. cap. 1.* ac in jure aspergendi Domos in die Sabbathi Sancti, ut docet *Barbos. de Offic. & potest. Paroch. par. 1. cap. 12. num. 11.*

2 Functiones non merè Parochiales sunt Benedictio, ac distributio Candelarum, Cinerum, & Palmarum; Benedictio Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & similium, receptio Mulierum ad purificationem post partum; Functiones Hebdomadæ Sanctæ; Celebratio Solemnis. Missæ in Feria quinta Cœnæ Domini, aliæque celebrationes Missarum per annum, sive pro vivis, sive etiam pro Defunctis; Expositio quadraginta horarum, Sacrarum Reliquiarum, aut Imaginum, ac Benedictio cum illis fieri solita super populo, nec processiones intra ambitum Ecclesiæ privatæ sunt de functionibus, seu juribus Parochialibus, ut responsum fuit *per Sacram Congregationem Rituum 10. Decembris 1703. in responsione ad 5. 7. 8. 10. 11. 12.* Dubium juxta folium impressum plurium decretorum super materia Jurium Parochialium, & juxta *Congregationem Concilii in Forolivien. Iurium Parochialium 10. Decembris 1683. & in Brixinoricen. Iurium Parochialium 21. Iulii 1687. ad primum*, sicuti etiam non est de Iuribus Parochialibus facere officium super Cadaveribus, postquam ista sunt illata in Ecclesiam existentem intra limites Parochiæ, *Rot. decis. 2079. num. 17. coram Coccin.*

Hoc præsuppositio; quoad primum dubium affirmativè, quoad omnem sui partem respondendum videtur, nempè Oratorium publicum, seu Ecclesiam ædificatam, seu constructam intra limites Parochiæ habere totalem dependentiam, & omnimodam subjectionem in omnibus, & quibuscumque functionibus tam Parochialibus, quàm non Parochialibus, cum per talem constructionem omnes Ecclesiæ, &
3 Oratoria sita intra limites Parochiæ dicantur esse sub Dominio, & Subjectione Parochi, nisi habeatur privilegium Exemptionis, aut allegabilis sit Præscriptio, juxta *Text. in cap. Dilectus de Cappell. Monach.* ubi quia Ecclesia Sancti Laurentii in Piscinula sita erat in Parochia Sanctæ Ceciliæ Innoc. III. respondit fuisse ab ea dependentem circa subjectionem in pluribus actibus ibi: *Cum enim Ecclesia Sancti Laurentii sit in Parochia vestra sita, debet de Iure communi Ecclesiæ vestræ in prædictis omnibus subjacere, quia nec privilegium Exemptionis habet, nec Præscriptionem pro se poterat allegare, & docet. Rota decis. 214. num. 6. par. 12. Recent.* ibi. *Habet assistentiam pro exercitio omnium actuum in Ecclesiis intra limites suæ Parochiæ existentibus privativè quoad omnes alios*: & ita resolutum fuisse *à Sacra Congregatione Rituum*

Rituum in Neapolitana 18. *Maii* 1602. refert *Pignatell. qui consult.* 68. *tom.* 6. *numer.* 1. tuetur hanc opinionem, ibi: *Sacra &c. & censuit ad Parochum pertinere functiones Sacerdotales in Ecclesiis, quæ sub Laicorum sunt gubernio non ad Cappellanos, nec ad Sacristam, nempè Benedictiones Cinerum, Candelarum, Ramorum Olivæ, Ovorum, Fontis Baptismatis, Delationes Sacramenti, Celebratio Missæ Feria V. in Cœna Domini, Aspersiones Domorum, & quæ fiunt die Dominica, Orationes quadraginta horarum, & similes*; & in *Thelesina pro Terra Cereti die* 3. *Aprilis* 1632. ibi: *Cappellanos in Ecclesiis Laicorum, seu Oratoriis non posse Benedictiones facere Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Ciborum Paschalium, sed hæc omnia peragi debere per Curatos in suis Parochialibus, nec posse eosdem Cappellanos, sive Sacristam in supradictis Ecclesiis, sive Oratoriis Missam celebrare in Feria V. nec Sacramentum in sepulchro eodem die custodire, cum hæc munia exerceri debeant in Ecclesiis Parochialibus*: & in *Thelesina* 3. *Iulii* 1630. petitioni factæ per Archipresbyterum Sancti Martini, ibi: *L. Arciprete di S. Martino supplica l'EE. VV. a dichiarare, se si possa portare il Santissimo Sagramento nelgli Oratorj, e Chiese delle Confraternite dei Laici*: Sacra Congregatio Rituum respondit: *Nihil ex supradictis licere Confraternitatibus Laicorum, aut Cappellanis earum, neque cuicumque alteri Sacerdoti sine expressa licentia, aut consensu proprii Parochi*: & ita etiam resolutum fuit à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium in una *Bergomen. super decimo tertio dubio*, ibi: *Se possino i Cappellani di detti Confrati esercitare alcun' atto di Cura d' Anime senza licenza del Rettore della Parochiale.* Respondit ibi: *Observetur illud, quod aliàs per litteras hujus Sacræ Congregationis Decretum fuit de Cura Animarum per Cappellanum Societatis, sine licentia Rectoris Parochialis non exercendum*: & in *Phrygien.* referente Eminentissimo Cardinali Tanario *die prima Iunii* 1699. super dubiis ibi: *An eidem Confraternitati competat facultas Processiones faciendi per Parochiam cum Stola, & Cruce, occasione associationis Cadaverum; continuò asservandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, etiam cum illius publica expositione; administrandi publicè Sacramenta Confessionis, benedicendi Candelas, Cineres, Olivas; functiones peragendi in Majori Hebdomada signanter in die Cœnæ Domini, ibique sepeliendi cadavera absque ullo interventu Parochi, istique omninò denegando Iura Parochialia*: Censuit dicta Sacra Congregatio, ibi: *Inhærendo decretis aliàs desuper æditis censuit respondendum* negativè, ut refert *Monacell. Formul. for. Eccles. num.* 13. *part.* 2. *Formul.* 1. *num.* 60.

His tamen non obstantibus affirmativè, quoad primam partem dubii; & negativè, quoad secundam respondendum de Jure censeo; nempe Oratorium publicum, seu
4 Ecclesiam sitam intra limites Parochiæ, sive sit libera, sive de Jurepatronatus, habere quidem dependentiam à Parochia, quoad functiones, seu Jura Parochialia consistentem in eo, quod Parochus possit prohibere, ne exerceantur in ea à Cappellano, aut Rectore Jura Parochialia non verò, quoad functiones non Parochiales. Habemus enim constantem omnium DD. opinionem unanimiter firmantium quaslibet Ecclesias, etsi sitas intra fines Ecclesiæ Parochialis esse in functionibus non Parochialibus à Parocho omninò independentes, quia eidem nullatenùs subjectas, ut docent *Abbas in cap. Dilectus de Cappel. Monach. num.* 4. 11. & 12. *in cap. Ad audientiàm primo num.* 8. *de Eccles. ædifican. Calderin. cons.* 6. *num.* 1. *vers. Item sicut de Relig. Domib. Card. de Luca de Paroch. disc.* 31. *num.* 4. & *sequen.* ibi: *Atque non agebatur de Juribus, seu functionibus merè Parochialibus, sed solemnitatibus ad devotionem, & Ecclesiæ Majorem Cultum, ac incitamentum ad opera Pietatis; in quibus actibus, utpotè in voluntate, seu devotione, atque super Parochialibus non concernentibus, vel usurpantibus, quoties à Rituali Ecclesiastico non aberratur &c. non potest ipse impedire, vel se ingerere invitis partibus. Rota decis.* 2089. *num.* 10. & 13. *coram Coccin. & in Civitatis Plebis Jurium Parochialium* 5. *Julii* 1700. §. *Sicuti coram Reverendissimo Molines Decano, & 6. Junii* 1708. *coram R. P. D. Ansaldo* inferiùs legen. Et fuit resolutum à Sacra Congregatione Rituum in decretis Urbis, & Orbis latis de anno 1703.

& per viam legis à Sanctissimo approbatis in responsione nimirum ad quartum ibi : *An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tùm privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam à Parocho*. Sacra Congregatio respondit: *Negativè*.

5 Ratio est, quia nulla Ecclesia citra Catedralem fundat intentionem suam super subjectione alterius Ecclesiæ etiam fundatæ intra limites suæ Parochiæ, præterquam tamen, quoad Jura Parochialia, & exceptis Juribus Parochialibus ; alia Jura non competunt Parochiali in Ecclesia intra limites suæ Parochiæ fundata, juxta *Text. in cap. Dilectus de Cappellis Monach. Rota decis.* 2089. *num.* 18. *coram Coccin.*

Unde Parochus Ecclesiæ Parochialis
6 non potest benedicere Candelas, Cineres, & Palmas, facere Benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Seminis, Ovorum, nec functiones Hebdomadæ Sanctæ, aliasque functiones non Parochiales peragere in Ecclesia Patronali, sed istæ functiones non Parochiales, si fiant à Parocho, faciendæ sunt ab ipso in propria Ecclesia Parochiali.

Non obstant *Text. in cap. Dilectus de Capp. Monach. nec decisio Sacræ Rotæ* 214. *part.* 12. *Recent.* extensò superiùs allegata; quoniam istæ authoritates procedunt, quoad functiones, seu Jura Parochialia, non verò quoad functiones non Parochiales, itaut Parochus possit illas exercere in Ecclesiis sitis intra limites propriæ Parochiæ ad sui libitum, & independenter ab earum Rectoribus, & Patronis.

Minusque adversantur resolutiones Sacræ Congregationis Rituum allegatæ à *Pignatell. consult. 6. tom. 6.* Quoniam distinguendum est inter Ecclesias, seu Ora-
7 toria non sejuncta, & subjecta Ecclesiæ Parochiali, eo quod fundata sint, & constructa, aut dotata ex ejus Bonis, & redditibus, aut ei unita, & inter Ecclesias, seu Oratoria sejuncta, & nullatenùs subiecta Ecclesiæ Parochiali, eo quod sint fundata, constructa, aut dotata de Bonis propriis Laicorum.

Resolutiones Sacræ Congregationis Ri-
8 tuum superius extensò allegatæ intelligendæ sunt, quoad Ecclesias non divisas, & subjectas, seu ex ipsarum Parochialium Ecclesiarum Bonis, seu redditibus constructas, & dotatas, in quibus ut ab eis dependentibus, Parochi, vel per se, vel per alios debito muneri satisfaciant; hæque Ecclesiæ recognoscentes Ecclesiam Parochialem in propriam Matricem Filiales nuncupari promeruerunt, ac in his tantùm authoritatem, dominium, & jurisdictionem exercere valent Parochi, ut in proposito connotavit, *Card. de Luca in Miscell. disc. 1. à num. 31. §. Inter istas verè, & de Paroch. disc. 27. num. 9. & de Decim. disc. 10. num. 9. ac in tract. de præeminent. in supplement. disc. 42. num. 12.* non autem intelligi possunt, quoad Ecclesias fundatas de Bonis propriis Laicorum, ibi enim non potest Parochus functiones non Parochiales exercere, sed ha-
9 rum exercitium spectat ad Rectores dict. Ecclesiarum, & in puncto resolutum fuit ab eadem Sacra Rota *in dicta Neapolitana Jurium Parochialium* 13. *Martii* 1711. *ff. Ex abundanti coram R. P. D. Ansaldo* inferius legen. *num.* 17. Itaut ad ipsos spe-
10 ctet facere Benedictiones Ovorum, Seminis, Palmarum, Aquæ Benedictæ, & alias functiones non Parochiales peragere, & etiam celebrare Officium super Cadaveribus positis in eorum Ecclesiis non subjectis Ecclesiæ Parochiali, ut firmavit *Rota in supradicta decisione* 2089. *num.* 18. & 24. *coram Coccin. & in puncto Rota in dicta Neapolitana Jurium Parochialium* 13. *Martii* 1711. *coram R. P. D. Ansaldo.*

Nec non ad eosdem Rectores spectat
11 Deputatio, seu Electio Diaconi, & Subdiaconi assistentium celebrationi Missæ solemnis in die Festivitatis S. Titularis dict. Ecclesiarum; et si hujusmodi Ecclesiæ sitæ intra limites Parochiæ, & nullatenus subjectæ Ecclesiæ Parochiali careant Rectore, Deputatio, seu Electio Diaconi, & Subdiaconi assistentium spectat ad Patronos, et si non habeant Patronos, spectat ad earum Custodes, seu Syndicos Deputatos ab Episcopo, ut fuit resolutum *à Sacra Rota in Civitatis Plebis Jurium Parochialium 6. Junii* 1708. §. *Consequens coram R. P. D. Ansaldo*; & uti sentiebam *in una Melevitana Jurium Parochialium*, agitata in Sacra

cra Congregatione Concilii, ubi prætendente Parocho Ecclesiæ Parochialis A. deputare, & eligere Diaconum, & Subdiaconum assistentes in celebratione Missæ solemnis in diebus Festivitatum Sancti Rocchi, & Assumptionis Beatæ Virginis, quæ celebrantur in duabus Ecclesiis sitis intra limites dictæ Parochiæ carentibus Rectore, & existentibus sub custodia duorum Deputatorum ab Episcopo; quæsitum fuit, ad quem spectaret hujusmodi electio, ad Parochum ne, an potius ad Custodes? & respondi, spectare ad Custodes propter rationes, & auctoritatem *Textus in cap. Dilectus de Cappellanis Monach.* superiùs relatas, ubi disponitur nullam Ecclesiam citra Cathedralem fundare suam intentionem super subjectione alterius Ecclesiæ fundatæ iutra limites suæ Parochiæ, exceptis tamen Juribus Parochialibus.

Et ita resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii *in dicta Melevitana Iurium Parochialium*, quæ licet *die* 23. *Februarii* 1715. proposito dubio: *An Electio, & Deputatio assistentium pro Diacono, & Subdiacono in Missis, & Vesperis Solemnibus, quæ celebrantur in Ecclesiis Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ, & Sancti Rocchi sitis intra limites Casalis Zebbug spectet ad dictum Parochum, vel potius ad Servientes, seu Custodes dict. Ecclesiarum*, respondit *Affirmativè*, quoad primam, & *Negativè* quoad secundam partem: Tamen *die* 22. *Iunii* 1715. repropositâ Causâ devenit ad meum sensum rescribendo; *Prævio recessu à decisis spectare ad Custodes, sive Servientes*: & iterùm repropositа *die* 20. *Septembris ejusdem anni*, iterùm rescripsit: *Standum esse quoad primam partem dubii in secundo loco decisis, & quoad secundam partem spectare ad Patronos.*

Insuper Parochus non potest quæstuare
12 pro Sanctissimo Sacramento in Ecclesia Patronali sita intra limites Parochiæ non subjecta, vel quæ habeat proprium Rectorem, cui in titulum confertur, nec potest retinere Capsulam eleemosinarum, sive ejusdem Claves ipsius Ecclesiæ, vel ibi privativè, quoad Rectores, benedicere Mulieres post partum, sive Missam celebrare in diebus solemnibus, aut Funeralibus, aut pacem populo dare, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Forolivien. Iurium Parochialium* 18. *Novembris* 1684. ubi propositis dubiis.

Primò. An Parocho Ecclesiæ S. Ioannis in Vico, privativè, quoad Rectorem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Populo sitæ intra limites dictæ Parochiæ liceat quæstuare intra ejusdem Ecclesiæ Parochialis limites pro Sanctissimo Sacramento?

Secundò. An eidem Parocho liceat retinere claves capsulæ Eleemosinarum existentis in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ?

Tertiò. An benedicere Mulieres post partum in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ spectet ad solum Parochum?

Quartò. An in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ solus Parochus valeat Missas celebrare in diebus Solemnibus, & Ferialibus, & pacem populo dare?

Quintò. An Beneficiatus, seu Rector in dicta sua Ecclesia Sanctæ Mariæ possit Missam celebrare ante Missam à Parocho celebratam?

Sacra Congregatio respondit ad primum *Non competere Parocho quæstuare in Ecclesia Sanctæ Mariæ*. Ad secundum *negativè*; ad tertium *negativè*; ad quartum *negativè*; ad quintum *posse, nisi aliter Episcopus statuat*.

Nec Parochus potest impedire celebra-
13 tionem Missarum, & alia Spiritualia in Oratorio, seu Ecclesia sub prætextu Jurium Parochialium, quia Parochus, quoad Missam, & alia spiritualia obsequia omnibus communia non habet Jus prohibendi, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii *in Savonen.* 15. *Decembris* 1685. *Mutinen.* 29. *Novembris* 1687. *& in Fulginaten. Oratorii prima Iulii* 1696.

14 Descendendo ad secundum dubium negativè censeo rescribendum. Etenim recepti Juris est, quod Parochus etiam in Ecclesiis sitis intra limites suæ Parochiæ nullam subjectionem sibi arrogare valeat, nisi eam sibi deberi ostendat ex privilegio, vel ex consuetudine speciali, ut ultra prædictum *Text. in cap. Dilectus de Capp. Monach.* firmat *Rota in decision.* 469. *numer.* 10. *part.* 19. *tom.* 2. *Recentior. & in Pampilonen. Præeminentiarum* 3. *Decembris* 1711. §. *Et sanè coram R. P. D. Ansaldo*; & consequenter adest manifesta resistentia Juris

circa

circa quod Parochus invitis Patronis in eorum Patronali Ecclesia jurisdictionem valeat exercere; & hoc ipsum definitum etiam habemus in supradictis Decretis *Urbis*, *& Orbis* à Sacra Congregatione Rituum promulgatis, ubi *ad 17. dubium*, in quo quæritur: *An Parochus invitis Confratribus docere possit Doctrinam Christianam in dictis Ecclesiis, & Oratoriis Publicis, vel privatis à Parochiali divisis, & separatis?* Sacra Congregatio respondit: *negativè*. Ideòque si actus ille tam pius, gratuitus, & tam animarum saluti necessarius, interdictus remanet Parocho in alterius Ecclesiis, invitis Patronis, quanto facilius interdicti remanebunt cæteri alii actus lucrativi, & majorem jurisdictionem præseferentes; & ratio evidentissima est, eo enim ipso, quod hujusmodi Oratoria nullam habent dependentiam à Parocho, nec illi subdita sunt, ut docet *Rota in dicta Civitatis Plebis Jurium Parochialium 3. Julii* 1705. §. *Decidendi ratio coram Reverendiss. Molines*; planum resultat, quod nullum Dominium, & jurisdictionis exercitium in his Parocho licitum sit invitis Patronis, cum nonnisi in locis sibi subjectis valeat quisquis jurisdictionales actus exercere.

Remanente penes eumdem Parochum
15 solo Jure negativo, ne in dictis Ecclesiis, seu Oratoriis sibi non subditis peragantur, eo inscio, aut reluctante Functiones Parochiales, pro quibus Jus habeat in ejus Parochia privativum.

Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Comen. Jurium Parochialium 9. Junii* 1714. ubi exposito, quod ab humanis decessurus Joannes Baptista à Turre, hæredibus in suprema voluntate nuncupatis, præ cæteris onus adjunxit, ut ædificari curarent Ecclesiam in Terra Mastennæ sub invocatione Sancti Joannis Baptistæ, eamque decenti ornatu, perpetuis futuris temporibus providerent, in qua Missarum Sacrificia sub expressa quantitate operarentur Fratres pro tempore commorantes in Conventu Sanctæ Mariæ Rezzonici, cui Animarum cura incumbit. Ipsis verò deficientibus, facultatem fecit hæredibus, eligendi sibi ipsis beneviſum Sacerdotem, qui onera injuncta exequeretur, ut latiùs ex documentis, quæ in Summario dabantur. In obsequium piæ hujusce dispositionis Andreas Trincanus Oratorium publicum, sive Ecclesiam erigi curavit in prædicta Terra Mastennæ ejus jurisdictionali feudo, exindeque effusis precibus pro opportuna facultate id ipsum Oratorium aperiendi, sub anno 1705. expetitum Decretum obtinuit, sine tamen præjudicio Jurium Parochialium, ea insuper adjuncta conditione: Ita tamen, quod Oratorium prædictum semper sit Parochiali suppositum, & ab ea dependens, liceatque Parocho pro tempore in eo celebrare, aliasque Parochiales functiones ad ejus libitum voluntatis quandocumque exercere absque ulla prorsùs contradictione, & adhunc finem ipsius Oratorii alteram clavem habere debeat ad formam Constitutionis Synodi VII. Diœcesanæ, sub pœna nullitatis præsentis concessionis, & interdicti ipso facto ejusdem Oratorii. Minùs quidem placuit Fratribus de Trincanis hujusmodi Decretum, autumantibus sibi ipsis valdè obnoxium esse, præsertim quia Jus Parocho attribuitur exercendi in Oratorio functiones Parochiales, alteramque clavem retinendi. At ejus prætensa Jura contra protegente Vicario Curato prælibatæ Ecclesiæ Rezzonici, intra cujus fines sæpedicta Ecclesia comperitur erecta; Quæsitum fuit.

Primò. An Ecclesia, sive Oratorium publicum Sancti Joannis Baptistæ situm in Terra Mastennæ de Jurepatronatus Fratrum de Trincanis habeat dependentiam, sive subjectionem tam in functionibus Parochialibus, quàm non Parochialibus ab Ecclesia Parochiali Rezzonici in casu &c.

Secundò. An liceat Parocho dictæ Ecclesiæ Rezzonici independenter à Patronis explere functiones Parochiales in dicto Oratorio ad sui libitum, iis invitis, & quas in casu &c.

Tertiò. An retentio clavis dicti Oratorii spectet solum ad Patronos, seu personam ab iis deputandam, vel potiùs Patroni teneantur tradere alteram clavem Parocho in casu &c.

Quibus Sacra Congregatio respondit, scribente Domino meo Præceptore. Ad primum *affirmativè*, quoad primam, & *negativè*, quoad secundam partem. Ad
16 secundum *negativè*. Ad tertium *Clavem reti-*

retinendam esse à Cappellano pro tempore, non autem à Parocho, & ampliùs.

R. P. D.

ANSALDO

Neapolitana Jurium Parochialium.

Veneris 13. *Martii* 1711.

ALma *Sacrorum Rituum Congregatio*, cujus muneris, & providentiæ est, ut Ecclesia tamquàm Castrorum Acies ordinata circa Divinum Cultum Liturgiam,
17 sacrasque cæremonias rectè cum tota Ecclesiastica Hierarchia juxta suos fines contenta ambulet coram Domino, quàm plura sub anno 1703. seu 1704. universalia sancivit decreta enucleativa plurium difficultatum respicientium præeminentias, functiones, & Jura Parochorum, inter quę procedens per viam dubiorum, *ad sextum*, quod talibus verbis legebatur explicatum: *An Benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & similium sint de Iuribus Parochialibus*, respondit per hæc pariter verba: *Negativè, sed Benedictiones Mulierum*,
18 *& Fontis Baptismalis fieri debere à Parochis*, ut præter impressionem Romæ Cusam typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ sub prædicto anno 1704. liquet etiam apud *Franciscum Monacellum* in hisce materiis valdè versatum, quivè eadem decreta opportunè registravit in suo *Formulario Legal. prattic. for. Eccles. tit. 13. ex num.* 46.

Verum quia eadem *Sacra Congregatio* occasione prædictæ impressionis in Urbe, & consequutivæ publicationis anni 1704. in calce eorumdem Decretorum adjungendam censuit hanc præservativam, seu modificationem. *Salvis tamen conditionibus, & pactis in erectione &c. concordiis inter partes initis &c. Indultis, & Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, & Consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis.*

Hinc non levis insurrexit super applicatione in concreto mavis præfatæ regulæ, quàm præservationum, de quibus proximè, Controversia inter Parochos Civitatis Neapolis ex una, & varios Regulares, seu Claustrales ex altera, & signanter Minores Conventuales S. Annæ, Minimos S. Francisci de Paula, & Eremitas S. Augustini alias S. Mariæ de Fide, prætendentibus Parochis sese versari in casu geminæ præservationis, consuetudinis nempè immemorabilis, & Constitutionum Synodalium, & consequenter ad ipsos privativè spectare Benedictionem Ovorum, aliorumque comestibilium tempore Paschali; substineri satagentibus è conversò prædictis Regularibus hasce limitationes non applicari, proindèque post antiquiores desuper habitas contentiones pronunciante A. C. per sententiam pro Regularibus, eademque per non interpositam appellationem transacta in rem Judicatam, spiritum vivificantem insufflavit Parochis *Signatura Iustitiæ*; unde commissa *mihi* desuper opportuna facultate *die* 16. *Ianuarii proximè elapsi* requisivi *Dominos meos*: *Utrum constaret de re Iudicata, vel potius de causis restitutionis in integrum etiam ad effectum manutentionis*, dilataque tunc resolutione, tandem hodie prodiit absolutum oraculum: *constare de re judicata* addito solum temperamento quodam, seu *modo* inferiùs pandendo.

Præsuppositis namque illis familiaribus
19 regulis, & propositionibus in omni plenè volumine nostri *Tribunalis* consparsis, nimirum, quod adversùs rem Judicatam nusquam tribui soleat remedium extraordinarium restitutionis in integrum, ubi non concurrat læsio aliqua, vel gravamen præcedentis Judicati, quod sanè gravamen solùm dicitur emergere, quoties idem Judicatum laborat tabe nullitatis, vel injustitiæ, ut cæteris recollectis habetur, apud *Ridolph. in prax. par. 1. cap. 13. n. 449. & seqq. Rota in Cavallicen. pecuniaria* 15. *Iunii* 1696. §. *Quemadmodùm enim coram Reverendissimo dell'Olmo Episcopo Conchen. & in dec.* 26. *num.* 1. *inter impress. coram Me*, & alibi passim.

20 Utique in abstracto (præcisivè pronunc de applicatione, & examine prædictarum limitationum) cum de nullitate nulla esset

set quæstio, nulla quoque subesse poterat difficultas circa Juris assistentiam in hac Benedictione Ovorum, & Comestibilium ad commodum Regularium, quia posthabitis etiam argumentis, atque auctoritatibus per Informantes pro iisdem Regularibus adductis tam in ordine negativo, quàm affirmativo, dubium non erat, quod hujusmodi potestas benedicendi Ova, aliaque Comestibilia nequaquàm foret ullo modò de Juribus, & functionibus Parochialibus, dum hodie tam apertè hoc declaraverat, & solemniter, ut supra eorumdem *Sacra Rituum Congregatio*; ejus quippe resolutionibus, ac declarationibus, præcipuè in hac materia, habendam esse submissam venerationem in universo Orbe Catholico, nemo non scit, & notatum reliquit *idem Monacell. in memorato Formul. leg. pract. for. Eccles. form.* 1. *tit.* 13. *num.* 78. *& Rota in decis.* 878. *num.* 10. *coram Dunozet. Jun. & decis.* 5. *num.* 12. *coram Celso, & in Carpenctoraten. Parochialis* 1699. *inter impress.* 72. *num.* 4. *coram Me*.

Ex abundanti igitur solùm, & in quemdam ornatum per supra relatum modum negativum demonstrabant memorati Scribentes, quod inter Jura, & functiones Parochiales perbellè enumeratas in *decision.* 552. signanter *num.* 3. *& seqq. par.* 5. *Recent.* non adinvenitur hæc simplex Benedictio, prout neque legitur, vel admittitur præcisivè à Constitutionibus Synodalibus in *Mediolanen. Jurium Parochialium* 13. *Aprilis* 1708. *ex* §. *Constabilito coram R. P. D. meo Scotto*, in qua etiam eleganter hæc materia Jurium Parochialium illustratur, circa quam plura etiam in peculiaribus, & non incuriosis, & fortioribus fortè singularibus circumstantiis apparent connotata *in illa Aretina Jurium Parochialium die* 15. *Januar.* 1703. *& 27. Februarii* 1704. *& 16. Aprilis* 1706. *& in altera pariter super manutent. eadem die* 16. *Aprilis* 1706. *coram Me*: unde

21 succedebat de plano regula; seu generalis propositio, quod ubi non agitur de functionibus merè Parochialibus, cætera de Jure permittuntur etiam Regularibus, eorumque Ecclesiis teste *Lezan. quæst. Regular. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 41. *Perin. de Privil. Minim. tom.* 2. *in Constitut. VII. B. Pii V. Cesped. de exempt. Regul. cap.* 7. *dub.* 152. *num.* 12.

22 Per modum quoque affirmativum relicta disceptatione apud eruditos disquiri consueta, an, & quando initium sumpserint hæ Benedictiones censentibus plerisque, quod præter contenta in veteri Testamento recentiùs à *Jesu Christo* nostri humani generis Reparatore provenerint juxta ab eo iteratas has Benedictiones Panis, & Piscium signanter *in Evangelio Matthæi cap.* 14. *Marci cap.* 6. *& Lucæ cap.* 24. cum cæteris optimè ad vindicandum usum sanctarum Benedictionum in nostra Sacrosancta Apostolica Ecclesia Romana demonstratis per *Suar. in defens. Fidei lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. *& 6. & Francis. de Eccles. Cathed. cap.* 24. *num.* 82. *& seqq.*

Adjungere pariter satagebant jidem Scribentes, quod similes indifferentes Be-

23 nedictiones æquè congruunt tam Parochis, quàm singularibus Sacerdotibus juxta præscripta per *Alex. V.* sub illis verbis: *Aqua Sale conspersa populis benedicimus &c. quod etiam omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus*, & quæ leguntur registrata *in can.* 20. *distinct.* 3. *de consecrat.* & præcisius, quod circa hanc benedictionem Ovorum, & Comestibilium ad libitum, & devotionem Fidelium introductam in Paschate Resurrectionis valeant cæ expleri indistinctè in omnibus, & quibuscumque Ecclesiis tam Parochialibus, quàm non Parochialibus, tamvè Secularibus, quàm etiam Regularibus declaratum subdebant ab eadem *Sacra Rituum Congregatione* in una *Ostien. cura* 28. *Aprilis* 1607. penes *Novar. verbo Benedicere num.* 21. de qua etiam Testatur, *Barbos. in collectan. dec. Apostol.* 59. *num.* 10. & quod de nimio rigore fuit increpatus Episcopus, qui Commissarium expedierat contra simplicem Sacerdotem, ex eo quod benedixerat die Paschatis quædam Ova refert *de anno* 1637. pariter resolutum *Nicol. in suis Floscul. verbo Pascha num.* 5.

Cæterum, ut diximus superfluum erat

24 amplius disceptare, sive immorari sub hoc principio, stante prædicta Edictali Constitutione, seu declaratione *Sacræ Congregationis* approbata per Summum Pontificem, & publicata de anno 1704. unde firma restante præmissa basi, & descendendo

do ad applicationem, prædictarum limitationum, seu præservationum primariò Parochi mordicùs insistebant super Consuetudine immemorabili, de qua superlativè liquere proclamabant ex testibus fotmiter examinatis de anno 1679. sed inutilitèr; quoniam ultra quòd nullo modo videbantur jidem Testes communiti illis requisitis indispensabiliter necessariis ad constituendam probationem Immemorabilis ad celebrem explicationem *Gloss. in cap. 1. verbo Memoria de præscriptionibus in 6.* & signanter desiderabatur illud ætatis 54. annorum, dum sublato primo Teste, cæteri ætatem hanc annorum 54. minimè attingebant, ideòque ex hoc solo motivo restabat inapplicabilis prædicta limitatio, seu præservatio, ut millies in simili dictum fuit per *Rot.* & signanter *in decis. 169. num. 1. ibique Adden. coram San. mem. Gregor. XV. decis. 370. num. 1. coram Cardin. Celso, decis. 1279. num. 13. & 1296. num. 10. coram Emerix Jun. & in Trojana delationis Crucis super bono Jure 10. Decembris 1708. §. Sublato coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Omisso etiam pariter quod nullatenus prædicti Testes deponebant de visu, & auditu proprio à coævis per quadraginta annos, citra illam amaram ulteriorem quæstionem, an Testes deponere satagentes de immemorabili; teneantur deponere de auditu auditus à suis majoribus, & sic de secundo auditu, qnemadmodum præscribere visa est eadem *Glossa magna* in verbo *memoria* relativè ad doctrinam *Hostiensis in cap. Quod pernovale de verb. signif. Speculat. tit. de probat. §. 1. vers. ultimò quæritur, Rota cor. Coccin. decis. 1392. num. 1. & 2081. num. 7.* cum aliis innumeris discussa materia hinc inde dissertis in supradicta *Trojana delationis Crucis super bona Jure 10. Decembris 1808. Ex §. Sablato coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Nihilo tamen minus in radice, ac substantia ipsius Depositionis, Testes adamussim deficiebant in probatione ejus, de quo unicè erat disceptatio, solum quippe asserebant, quod ab immemorabili tempore Parochi semper extiterant in pacifica quasi possessione faciendi benedictionem Ovorum; in thesi autem nostra nullatenus tractabatur de perturbanda Parochis hac inconcussa observantia, & consuetudine admissa indubitanter ab jisdemmet Regularibus, & à Doctrinis, & Oraculis *Sacræ Congregationis*, & ab ipsa praxi Urbis Romæ, in qua indistinctè adhibetur hæc promiscua benedictio Ecclesiarum Parochialium, & non Parochialium, Secularium, & Regularium, & cui praxi tamquam Magistræ omnium Ecclesiarum totius Orbis etiam in Dubio standum foret, *ut per Pignatell. consult. 76. num. 11. tom. 5. Rota coram Merlin. decis. 657. n. 21. & decis. 745. num. 12.*

Ast vis consistebat, utrum in eadem pacifica possessione manerent Parochi privativè quoad Regulares, eorumque Ecclesias, ac propterea, dum nec verbum quidem proferebant super hoc essentialissimo puncto, nullum profectò gradum ejusdem probationis constituebant, ad ea, quæ in proposito habentur apud *Bart. in l. Celsus num. 23. ff. de usucap. & Jason. in l. De quibus num. 47. ff. de leg. Mascard. de probat. conclus. 424. num. 24. Bursatt. consil. 156. num. 33. Natt. cons. 69. num. 2. & Mans. consult. 168. num. 72.*

Agnoverant fortasse Parochi deficientiam in hac postrema parte prædictorum Testium, ideoque eos roborare contendebant ex testificationibus aliorum qui cumulabantur in eorum *Summario num. 4.* verum nimis debile erat hoc præsidium, & procuratum fulcimentum, cum hæc forent simplicissimæ fides, & attestationes pendente lite, ut dicitur, mendicatæ; ulteriusque conflictabantur à pleniori Caterva aliorum Testium, qui pariter in oppositum ad perpetuam simpliciter memoriam afferebantur à Regularibus, unde vel ex prima consideratione, vel ex secunda hi Testes supra relati in nulla promerebantur haberi consideratione, ut in ordine ad primam vulgatamque propositionem ait *Innocent. in cap. Præterea num. 2. de Test. Decian. cons. 51. num. 96. cum aliis per Rotam in decis. 318. num. 4. par. 2. & decis. 223. num. 6. part. 19. Recent. & coram Emerix Jun. deris. 149. num. 3. & decis. 243. num. 7.* circa secundam adductis Testibus *in cap. Licet causam vers. Ex præmissis de probat. leg. ob Carmen, §. Si Testes, & ibi gloss. ff. de Test. & Gloss. in cap. Si Testis 43. in Glos. magna*, probat *Mans.*

consult. 228. *num.* 21. & firmavit *Rota in decis.* 449. *num.* 4. *coram san. mem. Gregor. XV. & decis.* 31. *numer.* 3. *coram Emerix Jun.*

Secluſa prima limitatione, ſeu præſervatione, & idcircò progrediendo ad diſcurſum ſecundæ, nempe Conſtitutionum Synodalium, illas multò minus obeſſe *Domini* reputarunt, quoniam eæ ſignanter exaratæ ſub anno 1694. (de præcedentibus enim enunciatis in quadam Apoſtilla marginali, quæve non exhibebantur, *Domini* non curarunt) ſic in litteras ſonabant: *Benedictiones Ovorum, aliorumque Comeſtibilium tempore Paſchali, quæ ad ſolos Parochos ſpectant ex Decretis Congregationis Rituum non fiant ab aliis, vel in aliis Eccleſiis abſque Parochorum licentia*: totumque proinde fundamentum ejuſdem Synodalis ordinationis ſolidabatur *in Decretis Sacræ Congregationis Rituum*, ſed dum ex hucuſque manifeſtatis oſtendimus, quod tam ante, quàm poſt, Sacra Congregatio decrevit ſemper oppoſi-
25 tum, nullaque per umbram de facto afferebatur reſolutio favore Parochorum, quomodò firmitatem ullam ſortiri poterant eædem Synodales ordinationes, atque diſpoſitiones, cum nulla diſpoſitio, nulla ordinatio queat ſubſiſtere, ſi falſo fundamento, falſæ Cauſæ, vel erroneæ nitatur ex traditis *ad Text. in leg.* 1. *Cod. de falſ. cauſ. adjecta legato per Menoch. in conſ.* 91. *ex num.* 41. *&* 364. *num.* 60. *Marta de ſucceſſ. legal. par.* 4. *quæſt.* 11. *art.* 3. *numer.* 1. *& ſeqq. latè Tiraquell. in tract. ceſſante cauſa par.* 1. *ex num.* 126. *Manſ. conſult.* 567. *num.* 22. cum cæteris *per Rotam in deciſ.* 247. *num.* 10. *coram Bichio*.

Diximus, quod nulla afferebatur in his terminis reſolutio favore Parochorum, ſiquidem ea, quæ dicebatur emanaſſe de anno 1695. *apud Pignatell. tom.* 10. *in appendic. fol.* 362. verſabatur in caſu, quo aderat de medio ſpecialis concordia inter Parochum, & Miniſtrum Beatæ Mariæ Conſolationis de Urbe, ideoque poſt habita reflexione, quod hujuſmodi reſolutio emanaverat *à Congregatione Viſitationis*, & non ab illa *Sac. Rituum*, cui principaliter incumbit, ut ab initio præmiſimus, hæc Provincia, profectò quoties iſta reſolutio prodiit ex Capite Concordiæ, pactique ſpecialis conventi, ut legitur apud eumdem *Pignatellum*, tantùm abeſt, quod ea in aliquo prodeſſe poſſet ad roborandum fundamentum Conſtitutionum Synodalium, ut potiùs tanquam edita in Caſu excepto in ſupradicta generali ordinatione *Sacrorum Rituum*, ibi: *ſalvis &c. pactis in Erectione &c. Concordiis inter partes initis &c.* ſtabiliret magis, atque firmaret eamdem generalem declarationem, & regulam in contrarium ex juribus notiſſimis, ſignanter *Text. in leg. Cum prætor ff. de Judic. leg. Nam quod liquidè*, §. *Si primò ff. de pen. leg. & in leg. Quæſtum*, §. *Denique*, *& ibi Bart. ff. de fund. inſtruct. Manſ. conſult.* 31. *num.* 13. *& conſult.* 109. *num.* 36. *Rota coram Buratt. deciſ.* 391. *& coram Emerix Jun. deciſ.* 32. *numer.* 4. *deciſ.* 740. *num.* 5. *deciſ.* 1192. *num.* 7. *& deciſ.* 1342. *num.* 8.

26 Atque hæc procul dubio exuberaſſent; verum ſolidè pro quodam Coronamento dicebatur ulterius, quod cum nec Decretum generale anni 1704. nec eædem Conſtitutiones Synodales Civitatis Neapolis mentionem facerent de Regularibus, eorumve Eccleſiis, hi tam ex defectu voluntatis tamquam exempti, & particulari nota digni minime forſan comprehendebantur, ſub præfata univerſali ordinatione, & reſpectu Synodi Neapolitanæ. Indubitanter accedebat, quoque alter defectus poteſtatis, cum citra violationem ejuſdem exemptionis nequeant Ordinarii, & Capitula, cæteraque membra ab eodem Diœceſano dependentia quidquam ſtatuere adversùs Regulares, & cum præciſive ab his, quæ concernunt miniſtrationem Sacramentorum, Bonum publicum, & mores totius Populi, nequaquàm Regulares ſubjecti exiſtant Conſtitutionibus Synodalibus, quemadmodum uno ore affirmarunt relati *per Barboſ. de Offic. & poteſtate Epiſc. par.* 3. *allegat.* 105. *num.* 89. *Fagnan. in cap. Quid ſuper his de majorit. & obedient. à num.* 14. *ad* 29. *Sanch. in præcept. Decalog. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 21. *Peregrin. conſtit.* 2. §. 25. *num.* 67. *tom.* 3. *Suarez de Legib. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 8. *Pignatell. conſult.* 76. *num.* 17. *com.* 5. *Sperell. deciſ.* 88. *num.* 20. *& in Firmana Juriſdictionis* 10. *Maii* 1710. §. *Domini tamen coram Reverendiſſimo Molines Decano*.

Ad-

Addito, quod eædem Constitutiones Synodales non erant immunes à sua exceptione cum eædem in hoc proposito Ordinationes prodierint in scænam post moram hodiernam litem, postquàm Regulares appellationem interposuerant à quadam sententia desuper lata in contrarium ab Ordinario de anno 1679. Ac propterea dato quod etiam vitio Attentatorum, in hac peculiari sanctione prorsus non subjacerent eædem Synodales Ordinationes, saltem excusari non poterant ab infectione nullitatis, ut minus rigidè procedendo in omnem casum censuit sæpè *Sac. Auditorium*, & præsertim adductis *Bald. in Rubr. Cod. de Appellat. nu. 2. & Alexand. cons. 188. num. 10. lib. 2. in decis. 242. nu. 2. coram Cavaler. dec. 47. num. 10. & 11. & 147. num. 3. & 4. coram Celso, & decis. 45. numer. 2. & decis. 596. num. 6. coram Emerix Junii, & in Recent. decis. 55. numer. 11. par. 14. & decis. 230. num. 13. par. 18.*

Denique ad oblationes, sive, ut verius est, Emolumenta Ovorum, & similium, quæ sponte quandoque tribuunt benedicentibus Fideles, *Sacra Rota* non respexit, nec quidquam injunxere desuper *Sacræ Congregationes* eodem modo, quo in purificationibus Mulierum Parochorum benedictioni relictis consuescunt jidem Parochi absque increpatione recipere oblationem, vel Emolumentum Candelæ, sicque Parochi debebant tolerare idipsum in aliis, quod in se, sive erga se practicabant *ad Text. in leg. 1. & tot tit. ff. Quod quisque Juris in alium stat.* de quo *Rota in decis. 1255. num. 2. coram Emerix Jun. & in Romana Pecuniaria super secundo Contractu 23. Februarii anni currentis, §. Creditum siquidem in fine coram Me.*

Benè verum, quod modum in hoc, ut ab initio tetigimus, *Domini* Contentio-
27 nibus, & inconvenientibus præscribendo, subdidere, hasce benedictiones Ovorum, solummodò privatim esse faciendas, nec permissas censuere Regularibus extra eorum Ecclesias, & septa, *cursitando, ut Divus Paulus inquit per Domos*, utraque &c.

R. P. D.

ANSALDO

Civitatis Plebis Jurium Parochialium.

Mercurii 6. Junii 1708.

Auream quisquis mediocritatem diligit, neque alios turbat, neque turbatur in semetipso, sicuti probabiliter à contrario evenit in hodierna controversia, in qua Plebanus, seu Parochus Castri Montis Jovini paulatim fortasse supergressus limites antiquissimæ sententiæ pronunciatæ *in Tribunali A. C. sub anno* 1606. quæ transitum fecerat in rem judicatam, ansam præbuit, quod Universitas, & Homines ejusdem Castri Montis Jovini reassumere coacti fuerint judicium super observatione hujuscemodi sententiæ, eo fausto successu, ut substantialiter id ipsum bis extra Romam, & dein *coram Reverendissimo Domino meo Decano*, fuerit canonizzatum, adhibita solum ulterius *in Sacro Auditorio* magis opportuna divisione disputationis in ordine scilicet ad bonum jus, & respectivè manutentionem utrinque expetitam, cujus divisionis propterea vestigia sequendo, cum in gradu appellationis negotium *ego* repropoſuerim sub assueto dubio: *An sententia Rotalis foret confirmanda, vel infirmanda*: responsum accepi *pro confirmatione* super unoquoque rursus bipartito capite, seu dubio.

Fundamentum respectu boni juris de
28 quo solum agitur in *præsenti decisione*, solidè stabilitum fuit in communissima, & ampliùs non controvertibili propositione, quod ubi tractatur de publicis Ecclesiis sitis intra circumdarium alicujus Parochiæ, si aliquod dissidium circa actus inibi explendos oriatur inter Parochum, & respectivè Patronos, sive in suis casibus locales Cappellanos, & Superiores ejusdem Ecclesiæ, omnia sub eo fœdere distinctionis concilientur, quod a t

lis est de exercitio jurium, seu functionum Parochialium, eoque casu Parochus desuper habeat intentionem fundatam, nisi ex parte Superiorum talis Ecclesiæ liquidò doceatur de aliquo privilegio vel exemptivo, vel concessivo, vel alia legitima consuetudine præscriptiva, seu suppositiva, & præsumptiva consimilis privilegii, ut in proposito regulæ generalis absque contradictione firmant *DD. in cap. Dilectus de Cappell. Monach. cap. Fraternitatem de Sepult. Gratian. discept. Forens. cap. 298. num. 78. & 79. Pignatell. consult. canon. tom. 10. cons. 103. num. 15. Barbos. de Offic. Paroch. part. 1. cap. 12. num. 1. & seq. latè Panimoll. decis. 1. annot. 9. num. 1. & seq. & signanter num. 7. Rota coram Cavaler. decis. 101. numer. 1. dec. 231. num. 2. par. 13. & dec. 225. par. 19. Recent.* & circa limitationem privilegii *Eman. Rodriq. quæst. Regul. qu. 39. num. 2. Guttierez de Sacrament. Confirmat. par. 2. cap. 4. num. 3. Barbos. de Jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. num. 7. Panimol. decis. 1. annot. 10. num. 3. decis. 45. num. 24. coram Zarat. Rot. decis. 6. post Murg. disquisit. Moral.* & demum quoad idoneam consuetudinem est *Text. in cap. Ad aures de Decimis, cap. De quarta eodem tit. Navar. cons. 1. de Decimis, cum aliis quos refert, Ricc. in prax. for. Eccles. resol. 84. num. 6. & resol. 103. num. 3.*

Aut verò pertractatur de aliis quibuscumque actibus extra lineam Parochia-
29 litatis, & ut ita dicamus, indifferentibus, tuncque ex oppositio assistentia Juris fulciantur Sacerdotes, aliique superintendentes, vel Patroni hujus publicæ Ecclesiæ, ex quo præcisivè ab Episcopo, vel ejus Ecclesia Cathedrali, quæ tenet habituale dominium, sive superioritatem jurisdictionis super omnibus Ecclesiis propriæ Civitatis, vel Diœcesis non reperitur in jure scriptum, quod ratione simplicis situationis Parochus habeat aliquam jurisdictionem in Ecclesiis publicis in ipsius Parochia constructis, quemadmodum uno ore ad mentem *Text. in cap. fin. de Offic. Archidiac.* tradiderunt *Marant. responsi. 21. num. 7. 8. & 9. par. 4. Rot. decis. 469. num. 1. par. 19. Recent. in Aretina Jurium Parochialium 27. Februarii 1704. §. Depulsa coram Me*, & animadversum fuit *in antecedenti hujus causæ dec. 3. Julii 1705. §. Decidendum coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano*, quidquid in aliquibus functionibus, vel juribus disceptari contingat in prorsus privatis Oratoriis, Ecclesiis, aut Hospitalibus secundum adnotata per *Nicol. variar. elucubrat. lib. 3. tit. 41. numer. 7. tom. 2. Capon. discept. forens. tom. 4. discept. 276. num. 32. Bordon. oper. Moral. tom. 3. par. 2. resol. 72. num. 23. Barbos. in Collect. Apostol. decis. verbo Confraternitas num. 17. Pignatell. consult. canon. cons. 103. nnm. 18. Panimoll. decis. 5. annot. 1. nu. 25. dec. 2182. num. 3. coram Coccin.*

30 Fallente hoc pariter membro distinctionis; quotiescumque, ut in altero quoque membro præmissimus hæc inferior publica Ecclesia propter aliquam specificam concessionem favore Parochialis Ecclesiæ attributam ab habente potestatem, vel ex causa unionis, aut fundationis provenientis à bonis Parochialibus, aut demum ex titulo contrariæ præscriptionis subjacere noscerentur eidem Ecclesiæ Parochiali, ut de his omnibus limitationibus citra improbum laborem separationis videre est penes *Abbatem, & Felin. in cap. Cum venerabilis sub num. 37. Lap. alleg. 65. sub litt. N. vers. Et opiniones Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 9. num. 1. & 2. Gonzal. ad regul. Cancell. gloss. 10. num. 8.* cum cæteris relatis in altera *decis. §. Non solum coram Reverendissimo Domino meo Decano.*

31 Applicando itaque ad rem, duo prætendebantur sub hac colluctatione boni juris à Parocho, alterum quod ipse cunctis, & signanter Capellanis hujus inferioris Ecclesiæ præferendus esset in magis solemni celebratione Missarum, & præcipuè occasione festorum titularium prædictæ inferioris Ecclesiæ cum similibus; & alterum, quod eidem Parocho relaxanda forent omnia interstitia, vel reliquæ minores ceræ destribui solitæ in tumulatione Cadaverum sepeliendorum in prælaudata Ecclesia supra quartam suam portionem funeralem cæteroquin statutam *à Leone III. in cap. Dudum de Sepult.* Cumque hi proculdubio actus, seu functiones connumerari non possent

inter

inter jura, functioneſve Parochiales, quas deducto argumento à ſufficienti partium enumeratione recenſet *Deciſio celebris* in illa *Averſana funeralium coram Coccin. inter ejus impreſſas deciſ.* 2089. *& la* 2126. *&* 2182. & reperitur *in Recent. deciſ.* 252. *num.* 22. *&* 23. *par.* 5. quam poſtea ſequuti ſunt, & collaudarunt relati *per Card. de Luca de Paroch. diſc.* 31. *num.* 6.

Conſequens idcircò erat, quod Parochus deſuper non bonum, ſed malum jus
32 foveret', quodque in ordine ad primam prætenſionem electio Sacerdotum celebrare debentium quaſcumque Miſſas liberè ſpectaret ad ſuperintendentes Patronos, alioſve Superiores Eccleſiæ S. Mariæ, ut ultra generalitatem mox comprobatam, rectè concludunt relati *per Rot. in Romana Oratorii* 13. *Januarii* 1698. §. *Nullum igitur*, *&* §. *Si iſta tria coram R. P. D. meo Priolo*, *& in præterita hujus cauſæ dec. ſub die* 3. *Julii* 1707. §. *Excluſa coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano*, prout quoad interſtitia, & cæras ſupra menſuram ſive quartam injunctam in dict. *cap. Dudum* abſque hæſitatione confirmant *Alex. conſ.* 195. *num.* 6. *&* 16. *verſ. Nec excuſaretur*, *Panimoll. deciſ.* 5. *annotat.* 4. *nu.* 27. *Barboſ. de Offic. Paroch. par.* 3. *cap.* 25. *num.* 4. *& ſeq. Rot. in deciſ.* 1192. *num.* 3. *coram Emerix Junii deciſ.* 2089. *num.* 24. *coram Coccin. in Florentina quartæ Funeralis* 1. *Decembris* 1704. §. *Reſolutionis ratio coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano*.

33 Agnoviſſe in præterita diſputatione *coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano* Parochus videbatur hanc amaritudinem, proindeque reſpectu celebrationis Miſſarum totum conatum ponebat in ultima ex ſupradictis limitationibus, videlicet prætenſa probatione conſuetudinis ad ejus favorem militantis, ex quo ſæpius Parochi Miſſas has celebraverint, addito etiam colore cujuſdam juriſdictionis, & ſuperioritatis dum Parochi plerumque ſoliti fuerant intereſſe etiam creationi Officialium hujus Eccleſiæ; ſed ultra quod Teſtes per eumdem Parochum inducti ſimpliciter deponebant ad perpetuam rei memoriam abſque interrogatoriorum tormento, quo caſu nihil, aut parum attenduntur ex congeſtis *in Aſculana Beneficii, ſeu Abbatiæ* 8. *Martii* 1700. §. *Nullum poſtremò*, *& in Sabinen. diviſionis* 28. *Martii* 1707. §. *Ad hujuſmodi claſſem utraque coram Me*, neque ita informiter allati firmabant illam conſuetudinem, quæ cenſeri poſſet idonea ad tale jus, ſeu privilegium præſumendum, vel alias legitime præſcribendum, quemadmodum requiritur adnotata *per Gloſſ. in cap. fin. verbo Memoria de præſcript. in* 6. *Rot. dec.* 370. *num.* 1. *coram Celſo dec.* 440. *num.* 7. *deciſ.* 1279. *ſub n.* 12. *coram Emerix Jun. in Legionen. Parochialis* 27. *Aprilis* 1703. §. *Nec dici*, *coram bon. mem. Pio*, *& in Trojana delationis Crucis ſuper bono jure* 21. *Martii proximi præteriti*, §. *In præſenti coram R. P. D. meo Lancetta*.

Prout neque etiam (adhuc penetrando medullam, & importantiam eorum
34 aſſertionis) in aliquo eorum dicta officiebant, quoniam nec ſubſequuta plerumque celebratio Miſſarum in perſona Parochi, nec intereſſentia creationi officialium habita per eumdem Parochum ſtabilire poterat ullam conſuetudinem vel præſumptivam, vel præſcriptivam; celebratio ſiquidem facile valebat referri gratiæ, vel libito Patronorum invitantium magis Parochum, quam alium Sacerdotem, & aſſiſtentia pariter imputari titulo adſcriptionis inter Deputatos ipſius inferioris Eccleſiæ, quoties autem actus, per quos probati intenditur conſuetudo operativa, vel exiſtunt facultativi, vel non ſunt univoci, & prorſus analogi, nullius ſemper relevantiæ exiſtimantur, ex traditis *per Bartol. in Leg. Viam publicam*, *verſ. Et ideò huic facultati ff. de via public. Surd. conſ.* 227. *num.* 81. *& ſeq. Nevizan. conſ.* 43. *num.* 7. *& ſeq. Burſatt. conſ.* 360. *num.* 82. *lib.* 4. *Cyriac. controv. forenſ.* 460. *num.* 28. *Card. de Luca de Servitut. diſc.* 13. *num.* 2. *& de regal. diſc.* 137. *num.* 6. *Rot. dec.* 336. *num.* 10. *coram Card. Cerro*, *& deciſ.* 443. *num.* 8. *par.* 5. *& deciſ.* 254. *num.* 24. *&* 25. *par.* 19. *Recent.*

Eoque facilius quoniam per Teſtes ex adverſo inductos in oppoſitum evincebatur, ſeu deponebatur quod Plebani, ſeu Parochi pro tempore quandoque condecorabantur etiam munere majoris Cappellani, ſeu prioris præfatæ Eccle-

ſiæ,

siæ, unde eo pariter magis prænominati actus reddebantur æquivoci, prout sunt ji, qui duplicem sortiri possunt sensum, & intellectum, ut inquit *Abbas in cap. Præsentia de probation. Rot. decis. 212. numer. 9. coram Carill. 559. num. 7. coram Cerr. & decis. 130. num. 9. & 10. part. 15. Recent.*

Denique respectu intestitiorum, & cærarum jam in antecedente disceptatione habita *coram Reverendissimo Domino meo Decano sub die 3. Julii 1705.* agnitum fuit, quod *decisio 294. coram bon. mem. Card. Mantic.* veluti obloquens de privato Oratorio, non verò de publica Ecclesia, ut ad præsens, non erat thesi nostræ applicabilis, quemadmodum punctualiter quoque *Decisionem Manticæ* referendo egregie ponderavit, atque distinxit *Card. de Luca de Paroch. disc. 31. num. 4.*

Et ita altera tantum &c.

ARGUMENTUM.

An Patronus pro defensione Ecclesiæ Patronalis teneatur litem substinere propriis expensis, seu potius ex redditibus Ecclesiæ, & in casu succumbentiæ, an teneatur ad refectionem expensarum ipse, vel potius Ecclesia, & an Rectores Ecclesiarum de Jurepatronatus possint inire confœderationem inter se pro substinendis litibus, ac tuendis juribus earumdem Ecclesiarum?

SUMMARIUM.

1 *Patronus in quibus casibus habeat onus substinendi lites, & agendi in judicio pro causis Ecclesiæ?*
2 *Patronus in casu, quo habeat onus substinendi lites Ecclesiæ, an teneatur illam substinere propriis expensis? afferuntur rationes dubitandi, & n. 3.*
4 *Resolvitur negativè, & quare? vide ibi, & num. 5.*
6 *Respondetur rationibus in contrarium allatis, & num. 7.*
8 *Patronus in casu succumbentiæ an, & quando teneatur ad refectionem expensarum ipse, vel potius Ecclesia? vide ibi, & num. 9.*
10 *Laudatur Confœderatio Rectorum Ecclesiarum ad commune bonum illarum.*
11 *An contrahi possit Societas inter Clericos super fructibus Beneficii, & bonis Patrimonialibus pro conservandis Juribus Ecclesiæ, & num. 12.*
13 *Fœdus initum ad bonum finem, & in utilitatem Ecclesiæ est licitum, & approbatione dignum, sed super quibus causis? vide num. 14.*
15 *Contractus Ecclesiæ utilis, & Apostolico Beneplacito confirmatus obligat Successores.*
16 *Repartitio Expensarum factis intuendis Juribus Ecclesiarum est ab Episcopo approbanda habita ratione ad lucrum, seu commodum quod unaquæque Ecclesia reportare poterit, & ad quantitatem reddituum earumdem.*
17 *Beneficiati pro securitate, & observantia alicujus contractus, an supponere possint Hypothecæ Bona Ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico.*
18 *Facultas abessendi illimitatè concessa in contractu Confœderationis Curatis deputandis in Procuratores reducenda est ad terminos Sacri Concilii Tridentini.*
19 *Clerici an renunciare possint Capitulo* Odoardus.
20 *Excommunicatio contra Beneficiatos renuentes solvere contributum statutum in contractu Confœderationis est adhibenda in subsidium.*

CASUS X.

INtroducta fuit lis ab Ecclesia Patronali A. coram legitimo Superiore pro recuperatione nonnullorum bonorum, quæ ad se spectare contendebat, aut pro eorum defensione à molestiis, quæ eis inferebantur; Quæro, An Patronus teneatur hujusmodi litem substinete propriis expensis, seu potius ex redditibus Ecclesiæ, & in casu succumbentiæ, an teneatur ad refectionem expensarum ipse vel potius Ecclesia?

Quæ-

1 Quæstio hæc in tribus Casibus procedere potest, nimirum in casu, quo Rector Ecclesiæ nollet litem substinere, & agere in judicio pro causis Ecclesiæ: in casu, quo malè ageret causas Ecclesiæ; aut in casu, quo in limine fundationis Fundator apposuerit conditionem, quod Rector non possit agere in judicio pro causis Ecclesiæ sine Patrono: in his tribus casibus Patronus habet onus substinendi lites, & agendi in judicio pro causis Ecclesiæ, cum cæteroquin hujusmodi onus primariò, & principaliter spectet ad Rectorem, qui repræsentat Ecclesiam, & dicitur Sponsus Ecclesiæ: sicuti enim onus defendendi bona dotalia, nec non agendi in judicio pro causis sponsæ primariò spectat ad sponsum; secundariò vero, & in defectum Sponsi ad patrem Sponsæ; ita onus substinendi lites, & agendi pro causis Ecclesiæ primariò spectabit ad hujus Rectorem; secundariò vero, & indefectum, ac negligentiam Rectoris ad Patronum Ecclesiæ. *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 2. art. 10. num. 1. & 2. Oliv. de for. Eccles. par. 2. quæst. 31. num. 17.*

Procedente igitur quæstione in uno, ex
2 dictis casibus, seu supposito, quod ad Patronum spectet onus substinendi litem Ecclesiæ; quo ad primam partem præfatæ quæstionis respondendum videtur, quod Patronus teneatur substinere prædictam litem Ecclesiæ propriis expensis; agitur enim de interesse non minus Ecclesiæ, quam ipsius Patroni; dum si Ecclesia non recuperaret bona, quæ ad se spectare prætendit, aut si ammitteret bona, super quibus habet molestias, redditus Ecclesiæ diminuirentur, & essent valdé tenues, & insufficientes etiam ad substentationem Rectoris, ex quo resultaret maximum præjudicium Juri alimentorum, quod competit Patrono in casu inopiæ, dum ipse non posset petere alimenta ab Ecclesia, nec amplius sentiret commodum alimentorum; immò si ob non recuperationem dictorum bonorum, aut ob eorum ammissionem deterioraretur dos Ecclesiæ ultra medietatem, teneretur illam redotare, si frui vellet Jurepatronatu; aliàs admitti posset alius ad eam redotandam, qui acquireret Juspatronatum, ex superius deductis in *Can. III. Cas. I. & IX.* Unde cum agatur de interesse, & commodo comuni tam Ecclesiæ, quàm Patrono; communes etiam debent esse expensæ, & rationabile non videtur, quod substineri debeat lis solis expensis Ecclesiæ.

Sic Patronus propriis expensis tenetur
3 ad reparationem, & refectionem Ecclesiæ dirutæ, vel ejus domus ruentis, juxta *Conc. Trident. Sess. 41. de Reformat. can. 7. ibique Barbos. num. 8. Paul. de Cittad. p. 6. art. 5. num. 4. & 7. Costa oper. omn. tom. 1. remed. 106. illat. 2. num. 1.* Ergo etiam propriis expensis tenebitur substinendo litem recuperare, aut conservare bona propriæ Ecclesiæ Patronalis; Ratio est, quia qui sentit commodum, & emolumentum de aliqua re, debet meritò, & onus illius rei sentire *ad Text. in cap. Qui sentit de reg. jur. in 6.* Neque esset audiendus, si hujusmodi expensarum onus recusare tentaret, ad censuram *Text. in l. unic. §. pro secundo in fin. Cod. de caduc. tollen.* ibi: *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.*

Contrarium tamen verius de jure pro-
cedit, nimirum Patronum non teneri dict.
4 litem Ecclesiæ substinere propriis expensis, sed solum illam defendere, & agere in judicio ex redditibus ejusdem Ecclesiæ superfluis, & superexcedentibus, ut docent *Abb. in cap. In quibusdam num. 1. de Pœnis, ibique Butr. num. 17. Socin. Sen. num. 23. Paul. de Cittad. de Jurepatr. par. 6. art. 5. num. 2. Lambertin. eod. tract. lib. 3. qu. 2. art. 11. num. 1.* Equiparantur enim inter se pupillus, Civitas, & Ecclesia, *ad Text. in l. Rempublicam Cod. de Jur. Reip.* Sicuti igitur Tutor tenetur defendere pupillum expensis pupilli, Decuriones tenentur defendere Civitatem expensis Civitatis, Procurator dominum expensis domini, ac Pater defendit filium de usufructu quæsito per filium, Libertus dat operas Patrono expensis Patroni, juxta *Text. in l. Tutoribus ff. de admin. tut. l. Qui proprio, §. Litis impendia ff. de procur. L. 1. Cod. de bo. mater. L. Operis, ff. de oper. lib. Butr. in dicto cap. In quibusdam de pœn. num. 17.* Ita Patronus tenebitur defendere, & substinere litem Ecclesiæ expensis, seu ex redditibus superfluis, & superexcedentibus ejusdem Ecclesiæ.

Ratio

5 Ratio autem est, quia Patronus ab initio fundationis Ecclesiæ dedit, ac submini-
stravit omnia necessaria pro ejus fundatione, constructione, ac dotatione, itaut ad ulteriores expensas de proprio non tenetur, sed extantibus redditibus superfluis, & superexcedentibus ejusdem Ecclesiæ licitè poterit eis uti ad sustinendas illius lites, & causas; si enim isti fructus, & redditus superflui Ecclesiæ erogari debent in beneficium pauperum, à fortiori erogari poterunt per Patronum in hoc casu in beneficium propriæ Ecclesiæ, illos expendendo pro sustinendis litibus, & causis, concernentibus aut recuperationem, aut conservationem bonorum Ecclesiæ, cum primam charitatem unusquisque à se ipso incipere debeat, juxta *Text. in Can. Qui vult cauf.* 334. *quæst.* 3. *dist.* 3. *de Pœnit.*

Non obstant ex adverso deducta, quia
6 interesse, & commodum, quod reciperet Patronus ex recuperatione, aut conservatione dictorum bonorum non est ita certum, sicuti est illud Ecclesiæ; sed est merè eventuale, & accidentale, scilicet; in casu inopiæ, ac proinde in ulla consideratione adesse non debet, ad effectum ut Patronus teneatur propriis expensis defendere Ecclesiam, quando extant redditus illius superflui, juxta doctrinam, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 7. *art.* 2. *num.* 5. ibi: *Hoc commodum non est in consideratione, quia si istud superfluum non daretur sibi, deberet dare aliis pauperibus, ergo non est commodum, quod debeat esse in consideratione, ut propter illud habeat sentire incommodum.*

Patronus tenetur quidem reficere, &
7 reparare Ecclesiam dirutam, aut domum Rectoris minantem ruinam, sed in subsidium, & in defectum reddituum Ecclesiæ; nimirum si Rector Ecclesiæ sit pauper, & redditus Ecclesiæ sint insufficientes, sicuti Parochiani in subsidium sentiunt onus reparationis Ecclesiæ, ut loquuntur auctoritates in contrarium deductæ, quibus addo *Rot. decis.* 440. *num.* 6. *coram Emerix Iun. & in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesiæ* 8. *Martii* 1709. §. *Posita coram R. P. D. Scotto in fine sequentis Casus XI. legen.* Unde potius paritas adducta retorquetur, & ex ea argumentum desumitur pro confirmatione hujus sententiæ; nam si Patronus extantibus redditibus superfluis, & superexcedentibus Ecclesiæ non tenetur illam propriis expensis reparare, sed potest dictis redditibus Ecclesiæ uti pro ejus reparatione, ita eisdem redditibus existentibus non tenebitur illam propriis expensis in judicio defendere, sed solum in subsidium in casu, quo non adessent redditus sufficientes.

8 Quoad secundam partem propositæ quæstionis, videlicet, an in casu succumbentiæ teneatur ad refectionem expensarum ipse Patronus, vel potius Ecclesia?

Procedendum est cum distinctione; aut Patronus habet justam causam litigandi, & prosequendi litem pro defensione Ecclesiæ, seriò, ac cum assistentia Advocatorum, & Jurisprudentum, examinando antequam judicium ingrediatur, rationes eidem Ecclesiæ competentes, & tunc si Ecclesia succumbat, non tenetur Patronus de proprio, sed ipsa Ecclesia ad refectionem expensarum; exemplo Tutoris, qui si habuit justam causam litigandi, tunc etiam si succumbat, non tenetur ipse de proprio, sed de bonis pupilli reficere expensas; *ad Text. in l. Quoties*, §. *Ne utique de administr. tutor. Ruin. tom.* 1. *n.* 23. *vol.* 3. *Rebuff. ad Constit. Regn. Tall. tom.* 3. *tit. de expensis, Gloss. unic. num.* 56. *Cirocch. discept.* 60. *num.* 86.

Aut Patronus temerè ingressus fuit li-
9 tem, & iniquam, ac injustam litem egit, & prosequutus fuit sub nomine Ecclesiæ, & tunc ipse Patronus tenetur de proprio reficere expensas Ecclesiæ: sicuti Tutores, & Curatores injustam litem agentes sub nomine pupillorum, vel minorum, condemnantur de proprio in expensis; juxta *Text. in l. Non est ignotum Cod. de administr. tutor. & l. Sed & si bonam eod. Cod. Ruin. cons.* 1. *num.* 23. *vol.* 3. *Tucch. de Salario quæst.* 3. *num.* 28.

Sed ut superiùs notavi §. *Quæstio*, hoc onus sustinendi litem pro defensione Ecclesiæ ad Patronum spectat, non primariò, sed subsidiarie nimirum in casu, quo Rector Ecclesiæ nollet illam sustinere, & in aliis duobus Casibus ibi prænotatis. Pone autem casum, quo adsint plures Ecclesiæ de Jurepatronatus, & earum Rectores ob tenuitatem reddituum nequeant

queant sejunctim substinere lites respicientes libertatem, & Immunitatem earumdem Ecclesiarum. Si velint per se ipsos hujusmodi lites substinere, an possint inter se contractum Societatis, & Confœderationis inire, in quo uni, vel pluribus illorum tribuatur Facultas instruendi, & absolvendi quascumque Causas Civiles dictarum Ecclesiarum, sumptibus communibus omnium, & in quo pro impensis subjiciantur Hypothecæ fructus eorumdem Ecclesiarum; & an hujusmodi contractus mereatur confirmari à Sede Apostolica.

Studens apud R. P. D. Anfideum Virum quidem summæ Integritatis, ac Justitiæ, nunc dignissimum Sacræ Congregationis Concilii Secretarium, ac R. P. D. mei Petra Successorem in una *Salamantina Beneplaciti*, ubi hujusmodi Casus agitabatur; Affirmativè respondendum sentiebam, sicuti fuit resolutum *ab eadem Sacra Congregatione 2. Maii 1716.* juxta Votum Eminentissimi Pici de Mirandula, in quo legere poteris Rationes, & motiva Affirmativæ Resolutionis ab eodem Eminentissimo eruditè, ac lato calamo deducta.

VOTUM

Eminentiss. ac Reverendiss. D. Card.

PICI DE MIRANDULA

In Salamantina Beneplaciti.

10 CUm Oratorum preces in Salamantina Beneplaciti, cujus examen EE. VV. mandatis obsecuturus, assumpsi, mihi primùm sub oculos venerint, summo quidem, ac inopinato lætitiæ sensu me affectum sensi, quod plures in unum pro communi bono laborasse deprehenderim; juxta enim illud *Apostoli ad Roman. 12. multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, ut videlicet Ecclesiarum Rectores mutuis in necessitate charitatis Officiis semetipsos invicem prosequantur, & protegant, nec eos propria tantùm, sed fratrum etiam pericula, & detrimenta intentos, atque sollicitos faciant; hoc autem, in quod totius Ecclesiæ Corporis intentionem, & operam præcipue, ac jugiter dirigi maximopere optandum est, in præsenti casu feliciter eveniisse, ex facto mox recensendo, in comperto fiet.

Cum nonnullæ Salamantinæ Diœcesis Ecclesiæ plures tam in Curia Episcopali, quàm in Tribunalibus Nunciaturæ, & Urbis, lites non minùs libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam, quàm manutentionem bonorum, ac jurium respicientes subire coactæ fuerint, eas tamen desertas relinquere ob tenuitatem, ac insufficientiam redditumm, hujusmodi gravibus impensis omninò imparem, necesse fuit, unde innumera damna illata, Ecclesiæ libertatem violatam, decimas, prædia, aliosque proventus ex parte, vel occupatos, vel diminutos, jura, ac privilegia usurpata, & denique ipsasmet Ecclesias Parochiales in Rurales funesto nimis eventu conversas deplorare quidem, sed nullatenus reparare valebant; id igitur non sine summa animi amaritudine animadvertentes *Archipresbyteri, Curati, Beneficiati, necnon Clerus Villaram districtus de Ledesma, Valderilloria, Alba de Rormes, Penaderei, Armuña, Bannos, Salvatierra, & Beldobla præfatæ Salamantinæ Diœcesis*, optimo zelo, eâque ferventes dilectione, quam assiduè Joannes, & unicè commendabat, *quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit*, ac illo *Proverb.* edocti *cap. 18. Frater, qui à Fratre adjuvatur quasi Civitas firma*: ut tot tantisque malis occurrerent, & suarum Ecclesiarum bonorum, ac jurium conservationi, & indemnitati etiam in posterum tutò consulerent, *sub die 11. Septembris 1714.* perpetuum Societatis, sive Unionis, & Concordiæ, ut vocant, inierunt contractum, quo

Primò duobus Beneficiatis, & inistorum defectum aliis ejusdem Cleri facultatem tribuerunt, quascumque Causas Civiles, & Criminales tam generaliter, quàm specialiter quomodocumque, & qualitercumque respicientes interesse Parochiarum, Beneficiorum, & Cleri, in quibuscumque Tribunalibus, & Curiis, tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis instruendi, agitandi, terminandi &c.

Secundò, convenerunt præfatos duos Deputatos ex Beneficiatis, sive alios de Clero in posterum eligendos, etiamsi Curam Animarum exercerent, abesse posse ab eorum residentia, relictis substitutis ab Episcopo approbandis.

Tertiò, expensas ex communi ære solvendas, & earum divisionem faciendam esse ad arbitrium Deputatorum.

Quartò tandem, quòd dictus contractus obligaret etiam Successores, & pro satisfactione expensarum hypothecæ subjicerentur non tantùm fructus Beneficiorum, & Parochialium, sed etiam ipsamet Beneficia, eorumque bona stabilia, tam proprio, quàm suorum Successorum nomine renunciando Beneficio cap. Odoardus de Solution. *& aliis quibuscumque Constitutionibus, Bullis, atque Privilegiis Apostolicis.*

Cumque rebus ita, solemni desuper instrumento stipulato, compositis, pro hujusmodi contractus approbatione coram Episcopo instetissent, inspectis per eumdem damnis præfatis Ecclesiis, Beneficiis, & Clero illatis, ac evidenti utilitate ex concordia, & unione, ut supra inita, illis obventura, dictum contractum approbavit, solummodò tamen pro causis decimas, & redditus Ecclesiarum, proprietatem Beneficiorum, bona Ecclesiastica, Jura Parochialia, & conservationem Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ communiter respicientibus, ac una simul declaravit.

Primò, quod Deputati à Clero possent quidem conficere repartitionem summæ contribuendæ, ut supra pro manutentione Officialium, & satisfactione aliarum necessariarum expensarum, ea tamen approbanda esset à Provisore Curiæ Episcopalis.

Secundò, quod quilibet de Clero quotam sibi injunctam ad Thesaurarium ab eodem Clero eligendum propriis expensis transmittere teneretur, renuentibus verò persolvere contributum absque rationabili causa à Provisore prædicto approbanda, pœnam excommunicationis majoris, & scutorum decem, capsæ depositi ejusdem Cleri applicandam, indixit

Tertiò, quod Deputatis à Clero pro præfatis causis abesse à residentia liceret, relictis substitutis ab Episcopo approbandis.

Et tandem pro majori istius Concordiæ firmitate Beneplacitum Apostolicum impetrandi Partibus mandatum dedit.

Quocirca pro eo obtinendo precibus per Oratores Sanctissimo Domino Nostro porrectis, iisque à Sanctitate Sua huic Sacræ Congregationi remissis, cum ea sors me tetigerit, ut EE. VV. jussu eamdem Sac. Congregationem super ipsis instructam reddere, ac meum Votum aperire debuerim, plura exponenda simul, & inquirenda esse duxi.

Primò scilicet an præfatus contractus sit confirmandus, & pro quibus Causis?

Secundò, an possit obligare Successores in perpetuum?

Tertiò, an, & quomodò sit facienda repartitio expensarum?

Quartò, an pactum hypothecæ Ecclesiarum, & bonorum stabilium earumdem sustineatur, vel tantùm afficere debeat fructus?

Quintò, an etiam Curati licitè possint abesse à residentia, & pro quo tempore?

Sextò, an valeat renunciatio Privilegii Clericis concessi in cap. Odoardus, *& aliarum Constitutionum Apostolicarum?*

Septimò tandem; an pœna excommunicationis majoris, & scutorum decem imposita ab Episcopo contra renuentes solvere contributum sustineatur?

Pro resolutione primi dubii inspicien-
11 dum est, an hujusmodi contractus sit Ecclesiasticis de jure licitus, quod in præsenti casu inficiari nemo posse videtur, quia Oratores eidem Societatis nomen, ac naturam attribuunt, & eam inire super fructibus Beneficiorum, & bonis Patrimonialibus, Clericis minimè vetitum esse, præsertim quoties ipsi se abstinent ab opere turpi, & negocio illicito, firmant *Bald. in leg. Si Patruus num.* 15. *Cod. commun. utriusque judic. Decian. cons.* 85. *n.* 7. *lib.* 2. *Petr. de Ubald. de duobus fratr. par.* 3. *num.* 32. *Mantic. de tacit. & ambig. conject. lib.* 6. *artic.* 12. *numer.* 6. *Felic. de Societat. cap.* 8. *num.* 29. nec quidquam profectò in eo apparet, quod Ecclesiasticam dedeceat dignitatem; quinimmò Societas contrahi potest non tantùm super rebus, quæ existunt, sed etiam, quæ sperantur *leg. Nec emptio, & leg. Si consensum ff. De contrah. empt. leg. Fa verò*, §. *De illo, leg. Si Margarita, ff. pro soc. Felic. de Societ. cap.* 9. *à num.*

num. 11. *ad* 22. ideòque in præsentiarum videtur contracta super rebus, & bonis Ecclesiasticis, vel conservandis, vel vindicandis.

Nihilominus quia contrà naturam societatis est, quòd Bona, super quibus ea contrahitur, non efficiantur communia, &
12 illorum Dominium pro parte conventa in socium non transferatur *leg.* 1. *& 2. ff. pro soc. ubi glossa &c.* idcircò super bonis Ecclesiasticis propriè contrahi non potest. Decimæ enim Ecclesiasticæ, quamvis, attento jure antiquo, essent communes, & solvi deberent Episcopis, ut illas inter Ecclesiasticos fideliter dividerent, prout constitutum habetur *in Can. Decimas* 16. *quæst.* 7. ibi: *Has verò Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille, qui cæteris præest, omnibus justè distribuat, nec cuiquam personæ honorabilius exhibeat, unde alii scrupoloso corde moveantur, sed sint omnia communia, quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, alii verò detrimentum patiantur, sed sicut una est Fides Catholica, ita necesse est, ut ille, qui Provisor est Loci, quamvis multæ sint Ecclesiæ, omnibus tamen fideliter distribuat:* & idem statuitur *in Can. Pervenit* 16. *quæst.* 7. ex jure tamen posteriore Decimæ non sunt communes, nec ab Episcopis distribuuntur, sed unaquæque Ecclesia suas exigit Decimas distinctas, *cap. ult. de Paroch. cap. ad Apostolica de Decim.* ideòque non est in facultate Parochorum, vel aliorum illas reddere communes per societatem, quod etiam dicendum venit de aliis juribus, & Bonis Ecclesiarum; eo magis quia hujusmodi contractus iniri non valet nisi super rebus, quæ sunt, vel esse sperantur sub nostro dominio, & nequaquàm super rebus Sacris, quarum administratio tantùm, non dominium in possessores transit, itaut si res profanæ evadant Sacræ, statim solvatur societas super eis contracta, *l. Verum*, §. *Societas solvitur ff. pro soc.* Decimas verò, aliaque bona, & jura Ecclesiarum, & Beneficiorum res sacras esse cùm omni prorsus dubio careat, ideò super iisdem societas coiri non potuit.

Rectius igitur crederem, contractum hujusmodi esse privatam quamdam confœderationem, quæ, ut ait *Bald. in leg. Executorem Cod. de Execut. rei judicat. numer.* 33. *vers. Sed quæro, & in l.* 1. *ff. quod cujus univers. nom. aut fin. vers. Juxta hoc*, ibi: *Aliud non est, quàm facere quasi ex duobus corporibus unum corpus ad invicem se protegendum contra hostes, & inimicos cujuslibet ex Collegatis: Restaur. Castald. de Imperator. quæst.* 109. *num.* 4. *& int. tract. magn. tom.* 5. post eum *Martin. Lauden. de Confœd. & pac. & Joan. Lup. de Confœd. eodem tom.* 5.

Hanc privatam confœderationem licitè iniri posse etiam ab Ecclesiasticis minimè
13 dubito, præsertim quoties, prout in casu, ordinata est ad bonum finem, & prohibendum malum, & illicitum, ut in simili probat *Gloss. in Can.* 25. *Si qui Clericorum* 11. *q.* 1. *in princip.* & melius hæ confœderationes approbantur in *Can.* 15. *sane Thessalonicenses* 16. *quæst.* 7. ubi privati fœderis inter Ecclesiasticos ponitur exemplum, & probant *Bald. ubi supra, Klock de Contribut. cap.* 14. *sect.* 3. *à num.* 57. *Menoch. cons.* 28. *nu.* 12. *vers. Tertiò moveor*, & idcircò contractum, de quo agitur, Apostolicâ dignum approbatione censerem, præcipuè quia præsens fœdus in evidentem Ecclesiarum utilitatem cedere non est ambigendum, hoc enim pacto Ecclesiastici mutuo se confoventes auxilio, bona Ecclesiastica occupata recuperare, privilegia, & exemptiones, & immunitates vel tueri, vel vindicare, & in pristinum statum reducere poterunt, nec deinceps tam facilè quispiam Ecclesias confœderatas, ac earum bona, & privilegia turbare audebit: *temerè namque, ac periculosè sibi consulit, qui multos homines mutuo præsidio circumseptos adortus fuerit*: ut ajebat *Thaumat. apud Cornel. à Lapid. in Ecclesiasten. cap.* 4. *vers. Et si quispiam*.

14 Descendendo ad causas, pro quibus d. confœderatio approbanda est, illæ tantùm admittendæ videntur, quæ omnes Ecclesiasticos confœderatos æqualiter respiciunt, scilicet *pro defendendis, & recuperandis Decimis, redditibus, & proprietate Parochiarum, & Beneficiorum, pro defensione Immunitatis, & Jurium Parochialium, tam generatim, quam speciatim, ac insuper pro tutamine ipsorummet Ecclesiasticorum, pro causis tamen Ecclesias, Beneficia, & jura prædicta concernentibus, illis semper exclusis, quæ ex ipsorum delictis, privatis*

vatis, & particularibus commodis, & utilitatibus ortum habuerint. Etenim, cum communibus impensis lites sint agitandæ, Officialibus solvenda merces, & pro earum satisfactione saltem reditus Bonorum Ecclesiasticorum hypothecæ, etiam quoad Successores, subjici debeant, justum non foret approbare contractum pro omnibus causis, & litibus tum Civilibus, tum Criminalibus, tàm realibus, & generalibus, quam peculiaribus, & personalibus, prout fuerat indistinctè inter Partes conventum, quia in casibus particularibus, ubi quilibet ex confœderatis criminosus evaderet, & ab Episcopo, vel ab alio superiore Judicio supponeretur, vel in pœnam pecuniariam damnaretur, posset ab aliis confœderatis contributionem expensarum exigere, quo nihil absurdius, quia daretur ansa delinquendi, & potius esset execrabilis conventicula, quàm licita conventio, *Can.* 25. *Si qui Clericorum* 11. *quæst.* 1. & alibi.

Secundi dubii affirmativa resolutio citra quamlibet difficultatem præcedentibus famulatur; quoties enim contractus est Ecclesiæ utilis, & Apostolico Beneplacito confirmatus, procul dubio obligat successores ex latè deductis per *Facion. de Locat. & Conduct. cap.* 61. *numer.* 225. *& seqq. Rota part.* 11. *Recent. decis.* 75. *per tot.* Immò etiam ad debita tenentur, quoties in Ecclesiæ utilitatem versa dignoscuntur, *Rot. par.* 3. *diverf. decis.* 13. Verùm quia: *in omnibus rebus humanis nihil tàm perfectè institui, nihil ullis legibus, sanctionibusque tam diligenter muniri potest, quin id ludrica, & præceps, malorumque omnium effectrix cupiditas quotidiè artibus pervertere, atque corrumpere moliatur*: ut testatum voluit *S. Pius V. in ejus Constitutione* 83. *In omnibus. Bullar. tom.* 2. & propterea contractus iste, qui modò utilis Ecclesiis confœderatis existimatur, tractu temporis damnum eisdem afferre posset; ideò adderem. Nisi duæ ex tribus partibus confœderatorum ex causa ab Episcopo, Partibus auditis, approbanda dissentiant, hoc enim modo abusibus, qui obrepere possent, satis consultum videtur.

15

16 Quoad repartitionem Expensarum, quam *tertio loco* expendendam proposui, eam ab Episcopo, vel ejus Provisore approbandam esse censerem, habita tamen ratione ad lucrum, seu commodum, quod unaquæque Ecclesia, seu Beneficium reportare poterit, & ad quantitatem reddituum eorumdem.

Sicut enim in particulari societate, immò etiam & in generali, ut nonnulli Doctores asserunt, si quis majorem pecuniam, industriam, vel Capitale impenderit, majus lucrum consequi debet *Leg. Si non fuerint ff. prosoc.* alias potiùs leonina, quàm fraterna esset reputanda societas *Felic. de Societ. cap.* 15. *à num.* 3. *ad* 10. cum ibi citatis, ita pariter in casu, si una Ecclesia pinguiori mensa potitur, & una simul ex lite introducta majorem ex. gr. Decimarum quantitatem assequitur, vel assequi sperat, majorem quoque summam contribuere tenetur, ut servetur æqualitas.

Quartum duas partes complectitur, quarum primam negativè, secundam affirmativè resolverem.

Non satis firma hujusmodi resolutio 17 ex eo fortassè videbitur, quod apud DD. certum sit, Prælatos, & Beneficiatos in celebratione alicujus contractus sibi à lege permissi, & in *Extrav. Ambitiosæ, & in cap. Nullis de rebus Eccles. non alien.* non improbati, pro illius oaservantia, & securitate posse etiam sine assensu Apostolico bona Ecclesiastica generali hypothecæ supponere, quia quamvis prohibeatur specialis hypotheca in nuper citato *cap. Nulli*, & alibi, secus tamen generalis, quæ nec prohibita dici potest ex eo, quod interdicta alienatio reperiatur, cum neque impropriissimè loquendo hæc appellatione alienationis veniat, quia nullum ex ea dominium, nulla possessio, nec simplex detentio, nec aliud jus in re transfertur, ut probatur in §. *Item Serviana Instit. de act.* ubi *Gloss. Leg. Si rem*, §. *propriè ff. de pignorat. act.* & docuit *Bero. in dicto cap. Nulli de rebus Eccles. non alienan. à nu.* 11. *ad* 16. quem secuti sunt alii, inter quos *Ciarlin. lib.* 2. *cap.* 183. *à num.* 108. cum ibi citatis *Turricell. de reb. Eccles. non alienan. cap.* 8. *num.* 55. *Rota in Magistrali dec.* 97. *à num.* 1. *post Merlin. de Pignor.* ac ita

etiam

etiam fuisse ab hac *Sac. Congregatione die 14. Julii 1638. decisum*, referunt *Ciarlin. ubi supra num. 109. & Rot. jam cit. numer. 5.*

Attamen DD. omnes, qui Prælatis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus, licere asserunt, res Ecclesiæ generali hypotheca obligare, id ad contractus Emptionis, vel locationis per eosdem initos restringunt, ad hoc ut contrahentibus sit cautum, prout patet ex *Rota ubi supra*, & aliis jam allegatis; in casu autem non agitur de hujusmodi contractibus, sed de conventione facta pro tuendis, vel recuperandis Bonis Ecclesiasticis expensis Colligatorum, pro quibus satis est hypothecatos relinquere fructus, neque utile reputari potest Ecclesias, & earum capitalia certa periculo alienationis exponere pro incerta spe recuperandi Bona ab aliis, ut asseritur, occupata, per litium anfractus.

Eo magis quia retenta etiam, tanquam magis tuta opinione *Rotæ in dicta decis. 97. num. 6.* asserentis, quod licet Rectores Ecclesiarum possint occasione emptionis, vel locationis generaliter obligare Bona Ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, nihilominus quotiescumque pro observatione contractus cum effectu deveniendum esset vigore hujusmodi hypothecæ ad alienationem Bonorum obligatorum, tunc omninò requireretur assensus Apostolicus, quamvis contrarium cum multis enixè tueatur *Ciarlin. cit. lib. 2. cap. 183. à num. 114. ad 145.*

Ex hoc autem infertur relatam Rotæ opinionem non posse locum habere in casu; nam si Sac. Congregatio, dum istum Confœderationis Contractum approbat, pactum generalis hypothecæ Ecclesiarum, earumque Bonorum in eodem appositum, intactum relinqueret, hoc idem approbatum juremeritò censeretur, ideòque renuentibus Confœderatis expensas contribuere, posset Judex Ecclesiasticus in vim præsentis approbationis absque alio Beneplacito Apostolico, ad venditionem Bonorum devenire, quod tamen licitum non esset, quia sicuti non possent alienari Bona Ecclesiastica pro dissolvendo ære alieno, quoties ex fructibus, vel alio modo posset provideri, & si fieret alienatio non subsisteret, *Rot. decis. 222. num. 8. & 10. par. 4. diversi. & coram Merlin. decis. 775. num. 6. & seqq. & decis. 275. par. 10. Recent. Turricell. de rebus Eccles. non alienan. cap. 16. num. 16.* Ita ex identitate rationis non sunt modò obliganda Capitalia, neque alienationi subjicienda, quia sufficiunt fructus.

Hinc etiam sequitur in præsenti rerum statu deficere justam causam concedendi Beneplacitum ad generaliter hypothecanda Bona; etenim Sedes Apostolica, ad hunc effectum unicè exigit Ecclesiæ utilitatem *Rot. decis. 624. num. 3. part. 1. Recent. & decis. 730. num. 3. par. 2. & decis. 94. num. 75. par. 7.* repetita *apud Merlin. decis. 702. & decis. 114. num. 36. par. 9. tom. 2. Recent.* cum utilitas sit causa finalis alienandi, & obligandi Bona Ecclesiastica *Rot. decis. 34. num. 5. & 7. par. 1. Recent.* quæ quidem utilitas nedum debet esse clara, evidens, & indubitata *Rot. coram Seraphin. decis. 508. num. 12. & coram Merlin. decis. 756. num. 5. & 9. & decis. 36. num. 13. decis. 94. numer. 52. par. 7. Recent. & decis. 275. numer. 16. & decis. 336. num. 18. part. 10. Recent.* sed etiam adesse debet de tempore Contractus; *Rot. coram Seraph. decis. 336. num. 1. & 2. decis. 1125. num. 5. & decis. 1307. num. 6. & coram Merlin. decis. 229. & decis. 684. num. 6. par. 2. Recent.* unde cum in casu utilitas sit tantùm in spe, & dubia, quia exitus litium est semper incertus, neque modò Ecclesiæ fiunt locupletiores, ideò etiam ex defectu causæ Beneplacitum denegandum videtur.

18 Quintò. Facultas non residendi, etiam Curatis absque ulla temporis limitatione concessa, reduci posset ad terminos *Sac. Conc. Tridentini*, quod *cap. 1. sess. 23. de Reform.* statuit: *eadem omninò, etiam quoad culpam &c. de inferioribus Curatis &c. Sacrosancta Synodus declarat, & decernit, ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, & approbata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum &c. relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant*: Et licet lis super Beneficio præ-

præbeat Parocho justam causam non residendi *cap. Ex parte il 2. de Cleric. non residen.* ibi: *Si te non absentando in fraudem, Præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris, cum per hoc censeri debeas residens &c.*: & *cap. Cum non deceat 30. de elect. in 6. Rot. decis. 163. num. 11. par. 4. tom. 2. Recent. Fagnan. in cap. Clericos numer. 11. & sequent. de Cleric. non residen. Barbos. de Paroch. cap. 8. num. 49.*

Nihilominus, quia non quælibet lis justæ causæ naturam induit, ut ex ea residentia deseri possit, & præcipuè ad tempus illimitatum, ut sonat pactum inter Partes conventum, & ab Episcopo approbatum, ac insuper de stylo hujus Sacræ Congregationis Parochis licentia non residendi conceditur ob lites graves ad quatuor Menses, ut testatur *Fagnan. ubi supra num. 33.* & tantùm ad sex Menses eam extendit *Pignatell. consult. 150. num. 29. tom. 10.* Idcircò intacta videtur præservanda Episcopo authoritas sibi à Sacro Concilio tributa cognoscendi, & approbandi hujusmodi causas, & ad tempus, quod necessarium judicaverit, itaut singulis vicibus ab eodem licentia obtinenda sit, præsertim quia inter tot confœderatos verisimile non est defuturos esse viros idoneos, onus curæ Animarum non habentes, qui litium expeditioni incumbere possint, absque eo quod Parochi cum detrimento ejusdem Curæ à residentia discedant.

Sextum. Discussione non indiget, cum
19 certum sit renunciationem Privilegii Clericis concessi *in cap. Odoardus de Solut.* non sustineri; illud namque competit Ecclesiasticis ratione personæ, & ratione militiæ Cælestis, cui sunt adscripti *Fagnan. super eodem Text. num. 19. Castagn. de Benefic. deduct. ne egeat cap. 17. num. 2. & seq. Grass. de effect. Cleric. effect. 7. n. 28.* & ne Clerici mendicare cogantur in opprobrium Ordinis Clericis argumento *Can. 23. Diaconi sunt dist. 93.* citra med. vers. *Mendicat* ibi: *Mendicat infelix Clericus in Plateis &c. & quidem ex eo despicitur Sacerdotale Officium &c.*

Quod est adeò verum, ut etiamsi Clericus tali Privilegio medio juramento renunciasset, nihilominus juramentum esset invalidum, & renunciatio corrueret, quia esset contra naturalem æquitatem, & contra bonos mores *Can. Si publicis, Can. Est etiam, Can. David, & sequent. 22. quæst. 4. & per tot.* & fusè, ac doctè probat *Fagnan. in dicto cap. Odoardus à nu. 74. Grass. ubi supra effect. 7.* ubi quod Judex Ecclesiasticus, etiamsi Clericus debitor non petat, debeat hujusmodi pernicioſum juramentum relaxare, cùm sit introductum contra bonos mores, & contra bonum Reipublicæ Christianæ *Castagn. ubi supra num. 5. & seq.* Unde multò magis per hanc Sacram Congregationem hujusmodi renunciatio (sicut & generalis illa aliarum Constitutionum Apostolicarum) quæ semper est contra bonos mores, & naturalem æquitatem, & cedit in dedecus Ecclesiastici Ordinis, omninò delenda erit.

Pænam denique *Septimò*, & ultimò
20 Excommunicationis ab Episcopo impositæ contra renuentes solvere contributum, firma remanente mulcta pecuniaria, ut supra eroganda, reducendam ad terminos *Sac. Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Reform.* scilicet in subsidium tantùm, existimarem.

Viguit enim, non ampliùs viget jus commune, quo prius Censura erat remedium ordinarium, præcipue contra Laicos, itaut eo Iudex Ecclesiasticus pro executione suæ sententiæ, & pro sua jurisdictione tuenda primariò uti deberet, *Cap. Dilecto de sent. Excommun. in 6.* Executio verò realis, vel personalis erat remedium extraordinarium, ubi Censura non proficiebat, at modò, post Sacrum Concilium Tridentinum, ordine inverso, Episcopi Ecclesiastica Censura tam contra Laicos, quàm contra Clericos, & in causis Civilibus, & Criminalibus uti non possunt, nisi in subsidium, & bina saltem præcedente monitione, ut plene statuitur *in dicto cap. 3. sess. 15. de Reform.* & fuse notat *Fagnan. in cap. Pervenit de Adulter. à num. 30. & in cap. Odoardus de solut. num. 3. & seqq. Barbos. in Concil. dict. cap. 3. num. 19. & seq.* Eo magis cum in casu agatur de causis Civilibus, & contra Parochos, vel Beneficiatos, contra quos facillime deveniri poterit ad executionem realem, quoties præstitutam summam pro expensis persolvere detrectarent.

Unum

Unum illud, & fortasse non prorsùs inaniter supereſſe animadvertendum videtur, ex hujuſce confœderationis verè commendabili exemplo juſtam nobis ſpem ſieri, ut plures illud non ſolum Imitatores, ſed etiam Æmulatores inveniat, ex quo ſanè eo magis Apoſtolica dignum confirmatione comprobatur, atque convincitur. Quid enim magis omni laude efferendum eſt? quàm ut illud idem, quod pro Eccleſiarum bonis vel tuendis, vel vindicandis, ac earundem propugnandis juribus factum cernimus, utiliùs, atque glorioſiùs incrementum ſumens pro deſtruendis erroribus univerſis, pro Catholicæ Religionis tutela, ac dilatatione, & tandem pro Animarum ſalute uberius undique circumſpiciamus impletum? Hæc igitur cum meæ menti occurriſſent, paucis hic innuere, neque citra propoſitum finem, neque omninò ſupervacaneum exiſtimavi, ſed qualiacumque ſint, hæc eadem pro mei muneris, & obſequii debito, vero, ac Sapienti EE. VV. judicio ſubmitto, cujus Cenſura unicuique pro gloria votis eſſet omnibus expetenda, earumque manus humillimè deoſculor; Datum Romæ ex Ædibus noſtris die 24. Februarii 1716.

EE. VV.

Humillimus, & Addictiſſimus Servus
L. Cardinalis Picus.

ARGUMENTUM.

Rector Eccleſiæ Patronalis ſi deficiat in reparatione Eccleſiæ minantis ruinam, ſi damnificet, diſſipet, & dilapidet bona Eccleſiæ, an Patronus poſſit inſtare in judicio pro condemnatione ejuſdem Rectoris ad damna, & ad alias pœnas à jure ſtatutas.

SUMMARIUM.

1 *Malorum omnium reputatur extremum, inde detrimentum ſuſcipere, unde auxilium.*
2 *Rectores dilapidantes bona Eccleſiæ dicuntur illius homicidæ.*
3 *Rector Eccleſiæ tenetur illam reparare, & num. 13.*
4 *Beneficiatus diſſipans fructus ſuperfluos Beneficii in vanos, & prophanos uſus peccat mortaliter, ſed non tenetur ad reſtitutionem.*
5 *Rector an teneatur ad reſtitutionem, ſi bona Eccleſiæ perdantur, aut minorentur ex ejus culpa, & negligentia, & num. 6.?*
6 *Perditio bonorum Eccleſiæ quibus modis contingere poteſt.*
7 *Rector diſſipans, ac alienans bona Eccleſiæ ſine debitis ſolemnitatibus, incidens illius arbores, an ſit removendus ab adminiſtratione, privandus Eccleſia, ſeu Beneficio, ac excommunicandus. Vide ibi, & num. 8.?*
9 *Patronus poteſt inſtare in judicio pro condemnatione Rectoris ad damna, ſi ipſe non reparet Eccleſiam, ſi culpabiliter omiſerit quod erat Eccleſiæ utile, & non vitaverit quod erat ei damnoſum.*
10 *An poſſit inſtare in judicio pro condemnatione Rectoris ad reſtitutionem, ſi ipſe diſſipet fructus Beneficii in uſus prophanos, & vanos?*
11 *An poſſit inſtare in judicio pro ſuſpenſione Rectoris ab adminiſtratione bonorum Eccleſiæ, ſi iſte ſit dilapidator ſuſpectus, aut pro ejus remotione, & excommunicatione ſi ſit dilapidator probatus?*
12 *Intereſt Reipublicæ bona Eccleſiæ rectè conſervari.*
14 *Parochiani tenentur in ſubſidium reparare Eccleſiam.*
15 *Inſufficientia, aut ſufficientia reddituum Eccleſiæ ex quibus probetur, & num. 16. & ſeq.*
21 *Reparatio Eccleſiæ Parochialis prius ſpectat ad Patronum, & poſtea ad Parochianos, & quid ſi adeſſet conſuetudo in contrarium, & quid requiritur ad hoc, ut hæc adeſſe dicatur, & num. 22.?*

CASUS XI.

1 ILlud malorum omnium reputatur extremum, inde detrimentum ſuſcipere, unde auxilium, ajebat Seneca; ſic quam-

quamplurimum accidit in nostris Beneficiatis, à quibus cum bona Ecclesiæ auxilium, & augumentum suscipere deberent, potius deterioration em, & detrimentum experiuntur. Quidam enim Rector Ecclesiæ Patronalis ex negligentia, & dolo permisit parietem Ecclesiæ minantem ruinam solo æquare, redditus superfluos in prophanos, vanos, & pravos usus erogavit; Quod erat utile Ecclesiæ, omisit, arbores fructiferas incisit, argines fluminis adjacentis ex negligentia non reparavit, ex quo multa bona dotalia Ecclesiæ inundata fuerunt; multa alia bona dilapidavit, ac damnificavit; & taliter se gessit, ut
2 ipse verè possit dici Homicida Ecclesiæ; ut de similibus Ecclesiarum Rectoribus olim dixit Anacletus Papa *in Can. Qui abstulerit* 12. *quæst.* 2. ibi: *Qui abstulerit aliquid Patri, vel Matri, dicitque hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est; Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, Mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritaliter regeneravit; ergo qui Christi pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est*: Et quidem optima ratione, quia sicut corpus sine anima, ita Ecclesia sine facultatibus ad nihilum redigitur.

Quæro proinde in hoc casu an Patronus possit instare in judicio pro condemnatione Rectoris ad damna, & ad alias pœnas à jure statutas?

Pro clariore resolutione hujus quæstio-
3 nis præsupponendum est, quod Rector Ecclesiæ vigore spiritualis conjugii, quod habet cum eadem Ecclesia, ex redditibus superfluis, & superexcedentibus, tenetur illam reparare, si reparatione indigeat, nec potest illos in pauperes erogare, cum reparatio Ecclesiæ, utpote spectans ad Divinum Cultum, anteponenda sit sustentationi pauperum, *ad Text. in Can. Decernimus* 10. *quæst.* 1. *& in cap.* 1. *& de Eccles. & juxta Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat. Paul. de Citt ad. de Jurepatr. par.* 6. *art.* 5. *num.* 3. *Lambert. eod. tract. lib.* 3. *quæst.* 7. *art.* 2. *&* 3. *Surdus cons.* 62. *tom.* 1. *Fagnan. in cap. Si quis sanè de peculio Cleric. num.* 32. *Rot. in Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesiæ* 8. *Martii* 1709. §. *Rationem eorum R.P.D. Scotto inferius legen. num.* 12.

4 Si Rector dissipet fructus, & redditus superfluos Ecclesiæ in vanos, & prophanos usus, aut permittat, ut triticum, uva, & alii fructus Ecclesiæ devastentur, & comedantur ab animalibus, si non sollicitè agrum colat, ita ut efficiatur ager deterior respectu fructuum, peccat quidem mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem, juxta veriorem sententiam, & magis communem; eâ ratione, quia Beneficiatus non tenetur ex justitia, sed solùm ex charitate erogare redditus superfluos Ecclesiæ in substentationem pauperum, in casu quo Ecclesia non indigeat reparatione, & aliis necessariis. *Fagnan. in cap. Si quis sanè de pecul. Cleric. num.* 1. *&* 5. *Antonell. de Jurib. & onerib. Cleric. lib.* 2. *par.* 6. *quæst.* 15. *num.* 3. *Turricell. de Rebus Eccles. non alienan. cap.* 27. §. 4. *num.* 65.

5 Insuper si Rector negligat, & ommittat quod utile est Ecclesiæ, ex qua negligentia, & ommissione sequatur perditio, & minoratio bonorum Ecclesiæ, statuit *Text. in can. Quicumque* 12. *quæst.* 4. quod idem Rector teneatur ad restitutionem, ibi: *Et ex hoc Ecclesiasticis rebus, aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, quidquid in rebus Ecclesiæ minuit, illi restituat*: Perditio autem hujusmodi bonorum dupliciter
6 contingere potest, vel in lucro ommittendo, ut si Rector sine causa repudiet hæreditatem, vel legatum Ecclesiæ relictum, vel in damno non vitando, ut si argines fluminis adjacentis non reparet ex culpa, & negligentia, ex quo sequatur inundatio, & damnum bonorum Ecclesiæ, juxta distinctionem, quam tradunt *Archidiac. & Bellemer. num.* 1. *& seqq. in dicto Can. Quicumque* 12. *quæst.* 14. Quocumque ex his modis contingat perditio hujusmodi bonorum, semper Rector tenetur propriis bonis hanc perditionem resarcire, ad instar Tutoris, qui si negligentia sua pupillo non acquirit, tenetur restituere; juxta *Gloss. in dicto Can. Quicumque, verb. Aut neglectum, ibique Barbos. num.* 1. *Gloss. in cap. Auditis, verb. Restituimus de in integ. rest. ibique Abbas num.* 15. *& idem Abb. in cap. Tua, num.* 9. *de his, quæ fiunt à Prælat. Sanchez de Matrim. lib.* 6.

In

7 In casu verò, quo Rector dilapidet, dissipet, & damnificet bona Ecclesiæ, incidendo arbores, quercus glandium, rumpendo, & inundando fundum, ac alienando bona sine debita solemnitate; dubium potest esse, an sit removendus ab administratione, & privandus Ecclesiâ, seu Beneficio; pro cujus resolutione distinguo; aut Rector est dilapidator suspectus, seu adsit suspicio de dilapidatione, eò quia probetur Ecclesiam fuisse divitem, & nunc esse pauperem, seu Ecclesiam non fuisse ære alieno gravatam, & nunc esse; & in his terminis, aut est suspectus de dilapidatione præterita, & est suspendendus ab administratione, & non privandus, ac est ei dandus Coadiutor, & postea inquirendum de veritate, quâ probatâ, est deponendus; aut est suspectus de dilapidatione futura propter præteritam, de qua constitit, & tunc est removendus ab administratione, & beneficio: aut est dilapidator probatus, seu constet de veritate dilapidationis, & tunc aut fuit actum criminaliter, & est deponendus; aut fuit actum civiliter, & est solùm removendus à Beneficio, & alius est ad illud promovendus. *Gloss. in cap. Venerabili, verb. Suspectus de offic. & potest. judic. deleg. ibique Abb. num.* 8. *Butr. num.* 20. *& seqq. & Text. in cap. Licet Heli de Simon. ibique Abb. num.* 8. *Anan. n.* 12. *Socin. num.* 17. *Fagnan. num.* 10. *Gonzal. num.* 3. Nec Rector esset reintegrandus, aut permitti deberet permanere in administratione, si vellet postea reddere indemnem Ecclesiam, & satisdare de Beneficio rectè administrando, quia satisdatio non mutat malevolum animum, & præsumitur, quòd de cætero etiam malè administrabit, ut bene *Gloss. in dicto cap. Venerabili, verb. Suspectus, ibique Butr. num.* 27. *Anan. in cap. Licet Heli de Simon. num.* 25.

Sic Pater si dissipet bona filiorum, est sibi
8 auferenda bonorum administratio *Boer. decis.* 61. *num.* 15. *& seqq.* Usufructuarius si incidat arbores fructiferas, est privandus usufructu, quia incidendo dicitur male versari in re, & illam deteriorem reddere, *Bald. cons.* 290. *vol.* 1. *Ruin. cons.* 43. *& 206. num.* 32. *volum.* 2. Emphyteuta deteriorando rem ipsam notabiliter, & ex culpa ammittit Emphyteusim. *Bald. in Authen. Qui rem; Cod. de Sacr. Eccles. numer.* 2. *Bero. cons.* 120. *num.* 30. *& seqq. vol.* 1. *Rolan. cons.* 49. *num.* 20. Ita Rector scindendo arbores fructiferas, dilapidando, ac alienando bona Ecclesiæ, seu Beneficii absque debita solemnitate, erit Beneficio privandus, ac excomunicandus, juxta *Extrav. Ambitiosæ* §. *Inferiores verò de rebus Eccles. non alienan. Gonzal. de regul. Cancell. gloss.* 15. *num.* 63. *Turricell. de rebus Eccles. non alienan.* 1. 27. §. 4. *n.* 64. Etiamsi in instrumento alienationis reservasset simpliciter beneplacitum Apostolicum; secus si illud reservasset cum clausula non alias; aliter, nec alio modo. *Rot. decis.* 275. *num.* 19. *& seqq. par.* 10. *& decis.* 193. *num.* 1. *par.* 5. *Recent.*

His ita de jure procedentibus, ac præ-
9 suppositis, censeo Patronum posse instare in judicio pro condemnatione Rectoris ad damna, & ad reintegrationem, si iste non reparet Ecclesiam minantem ruinam, si ex culpa, & negligentia omiserit quod erat Ecclesiæ utile, & non vitaverit quod erat ei damnosum, videlicet si sine causa repudiaverit hæreditatem, aut legatum factum Ecclesiæ; si non reparaverit argines fluminis adjacentis, ex quo sequuta est inundatio bonorum; quia Rector ex supradictis tenetur ad reparationem Ecclesiæ ruentis; ad lucrum non ommittendum, & ad damnum vitandum. Non
10 potest tamen instare in judicio pro condemnatione Rectoris ad restitutionem si ipse dissipet fructus Beneficii in usus prophanos, & vanos in casu, quo Ecclesia non indigeat reparatione, & aliis necessariis, & in casu, quo ipse Patronus non sit inops, quia in hoc casu ex supra deductis Rector Ecclesiæ licèt peccet mortaliter contra charitatem, tamen non tenetur ad restitutionem; secus si Patronus esset inops, tunc enim iste in casu, quo Rector dissiparet fructus superfluos, potest instare in judicio pro ejus condemnatione ad restitutionem; quia Rector non solùm ex debito charitatis, sed etiam justitiæ vigore supradicti *Canonis Quicumque III.* tenetur erogare fructus superfluos in beneficium Patroni egeni. Potest etiam
11 Patronus instare in judicio pro suspensione Rectoris ab administratione bonorum Ec-

clesiæ, si iste sit dilapidator suspectus, aut pro ejus remotione, & excommunicatione si sit dilapidator probatus; ac bona dilapidata recuperare, ut expressè resolutum fuit *à Sacra Rotâ in Mediolanen. super Cappellaniis* 11. *Maii* 1711. §. *Non urgente coram Eminentissimo Priolo*.

12 Ratio est, quia interest Reipublicæ bona Ecclesiæ rectè conservari, unde suppetant sumptus ad ministros, & pauperes alendos, ædificia tuenda, sacra restauranda, ex quo sequitur, quòd quilibet admittitur ad denunciandum Prælato de dilapidatione, sive sit Clericus, sive Laicus, dummodo sint personæ legitimæ, juxta *Gloss. in dicto cap. Venerabili, verb. Suspectus, ibique Abb. num.* 9. *Butr. n.* 28. Ergo à fortiori erit admittendus ad denunciandum in judicio Rectorem dilapidantem, & dissipantem bona Ecclesiæ Patronalis ipse Patronus, cui specialiter vigore hujus canonis *Filiis* competit defensio Ecclesiæ, *Ventrigl. in prax. par.* 2. *annot.* 1. §. 4. *num.* 12. *Rot. decis.* 19. *num.* 1. *coram Mohedan. pag.* 138. ibi: *Patronus tenetur defendere, ne Monasterium dilapidetur, vel quòd persona inhonesta in Monasterio non præsit*.

R. P. D.

SCOTTO

Savonen. Restaurationis Parochialis Ecclesiæ.

Veneris 8. *Martii* 1709.

NOn acquiescentes Monaci Olivetani Oppidi Vallis Piæ Finarii geminis sententiis, altera lata ab Ordinario Savonen. altera verò ab A. C. quibus condemnati fuerant ad reparationem Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Mariæ cum plenaria subjectione, & extinctione tituli eorum Monasterio unitæ, absoluta Universitate, seu Communitate ejusdem loci per ipsos Monachos ad hunc effectum in Judicio provocata, cum mihi ulterioris appellationis causam delegari obtinuerint, dedi dubium: *An, & quis teneatur reparare Ecclesiam Parochialem, de qua agitur*, cui Domini, *Monasterium*, & *Monachos teneri* responderunt.

13 Rationem sic decidendi subministravit animadversio, quòd cum Monaci vigore recensitæ unionis habeant in eadem Ecclesia Monasterium, & Curam Animarum, ac fructus percipiant, ipsis proinde primariò incumbit onus reparationis, cum explorati Juris sit hujusmodi præcipuam obligationem vigore spiritualis conjugii pertinere ad Rectorem, sive Parochum, fructus, & proventus ejusdem Ecclesiæ percipientem ad *Textum in can. Decernimus* 10. *quæst.* 1. *cap.* 1. & 4. *de Eccles. ædificand.* & dissertissimè sancivit *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat. Pignatell. consultat. Canon.* 126. *num.* 8. *tom.* 10. *Panimoll. decis.* 15. *Annot.* 1. *num.* 1. *Rota decis.* 68. *num.* 1. *coram Ninot. & in Leodien. reparationis Campanilis* 25. *Junii* 1688. §. *Quamvis coram clar. mem. Cardinali Caccia*, & noviſſimè *in Leodien. restaurationis Turris, Navis Ecclesiæ* 18. *Februarii* 1709. §. *Vindicatis coram R. P. D. meo Crispo*.

14 Et quamvis Parochiani teneantur saltem in subsidium *Panimoll. decis.* 15. *Annot.* 1. *num.* 1. *& in Leodien. reparationis Campanilis* 25. *Junii* 1688. §. *Quamvis coram clar. mem. Cardinali Caccia*; attamen limitationi prædictæ locus esse non poterat, cùm in præsenti non doceretur de insufficientia reddituum ad Parochialem Ecclesiam spectantium; præmisso enim, quòd illa utpotè fundamentum propriæ intentionis esset à Monacis concludentissimis probationibus justificanda, & quidem de tempore notæ litis *Rota decis.* 9. *num.* 37. *& sequen. par.* 19. *recen. & in Legionen. Decimarum super manutentione* 3. *Julii* 1705. §. *Ulterius coram Reverendissimo Gienzen.*

15 Vis, & efficacia hujus concludentissimæ probationis ad hunc effectum requisitæ nullatenus haberi visa fuit, vel ex enunciativa quantitatis fructuum dictæ Ecclesiæ in florenis 12. emissa in Bulla Unionis usque de anno 1477. vel ex nonnullis partitis ex libris Monasterii extractis; quo enim ad prædictam enunciativam cum ab anno 1477. quo illa emanavit, effluxerint duo

duo secula, & ultra, in quibus ob rerum humanarum vicissitudines, quantitas fructuum augeri, & immutari potuit, à statu tam antiquo, & remoto, neque poterat desumi recta mensura ad dignoscendam præsentem eorumdem fructuum quantitatem, neque post tam diuturnum annorum intervallum inferri à tempore præterito ad præsens *Bald. in leg. ex diverso*, §. *ultimo in fine ff. solut. Matrim. Menoch. de præsumpt. præsumpt.* 25. *num.* 9. *lib.* 6. & præcisè de paupertate desumpta ex antiquo brevi Apostolico respondit *Rota decis.* 78. *num.* 9. *& seqq. par.* 17. *Recent.*

16 Quòd si ita generaliter in dignoscenda reddituum quantitate etiam in prophanis hujusmodi tam remota probatio non admittitur, multò minus admitti poterat in præsenti quoad Ecclesiasticos proventus, qui ab initio in exili quantitate pro dotandis Ecclesiis, & Monasteriis constituti in progressu tamen ad longè uberiorem statum rediguntur à fidelium largitionibus, & ab incremento pietatis *Felin. in cap. Scribam num.* 3. *de Præsumption. Cortiad. decis.* 180. *nu.* 27. *Rota decis.* 27. *num.* 11. *post Tamburin. de Jur. Abbat. tom.* 3.

Contrariis procedentibus, vel ubi à
17 tempore probatæ tenuitatis reddituum exiguum intercedit intervallum, vel ubi paupertas non adducitur pro fundamento intentionis ab allegante, cui sola præsumptio non sufficit absque præsidio concludentis probationis, ut benè explicat *Menoch. de præsumpt. præsumpt.* 25. *num.* 13. *lib.* 6. *Alciat. præsumpt.* 27. *nu.* 4. *Mascard. de probat. conclus.* 1225. *nu.* 17. & consonat *Mans. consult.* 389. *num.* 10.

Minusque attendi poterant enunciatæ
18 partitæ, non omisso enim insanabili defectu, quo laborabant in substantia, utpotè continentes non integram, & confusam adnotationem proventuum Ecclesiasticorum, absque ulla verisimili specificatione introitus, & exitus, hoc unum sufficiens visum fuit ad dignoscendam illarum irrelevantiam, quòd essent informes, & privatim extractæ à memoratis libris Monasterii, qui contra tertium ad ipsius favorem nullum gradum probationis poterant constituere, *Rota decis.* 574. *num.* 4. *coram Manzanedo, & decis.* 583. *num.* 7. *par.* 5. *tom.* 2. *Recent. & in Romana Primogenituræ de Bubalo super reliquis bonis ad Cloacam* 8. *Maii* 1705. §. *Non magis, & seqq. coram R. P. D. meo Ansaldo.*

19 Accedentibus præsertim ad enervandas dictas probationes, & pro exclusione prætensæ tenuitatis reddituum, aliis legitimis probationibus, quas, transcendendo etiam terminos propriæ obligationis, adduxit Communitas dicti Oppidi Rea conventa, ex quibus constitit, Monachos post unionem plura consecutos fuisse legata, annuam, & perpetuam exigere præstationem ex obligatione Massariorum Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ Finarii, quotidie superlucrari non modicas pecuniarum summas correspectivè ad concessionem situs in dicta Ecclesia Parochiali pro construendis Altaribus, effodiendisque Sepulturis, & demum percipere decimas, & conspicua emolumenta oblationum, & eleemosynarum, quæ nedum à Parochianis, sed etiam ab Advenis ibi impulsu pietatis confluentibus incessanter elargiuntur, ut latiùs probant Testes dati *in Summario Communitatis num.* 8. qui licèt sint membra Universitatis, ingens tamen illorum numerus hujusmodi defectum supplet, ut in specie dictum fuit *in Tiburtina bonorum super Manutentione* 9. *Febr.* 1705. §. *Fotissimè coram Reverendissimo Domino meo Decano*, eorumque depositiones legitimum probationis gradum obtinent in hac causa, ubi debitum est ipsius Universitatis, non autem singulorum, ut *in præcisis terminis* objecto occurrit *Thomat. decis. Maceraten.* 5. *num.* 13. & consonant deducta per *Farinacc. de Testib. quæst.* 60. *num.* 1. *& in Tarraconen. Insignium* 11. *Decembris* 1702. §. *Quam ex coram bon. mem. Muto, & in Gerunden. admissionis ad distributiones* 18. *Februarii* 1707. §. *Non attentis coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Quamvis autem hucusque deducta satis superque viderentur pro suadenda
20 sufficientia reddituum prædictæ Ecclesiæ, & consecutiva obligatione Monachorum ad illam reparandam, nihilominus, ubi res adhuc dubia dici posset, omnem difficultatem sustulit unio ante-

dictæ Ecclesiæ Parochialis expleta favore dictorum Monachorum, sedulò enim per Dominos investigatâ ejusdem unionis naturâ, constitit apud eos fuisse factam cum qualitate subjectiva, & extinctiva tituli per viam plenariæ incorporationis, & connotant verba Bullæ ibi: *cum omnibus juribus perpetuò unimus, & incorporamus prædictam Ecclesiam sic in Monasterium erectam, Summario Communitatis num. 1. Rota decis. 421. numer. 7. coram Bichio decis. 786. num. 7. coram Emeriz, & decis. 49. num. 7. par. 15. Recen.* cujus subjectivæ, & extinctivæ unionis natura, & effectus est inducere omnimodam extinctionem tituli Ecclesiæ unitæ, eamque efficere quasi Prædium, seu membrum Monasterii, cujus favore unio facta fuit, adeout bona, proventus, & jura dictæ Ecclesiæ sic unitæ à bonis, proventibus, & juribus ejusdem Monasterii nullo modo ampliùs discerni valeant *Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 7. num. 2. Murga de Benefic. quæst. 2. num. 78. Rot. decis. 33. num. 31. part. 9. decis. 30. num. 5. par. 11. decis. 81. num. 5. & 37. par. 18. & decis. 631. num. 8. cum seq. par. 19. Recent.*

21 Posita autem hac subjectiva, & extinctiva unione, illiusque inseparabili effectu, in necessariam consequentiam venit, quòd obligatio restaurandi dictam Ecclesiam Monachis incumbat, quamvis insufficientia reddituum ad eamdem Ecclesiam spectantium abundè justificata fuisset, cum vigore recensitæ unionis ob plenarium dominium, & proprietatem ipsi dicantur Patroni ejusdem Ecclesiæ juxta animadversa per *Murga de Benefic. quæst. 2. num. 297.* ac proinde data etiam insufficientia reddituum ipsius Ecclesiæ, onus reparationis priùs afficit dictos Monachos uti Patronos, antequam descendat in Parochianos *ex censura Sacri Concilii Tridentini in dict. sess. 21. cap. 7. de Reform. Bellet. disquis. Cleric. par. 1. de Cler. debit. §. 14. num. 11. Thomat. decis. Maceraten. 5. num. 10. R. P. D. Petra in Comment. Const. Apostol. tom. 1. pag. 81. num. 15.*

Tum, & fortius quia pro reparatione Ecclesiæ unitæ antequam teneantur Parochiani, ita sunt affecti quicumque reditus, & proventus Monasterii, perinde ac si de ipsius Monasterii reparatione ageretur, cujus pars, & membrum dicta Ecclesia vigore unionis effecta est, ut luculenter firmat *Frances de Eccles. Cathedral. cap. 13. num. 78. Bertachin. vot. decis. 100. num. 10.* atque ita sancivit *in terminis præcisis* Sac. Congregatio Concilii *in una Sorana sub die 18. Februarii 1601.* relat. per *Nicol. Lucubr. Canon. lib. 3. tit. 48. num. 2.* & recentius *in Spoletana restaurationis Ecclesiæ 12. Decembris 1705.*

Non obstantibus auctoritatibus *Tondut. de pension. cap. 8. num. 10. & Turricell. de Union. cap. 4. num. 13.* qui loquuntur in terminis longè diversis, & nullus ex eis specificat casum subjectivæ, & extinctivæ unionis; unde ultra eorum inapplicabilitatem non erant contraponendi communiori aliorum Doctorum traditioni, & prædictis resolutionibus Sac. Congregationis, quæ quoties Sacræ Rotæ obviæ sunt, semper ipsa judicium sistit, sibi tantùm obsequii gloriam relinquendo, ut antiquum morem gerendo novissimè protestata est *in Theatina Jurisdictionis 14. Decembris 1708. §. Pari difficultate coram Me.*

Frustraneum demum erat refugium ad consuetudinem restaurandi Ecclesiam, 22 de qua est sermo, sumptibus Parochianorum, unicus enim actus contributionis de anno 1663. neutiquam ad hunc effectum attendi poterat, utpote voluntarius cum expressa præservativa, *dummodò non transeat in exemplum, & pro hac vice tantùm*, quæ operatur, ut remaneat in puris terminis actus facultativi, & voluntarii, nullam consuetudinem, vel obligationem inducentis, ut aliàs dixit *Rota decis. 545. num. 3. par. 3. & dec. 184. num. 21. par. 17. Recen.* resistentibus potissimùm concordibus depositionibus Testium affirmantium eamdem Ecclesiam quotiescumque casus indigentiæ se se obtulit, restauratam fuisse expensis Monachorum absque ulla, nec minima contributione Communitatis, cùm tamen constans opinio sit, quòd pro inducenda in hac materia consuetudine in futurum obligatoria, copulativè requiritur pluralitas, & continuata frequentia actuum, & quòd gesti fuerint animo illam inducendi,

cendi, ut in specie tradiderunt *Tondut. resol. beneficial. cap. 39. num. 7. Francesc. de Eccles. Cathed. cap. 13. num. 10. Bellett. disquis. Clerical. par. 1. tit. de Cleric. debit. §. 13. num. 10. Ventrigl. in praxi rer. not ab. tom. 2. Annot. 18. §. Unico num. 4. Cortiad. decis. Cathalon. 180. num. 3. Rot. dec. 184. num. 6. par. 17. Recent.*

Non relevantibus similibus consuetudinibus aliorum locorum Finarii, si quæ adsunt, cum firmum in jure sit, quòd consuetudo ad effectum obligandi debet esse præcisa, & neutiquam de casu ad casum, vel de loco ad locum extendenda juxta passim animadversa per *Rotam decis. 378. num. 7. cum seqq. & decis. 304. num. 9. par. 12. decis. 449. num. 2. & decis. 484. num. 10. par. 19. Recent.*

Et ita non admissa Monachorum instantia pro deputatione Oeconomi, & redditione rationis fructuum dictæ Ecclesiæ Parochialis, utpote inutili, & incongrua, resolutum fuit utraque Parte audita &c.

ARGUMENTUM.

Mulier ex Fundatione, Dotatione, aut Constructione Ecclesiæ potest acquirere Juspatronatûs.

SUMMARIUM.

1 *Mulier an acquirere possit Juspatronatus in Ecclesia? & num. 3.*
2 *Genus Fœminarum est avarissimum.*
4 *Fœmina Illustris est capax Juris processionis, & Juris Alimentorum, nec non oneris defendendi Ecclesiam.*

CASUS XII.

IN hoc Textu confertur Juspatronatus Personis honestioribus ibi; *Honestioribus Propinquis ejus &c.* ac proinde jure meritò hic quærendum est, qui possint, & qui non possint, qualibet ex dictis Causis acquirere Iuspatronatus. Et primò quæritur, an Mulier possit quacumque ex dictis Causis acquirere Iuspatronatus in Ecclesia?

Et videtur negativè respondendum, 1 nam Mulier est incapax fructuum Iurispatronatus, non potest enim ei competere Ius processionis, quia inconveniens, & inhonestum est, ut ea præcedat Presbyterum Ecclesiæ in sessione, & processione, & quia Mulier remota est ab omnibus officiis publicis, & Civilibus *Text. in L. Fœminæ de reg. Jur.* Nec potest ei competere Ius Alimentorum, quia cùm genus Fœminarum sit avarissimum *L. Si stipulata ff. de Donat. inter Virum, & Uxorem*, 2 Fœmina perciperet de Bonis Ecclesiæ ultra necessitatem, & sic esset maximum præjudicium Ecclesiæ; nec potest ei competere onus defendendi Ecclesiam, quia Ius defensionis aliorum est prohibitum mulieribus, unde non possunt exercere officium advocationis, nec esse Procuratrices regulariter, ut est *Text. in dicta L. Fœmina*, nec potest ei competere Ius præsentandi Rectorem, cùm Mulieres non possint esse de Consilio, nec habere voces, ut per *Bart. in L. 1. ff. de LL. in fine*. Ergo Mulier nec erit capax Iurispatronatus.

3 Sed contrarium tamen verius est juxta communem sensum Doctorum. Quia *Text. supradictus in cap. Pia mentis Quicumque*, & iste *Text. in cap. Filiis*, concedunt Iuspatronatus quibuscumque Christianis, cuicumque Fidelium, & omnibus Personis honestioribus, qui fundaverint, construxerint, aut dotaverint Ecclesiam; ergo Mulier Christiana, Fidelis, & honesta acquirit Iuspatronatus qualibet ex dictis Causis, *Abbas, Anan. Butr. in cap. Nobis de Jurepatr. ibique Fagnan. num. 6.* Insuper *ex Text. in cap. fin. de conces. Præben. ibique Abbas* habetur, quòd quædam Comitissa Landrensis habebat Iuspatronatus; ergo fœminæ sunt capaces Iurispatronatus. Ita *Berous in cap. Perlatum de Jurepat. n. 50. & 42. & in cap. Ex litteris eodem tractat. num. 25. §. Communis.*

Non obstant, quæ superiùs objiciebantur, quia licèt admittatur, quòd 4 fœmina non Illustris sit incapax Juris processionis, scilicet quòd Presbyter ei occurrat venienti ad Ecclesiam, quòd habeat primum locum in sedendo, in Processionibus &c. tamen dici non potest, quòd fœmina Illustris sit incapax dicti

dicti Iuris processionis. Est etiam fœmina capax Iuris Alimentorum, nec non oneris defendendi Ecclesiam, quia licèt non possit defendere illam per se ipsam in judicio, potest tamen eam defendere per Procuratorem, est etiam capax Iuris præsentandi, ut benè probat *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 17. art. 2. num. 30.*

ARGUMENTUM.

Judæus, Paganus, Infidelis, Hæreticus, Illegitimus an possint acquirere Juspatronatus, & per quod delictum hoc admittatur.

SUMMARIUM.

1 *Judæus, Paganus, Infidelis, Hæreticus sunt incapaces Juris patronatus.*
2 *Schismaticus simplex, Apostata, Excommunicatus, Simoniacus, Infamis in eo statu sunt capaces Juris patronatus, quoad proprietatem, non verò quoad exercitium.*
3 *Personæ fictæ sunt capaces Juris patronatus.*
4 *Fundans Ecclesiam de Bonis eleemosinaliter acquisitis non acquirit Juspatronatus, sed Ecclesia erit libera.*
5 *Illegitimi, & Bastardi ex dispositione fundatoris possunt esse incapaces Juris patronatus, sed de Jure communi sunt capaces.*
6 *Illegitimi succedere possunt in Jurepatronatus per posterius, & in defectum legitimorum.*
7 *Patronus per se, vel per alios interficiens Rectorem Ecclesiæ, amittit Juspatronatus, ipso facto, & ejus hæredes prohibentur clericari in titulum illius Ecclesiæ; sed limita, ut ibi:*
8 *Dictio* Prorsùs *juncta cum verbo futuri temporis inducit dispositionem pœnæ ipso facto.*
9 *Filii, & descendentes Patroni occisoris ex gratia rehabilitari possunt ad Juspatronatus tàm activum, quàm passivum.*
10 *Episcopus an possit dispensare, & rehabilitare Filios, aut hæredes Patroni Occisoris ad Juspatronatus tam activum, quàm passivum.*
11 *Patronus incidens in hæresim, amittit Juspatronatus hæreditarium ipse, & ejus hæredes; secus si Juspatronatus esset gentilitium, quia tunc transiret ad illos de genere vocatos, & num. 12. & 14.*
13 *Patronus hæreticus revertens ad fidem non recuperat Juspatronatus.*
15 *Patronus amittit Juspatronatus, si occupet, aut convertat in usus propios Bona, aut fructus Ecclesiæ Patronalis, an autem hoc procedat, quoad ejus hæredes, & descendentes, vide num. 16.*
17 *Juspatronatus amittitur per Crimen Læsæ Majestatis, & per actum proditorium erga Patriam.*

CASUS XIII.

1 JUdæus, Paganus, Infidelis, Hæreticus fundando, construendo, aut dotando Ecclesiam non acquirunt in ea Iuspatronatus, quia *Canones supradicti in cap. Piæ Mentis, cap. Quicumque, & in isto cap. Filiis*, concedunt pro qualibet ex dictis Causis Iuspatronatus solùm Christianis, Fidelibus, & Personis honestioribus, idest Catholicis, ut explicat *Archidiacon. in hoc cap. Filiis*. Ergo cùm tales non sint supradictæ Personæ sequitur, quòd ipsæ in eo statu non sint capaces acquirendi Iuspatronatus, & præsertim, quia hæreticus juxta *Text. in cap. Cum secundùm Leges de hæret. in 6.* non possidet de Iure ulla Bona, nec habet ullum dominium eorum, & consequenter si fundaret, dotaret, aut construeret Ecclesiam, nihil de suo daret. Idem dic de Fautoribus, Receptoribus, & Defensoribus Hæreticorum. *Abb. in cap. Nobis de Jurepatr. num. 3. ibique Butr. & Anan. num. 3. Fagnan. num. 7. & seqq.*

2 Simplex Schismaticus, Apostata, Excommunicatus (excepto illo, qui perseveravit per annum in Excommunicatione, juxta *Text. in cap. Excommunicamus de Hæret.*) Simoniacus, Infamis, fundantes, construentes, aut dotantes Ecclesiam, acquirunt Iuspatronatus juxta

supra

supradictos Textus concedentes illud omnibus Christianis, Fidelibus Catholicis, quales sunt supradictæ personæ, sed acquirunt illud, quoad proprietatem, non verò quoad exercitium; quia quamdiù perseverant in eo statu, non possunt illud exercere, ut apud *Lambert. de Iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 7. art. 3. usque ad 10. Rocch. de Curte eodem tract. in verb. Competens, Vivian. eodem tract. par. 1. lib. 2. cap. 6.*

Personæ fictæ, scilicet Universitas, 3 Communitas, Collegium, Capitulum fundantes, constructes, aut dotantes Ecclesiam, nomine Universitatis, Communitatis &c. & de Bonis propriis acquirunt Juspatronatus, quod erit penes Universitatem, aut Communitatem &c. non verò penes singulos Communitatis, secus verò si Universitas Communitas &c. fundant, construunt, aut dotant Ecclesiam de Bonis singulorum, uti singulorum; quia isti in hoc Casu, & non Communitas erunt Patroni; aut si fundant, con- 4 struunt, aut dotant Ecclesiam de Bonis eleemosinaliter acquisitis, scilicet de Bonis, quæ illi de Universitate pro eleemosina dederunt Ecclesiæ; quia in hoc Casu nec Universitas, nec illi de Universitate erunt Patroni, sed Ecclesia erit libera. Ita *Archidiaconus in cap. Si plures 16. quæst. 7. Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 7. art. 15.* Et ratio est, quia Textus supradicti concedunt Juspatronatus cuicumque ex aliqua ex dictis Causis indefinitè absque distinctione inter personas singulares, & personas fictas, ut sunt supradictæ.

Illegitimi, & Bastardi de Jure com- 5 muni sunt capaces Juris patronatus, quia pet supradictum *Textum in cap. Piæ mentis* omnis Christianus est capax Juris patronatus; Sed ex dispositione fundatoris possunt esse omninò incapaces; Si enim fundator velit Patronum pro tempore esse debere Clericum, & habere Jus eligendi, & conferendi, tunc Illegitimus, seu Bastardus, judicatur omninò incapax Juris patronatus. Tum quia Bastardus regulariter est omnium Jurium Spiritualium incapax. Tum etiam quia Clericus esse non potest Bastardus absque dispensatione *Rot. decis. 112. per tot. par. 1. Recen.*

6 Si verò Fundator non expressè, nec tacitè excludat Illegitimos, tunc isti sunt capaces, & succedere possunt in Jurepatronatus; sed per posteriùs, & in defectum legitimorum, quia in vocatione filiorum, & descendentium non veniunt illegitimi, quando adsunt legitimi, sed solùm in defectum, quatenus legitimi non extent, etiamsi illegitimi fuerint à Principe Laico legitimati, *Vivian. de Iurepatr. lib. 14. par. 3. cap. 2. num. 57. Rot. decis. 126. per tot. par. 1. Recent. Adden. ad Pamphil. decis. 236. num. 11. cum seqq.* & resolvit *Sacra Congregatio Concilii in Mutinen. Beneficiorum 6. Iunii 1682.* Sed de hoc Articulo latiùs dicam infra *in Secunda Parte, Can. I. & II.*

Juspatronatus autem ex dictis Causis acquisitum à Patrono ammittitur per cri- 7 men occisionis Rectoris, aut mutilationis alicujus membri; dum Patroni, si interfecerint per se, vel per alios Rectorem, vel Clericum Ecclesiæ Patronatæ, privantur omnibus Juribus, quæ habent in ea, & eorum hæredes, & descendentes usque ad quartam generationem prohibentur Clericari in titulum illius Ecclesiæ, nisi Patronus illum necaret ad defensam propriæ vitæ, ut est Textus expressus *in cap. In Quibusdam de pæn. ibique Abb. num. 1. Barbos. num. 1. Butr. num. 1. & 18.* & quidem privantur dictis Juribus ipso facto absque necessitate sententiæ Judicis: quia Textus dicit: *Prorsùs ammittent*: quæ 8 Dictio *Prorsùs* juncta cum verbo futuri temporis inducit dispositionem pœnæ ipso facto. *Abb. ubi supra num. 7. Garz. de Benefic. par. 11. cap. 10. num. 57.*

Sed Filii, & descendentes Patroni oc- 9 cisoris ex gratia rehabilitari possunt ad Juspatronatus tam activum, quàm passivum, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Marsicana dispensationis 9. Iunii 1708.* ubi fuit expositum per hæc præcisa verba, quòd Familia de Berardis possidebat in Ecclesia receptitia Sanctæ Mariæ Novæ Terræ Gioiæ tria Jurapatronatus Laicalia. Cùm autem de anno 1669. Ioseph de Berardis homicidium commisisset in Personam Sulpicii Mascitelli unius ex Sacerdotibus Capitulum constituentibus in antedicta Ecclesia receptitia, fuit exinde declaratus Excommuni-

catus

catus, subindeque pace obtenta à Consanguineis fuit absolutus, hac tamen conditione specialiter adjecta: *Quod nequaquam absolutio prosit, quo minus si ipse aliquod Feudum, seu Iuspatronatus ab Ecclesia, in qua dictus Sacerdos, forsan intitulatus erat, obtinet, ipse ejusque hæredes perpetuo illis sint privati, & ne minus vindictæ, quam excessus memoriæ prorogentur ipse, ejusque liberi propter hoc inabiles censeantur ad Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda, nisi cum illis fuerit super hoc misericorditer dispensatum.*

Occasione verò Vacationis per obitum Sacerdotis Dominici unius ex memoratis Cappellanis, humillimas fuderunt preces Sanctissimo Domino Nostro ad Sacram Congregationem remissas, Egidius, ejusque Fratres minores Filii Nicolai Junioris nati ex Josepho occisore pro gratia dispensationis, seu rehabilitationis tum activè, tum passivè ad Juspatronatus non solùm ipsorum favore, sed etiam suorum Successorum in infinitum: sicuti præsentatus de anno 1695. ad unam ex dictis Cappellaniis rehabilitatus fuit à san. memor. Innocentio XII. prævio voto hujus Sacræ Congregationis, præfatus Sacerdos Dominicus Filius ejusdem Josephi occisoris, & quidem oratores gratiam non desperant, nedum sub motivo Pacis, & conjunctionis hinc inde inter hæredes occisoris, & occisi jam diu sequutæ, verùm etiam eorum maximæ inopiæ, qui pro ascensu ad Sacros Ordines nullum Patrimonium possident præter Juspatronatus passivum ad dictas Cappellanias. Unde proposito dubio: *An, & quomodo petitis sit annuendum in Casu &c.* Fuit responsum. *Pro Gratia, quoad obtinendam Cappellaniam vacantem tantum*

10 An autem Episcopus possit dispensare, aut rehabilitare Filios, aut hæredes Patroni occisoris ad Juspatronatus tam activum quàm passivum, aliqui affirmant ea ratione, quia ubicumque in Jure permittitur dispensatio, & non reservatur specificè Papæ, videtur Potestas dispensandi indulta Episcopo *Abb. in dicto cap. in Quibusdam num. 5. ibique Barbos. numer. 4*

Hostiensis verò in eodem *capite In quibusdam* negat dicens tutum, & Ecclesiæ expediens esse, ut solus Papa dispenset, ut saltem magis timeant talia agere cùm non viderit per alium, quam per Papam dispensari; quam sententiam puto veriorem, & in praxi servatam, & videtur sequi *Gloss. in dicto cap. in Quibusdam, verb. Dispensatum*, ibi: *Honestum esset, quod nullus Episcopus sine licentia Papæ dispensaret cum talibus, ut alii saltem timerent, cum viderent illos usque ad ultimam generationem puniri, ibique Butr. num. 23.*

11 Patronus incidens in hæresim, ammittit Juspatronatus hæreditarium ipse, & ejus hæredes, & Ecclesia acquirit libertatem, cùm Patronus propter crimen hæresis ammittat omnia Bona, & Jura, sicuti etiam propter crimen Symoniæ ad *Text. in cap. Cum secundum Leges de hæret. in 6. Gloss. in Clementina Pastoralis in verb. Subjecta, cap. Quia Clerici de Iurepatr. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 31. Sanchez in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 19. num. 16. & 17. Pax Iordan lucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 7. num. 424. Campanil. in divers. Iuris Canonici rubric. 11. cap. 13. num. 506. Vivian. de Iurepatr. lib. 15. cap. 2. numer. 6. del Bene de Offic. S. Inquisitionis par. 1, dubit. 113. num. 1. Farinacc. de Hæres. quæstione 90. num. 24. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 14. num. 30.*

12 Quidquid secus esset, si Patronus hæreticus possideret Juspatronatus titulo familiari, seu gentilitio, seu si Juspatronatus esset gentilitium, tunc enim ammittit quidem Patronus hæreticus Juspatronatus, sed non proinde Ecclesia acquirit libertatem, quia Juspatronatus in hoc Casu transit ad illum, qui est de genere, si supersit, ob rationem, quod iste non habet Patronatum à Patrono, qui deliquit, sed à genere, & Majoribus, & proinde hæresis illius Patroni non potest huic præjudicare juxta *Lotter. ubi supra num. 22. & 23.*

13 Etsi Patronus hæreticus post longam perseverantiam in hæresi revertatur ad fidem, nullatenus recuperat Juspatronatus, etiamsi fuisset restitutus auctoritate Papæ, ut dicunt *Imol. in cap. Quia diligentia de Election. Lambertin. de Iurepatr. lib. 3. quæst. 8. art. 2. sub num. 2. Pax Iordan ubi supra lib. 10. tit. 7. num. 424.*

Nec

14 Nec potest descendens à Patrono hæretico sibi vindicare Juspatronatus, nisi probet formiter, & concludenter illud ad se spectare titulo familiari, seu Gentilitio, maximè quando ordinarius, seu Promotor Fiscalis est in Causa, ut tradunt *Lotter. de re Benef. lib. 12. quæst. 13. numer. 117. Gratian. discept. 820. num. 1. Tondut. quæst. Benefic. par. 2. cap. 4. §. 9. num. 9. Vivian. de Jurepatr. lib. 11. cap. 5. num. 16. Posth. de Manut. observat. 32. num. 27. Rot. decis. 235. num. 1. in fine par. 2. Recen.*

Amittit etiam Patronus Juspatrona-
15 tus, si occupet, aut convertat in usus proprios Bona, aut fructus Ecclesiæ Patronalis, quos ipse in limine fundationis sibi non reservavit, aut impediat, ne Rector liberè percipiat fructus Bonorum ejusdem Ecclesiæ, immo incidit in Excommunicationem, & non potest recuperare Juspatronatus, nec absolvi, nisi restituat, & reintegret Ecclesiam de omnibus per ipsum ablatis, & occupatis, ut expressè disponit Concilium Tridentinum *cap. 11. sess. 22. de Reformat.* ibi: *Quod si ejusdem Ecclesiæ Patronus fuerit, etiam Jurepatronatus ultra prædictas pœnas eo ipso privatus existat*: ibique *Barbos. num. 7.*

16 An autem etiam hæredes, & descendentes Patroni propter hujusmodi delictum ab eo commissum amittere, & privari debeant Jurepatronatus? Respondendum est cum distinctione superiùs etiam insinuata num. 12. Aut enim Juspatronatus est gentilitium, & familiare, & tunc descendentes à Patrono propter kujus delictum privari non possunt Jurepatronatus, quia Causam non habent ab eo, sed à Gente, & Majoribus; unde delictum commissum à dicto Patrono eis præjudicare non potest, sed defuncto delinquente Juspatronatus redit ad vocatos; & si nullus extaret, Ecclesia remaneret libera, *Arch. in Canon. Considerandum num. 1. 16. quæst. 7. Igneus in repetit. L. Necessarios §. Non aliàs in prima par. num. 438. vers. Vel melius, & num. 482. vers. Similiter Juspatronatus ff. ad Senat. consult. Syllan. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 14. numer. 23. & 33. Rota decis. 232. numer. 3. coram Coccin.*

Aut est hæreditarium, & subdistinguendum est; Aut hæredes Patroni non reintegrant Ecclesiam de Bonis, & fructibus à proprio auctore ablatis, & occupatis; & tunc privantur Jurepatronatus, sicuti privatus remanet idem Patronus, à quo Causam habuerunt, donec non restituant ablata Ecclesiæ; aut reintegrant eamdem Ecclesiam; Et tunc crederem eos reintegrari etiam debere de Jurepatronatus, sicuti in hoc Casu reintegraretur idem Patronus, juxta supradictam dispositionem Concilii:

Amittitur etiam Juspatronatus per
17 crimen Læsæ Majestatis, per actum proditorium erga Patriam, & per quodcumque aliud crimen, ratione cujus quis privatur omnibus bonis, juxta *Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 8. art. 4. 5. & 6.*

CANON V.

Ex Conc. Toletan. 9. Cap. 2.

DEcernimus, ut quamdiu Fundatores Ecclesiarum in hac Vita Superstites extiterint, pro eisdem locis Curam permittantur habere sollicitam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quòd si tales forsitan non inveniuntur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos, Sacris cultibus instituat, cum eorum conniventia servituros. Quòd si spretis eisdem Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iisdem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone sequentes deducuntur Conclusiones: *Prima*, FUNDATOR, SEU PATRONUS ECCLESIÆ HABET JUS PRÆSENTANDI RECTOREM IN ILLA: *Secunda*, ORDINARIUS, SRRETO PATRONO, NON POTEST ORDINARE ECCLESIAM PATRONALEM, SEU INSTITUERE IN EA RECTOREM: Quas Conclusiones sequuntur etiam *Gloss. in cap. Unico de Jurepat. in 6. Berous. in cap. Illud de Jurepat. num.* 3. *Lambertin. de Jurepat. par.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *Ventrigl. in prax. annot.* 1. §. 3. *num.* 12. *Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 49.

Ratio est, quia Patronus respectu Ecclesiæ se habet sicuti Pater carnalis respectu filiæ. Unde sicuti ad Carnalem Patrem spectat proponere, & deputare Sponsum propriæ filiæ, ita ut Patre justè dissentiente, & invito, non
1 valeat Parochus conjungere ejus filiam in Matrimonium cum Sponso, & Matrimonium contrahendum impediri possit, juxta *Menoch. cons.* 69. *numer.* 34. *& seqq. Card. de Luca de dot. discurs.* 142. *num.* 20. *Sanchez de Matrimon. lib.* 3. *disput.* 9. *num.* 10. *Guttierez. Canonic. quæst. lib.* 1. *cap.* 20. *A Spiritu Sancto indirector. Confessarior. tit. de Matrim. tract.* 11. *disput.* 5. *sect.* 6. *num.* 254. *Pignatell. cons.* 11. *tom.* 4. *Fagnan. in cap. Tua de Sponsalibus num.* 15. Ita rationi congruum est, ut ad Patronum, qui Pater

Spiri-

Spiritualis dicitur, spectet Jus deputandi, & præsentandi Sponsum, seu Rectorem propriæ Ecclesiæ, itaut eo invito, & spreto non possit Episcopus illum ordinare, & Matrimonium Spirituale alterius Rectoris cum illa contrahere facere.

Circa Primam Conclusionem sequentes differuntur Casus.

ARGUMENTUM.

An, & quando Patronus possit constituere Procuratorem ad præsentandum?

SUMMARIUM.

1 *Patronus stante Beneficio pleno, an constituere possit Procuratorem ad præsentandum.*
2 *Patronus non potest constituere Procuratorem in specie, in casu vacationis certi Beneficii, sed limita, ut num. 4.*
3 *Præsentatio facta à Patrono, Beneficio pleno, est nulla.*
5 *Procurator non potest amplius præsentare, si Patronus prius præsentet Rectorem Beneficii.*
6 *Patronus, post quàm suus Procurator præsentaverit, potest alium accumulando præsentare.*
7 *Præsentatio facta bona fide, Beneficio pleno, licèt sit nulla, tamen convalescit succedente vacatione Beneficii, sed limita, ut ibi.*

CASUS I.

Titius dedit mandatum Procuræ ad præsentandum Cajum, succedente vacatione Beneficii, Sempronio, qui vigore dicti mandati præsentavit ipsum Cajum: Fuit in hoc Casu dubitatum, an Patronus possit constituere Procuratorem ad præsentandum, quando Ecclesia Patronalis non vacat?

1 Pro cujus resolutione dico, quòd quando Ecclesia Patronalis non vacat, potest Patronus interveniente justâ Causâ, scilicet ejus absentiæ, aut impedimenti constituere Procuratorem ad præsentandum aliquam personam idoneam, eam non exprimendo succedente vacatione Beneficii. Ita *Vivian. de Iurepatr. lib. 5. par. 2. cap. 6. num. 9. Marescott. var. resol. lib. 2. cap. 33. num. 2. Lambertin. de Iurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 4. artic. 2. num. 6. & seqq.* Sed si Patronus non habeat justam Causam constituendi Procuratorem ad præsentandum, & tunc distinguendum est. Aut unum habet Beneficium, nec vacat, & non potest constituere Procuratorem ad præsentandum ante vacationem, etiam si constitueret Procuratorem ad præsentandum in genere, quia dispositio quantumvis generalis resolvitur in specialem, quando non potest verificari, nisi in una specie. Aut habet plura Beneficia, & tunc potest constituere Procuratorem ad præsentandum simpliciter nullâ determinatâ certâ personâ, ne detur occasio captandæ mortis. *Ventrigl. in prax. annot. 1. §. 3. num. 25. & seqq.*

2 Nec potest constituere Procuratorem in specie, dando ei mandatum Procuræ ad præsentandum certam personam in casu vacationis certi Beneficii, itaut si Procurator vigore hujusmodi mandati præsentaverit dictam personam, præsentatio ista erit nulla, sicuti est nulla præsentatio facta immediatè à Patrono, quando Beneficium adhuc est plenum, ut est *Text. express. in cap. final. de conces. Præbèn. Bero. in Decretal. in cap. 1. de Iurepat. num. 80. Lambertin. de Iurepat. lib. 2. par. 1. quæst. 6. art. 19. Vivian. eodem tract. ubi supra, Marescott. ubi supra, Rot. decis. 530. n. 2. par. 1. & decis. 257. num. 2. par. 2. Recent. Abbas in cap. final. de Concess. Præbend.*

3

4 Quod tamen limitatur in casu, quo Patronus in limine fundationis sibi reservaverit facultatem constituendi Procuratorem in specie, etiam quando Beneficium non vacat, quia Patronus potest ponere in limine fundationis quascumque conditiones etiam Juri contrarias. Ita *Vivian. ubi sup.*

5 Procurator autem sic constitutus in genere ad præsentandum, succedente vacatione Beneficii, aut constitutus in specie, postquam Beneficium vacavit in casu, quo Patronus priùs præsentet Rectorem Beneficii, non potest postea ampliùs præsentare, quia per hujusmodi præsentationem immediatè factam à Patrono, censetur ei fuisse revocatum mandatum Procuræ. *Vivian. ubi supra num.* 20.

Sed Patronus etiam, postquam suus
6 Procurator præsentaverit, potest alium accumulando præsentare, quia licèt quis Jure ordinario tribuat potestatem alteri actum faciendi, per hoc non exuitur à potestate illa, ita *Geminian. in cap. Dudum de Præben. in 6. Dec. cons.* 542. *n.* 9. *Lambert. de Iurepat. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 4. *art.* 6.

Si autem Patronus, aut ejus Procura-
7 tor bona fide, & sine dolo præsentet Rectorem ad Beneficium plenum tamquam vacans, hujusmodi præsentatio, licèt sit nulla, tamen convalescit succedente vacatione Beneficii, nisi probetur Patroni mutata voluntas; Ratio est, quia voluntas consistens in animo, est quid facti *L. in bonæ fidei ff. de acquir. rer. dom.* Unde licèt *Text. in cap. final. de conces. Præben.* annullet præsentationem, nihilominus factum remanet, cum res facti nequeant Jure infirmari, *L.* 1. §. *Si vir Uxori ff. de acquir. possess.* adeoque perseverante in Patrono eadem voluntate, licèt præsentatio sit nulla, ut ex tunc, valida tamen est, ut ex nunc, ita *Marescott. var. resol. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 6. *Vivian. ubi supra. Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 19. *& seq. Rot. decis.* 265. *num.* 4. *coram Millin. Rot. in Romana Cappellaniæ* 3. *Februar.* 1708. §. *Et tamen coram Eminentissimo Scotto inferiùs legen. post Cas. III.* Sed circa hunc Casum, vide quæ dicam infra *Part. II. Can.* 24. *as. I.*

ARGUMENTUM.

Ad effectum præsentandi non sufficit, quòd Procurator exhibeat mandatum Procuræ intra terminum Juris, nisi intra eumdem terminum reducat illud ad actum.

SUMMARIUM.

1 *Procurator ad hoc, ut dicatur præsentare non sufficit, quòd exhibeat mandatum Procuræ ad præsentandum intra terminum Iuris. Amplia, ut num.* 3,

2 *Mandatum ad præsentandum non dicitur præsentatio, sed simplex destinatio personæ præsintandæ, & numer.* 4.

5 *Ius ad Rem acquisitum præsentatoratione præsentationis an censeatur præservatum in gratia* Si neutri.

6 *Præsentatio ad sui essentiam quæ requirat? & num.* 9.

7 *Nominatio exhibita in actis Episcopi ad solum effectum conservandi illam in dictis actis, non autem præsentandi nullum jus dat nominato, nec haberi potest prò vera præsentatione; & num.* 16.

8 *Præsentatio facta Beneficio pleno est nulla.*

10 *Lite pendente inter præsentatos si unus cessit, aut decessit, non potest Patronus alium præsentare, & num.* 21.

11 *Lis calumniosa ex quibus excludatur? & num.* 12. *&* 22.

13 *Præsentatio facienda est coram Pontifice, illam exhibendo coram Notario Cancellariæ, vel Cameræ, si ad eum spectet institutio.*

14 *Patronus bona fide nulliter præsentans potest iterum præsentare a die habitæ notitiæ nullitatis primæ præsentationis.*

15 *Nominatio non exhibita coram habente instituere non dicitur præsentatio, nec dat ullum jus nominato.*

17 *Præsentatio præsumitur facta Beneficio pleno, si in illa nulla habeatur men-*

mentio, quòd Beneficium vacaret.

18 *Præsentatio facta sub credulitate vacationis Beneficii ad hoc ut reconvaleſcat, requiritur, quòd Patronus in eadem voluntate perſeveret, & præſentationem jam factam promoveat.*

19 *Iudex appellationis concedere poteſt inſtitutionem legitimè præſentato, non autem recipere nominationem.*

20 *Renunciatio Beneficii litigioſi in manibus Ordinarii abſque auctoritate Superioris, an ſit valida?*

CASUS II.

QUidam Patronus præsentavit intra tempora legitima Titium ad Beneficium vacans, & insuper dedit mandatum Procuræ alteri ad præsentandum Cajum cumulativè cum Titio; Sed intra tempora legitima iste Procurator solùm exhibuit mandatum Procuræ ad præsentandum Cajum.

Quæritur in hoc Casu, an Cajus dicatur præsentatus, itaut sit locus gratificationi inter ipsum, & Titium?

1 Pro cujus resolutione respondeo, quòd Cajus non dicitur in hoc Casu præsentatus, licèt enim intra terminum Juris probetur superveniſſe mandatum ad præsentandum, attamen non sufficit, nisi etiam ostendatur, quòd vigore mandati fuerit facta actualis præsentatio coram habente instituere, nam aliàs mandatum ad præ-
2 sentandum dicitur tantùm mera, ac simplex destinatio personæ præsentandæ, non autem præsentatio, ut tradunt *Panorm. in cap. final. num. 4. de Iurepatr. Lapus alleg. 75. num. 3. & 6. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæſt. 6. num. 31. & ſeqq. Lambertin. de Iurepat. par. 2. lib. 5. quæſt. 1. artic. 22. num. 1. infine, & quæſt. 4. art. 2. num. 1. Rota deciſ. 665. num. 8. part. 18. Recent. & coram R. P. D. Anſaldo dec. 52. ſub num. 9. & in Nolana Beneficii 30. Ianuarii 1690. §. Non refragatur coram Eminentiſſimo Caprara, & in Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1707. §. Verum hodie, & 3. Februarii 1708. §. Quod enim coram R. P. D. Scotto inferiùs legen. num. 5. Rota deciſ. 3. de Iurepat. in novis, & in Romana Iuriſpat. coram Iuſto, apud Amayden. de Stil. Datar. lib. 1. cap. 15.*

3 Multò minùs sufficit si mandatum ad præsentandum sit exhibitum coram habente instituere extrajudicialiter, etenim mandatum requirit reductionem adactum, seu effectuationem, quæ juxta regulas notas requirit expressum actum præsentationis in sequelam mandati faciendæ coram Superiore judicialiter, ut testantur in praxi. *Corrad. in prax. Benefic. lib. 4. cap. 6. num. 34. Vivian. in prax. Iuriſpat. lib. 6. cap. 6. ſub num. 23. verſ. Etſi fiat, Rota deciſ. 352. numer. 15. part. 16. Recent. & in Nolana Beneficii 30. Ianuarii 1690. §. Ceſſat coram Eminentiſſimo Caprara, & Dominus meus Advocatus Pitonius diſcept. Eccleſ. 22. num. 45. verſic. coram Papa, & in dicta Romana Cappellaniæ.*

4 Aliàs autem præsentatio dicitur nulliter facta, cum ista tunc dicatur præsentatio, quando expletur formiter coram habente instituere, exhibendo ipsam nominationem actualem coram ipso, non autem simplex mandatum, quod nunquam dici valet præsentatio, nisi ista in ejus sequelam deducatur ad actum expressum, ex firmatis per *Rotam in Mediolanen. Præpoſitura 23. Ianuarii 1705. §. Nec minoris coram Reverendiſſimo Domino Molines Decano, & in dicta Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1707. §. Verum coram R. P. D. Scotto*, ut plenè super hoc puncto discurrit *D. Advocat. Piton. in tract. de Controver. Patronor. alleg. 22. nunc Parmæ impreſſo.*

R. P. D.

SCOTTO

Romana Cappellaniæ.

Veneris 25. Novembris 1707.

EX facti circumstantiis in hodierna Audientia per Defensores Michaelis Angeli clariùs dilucidatis, & de novo etiam animadversis, Domini recesserunt à decisis sub die 3. Junii proximè præteriti coram Me, authumantes gratiam *ſi neutri*

neutri, quam super controversa Cappellania idem Michael Angelus à Sanctissimo reportaverat, esse plenè justificatam, & consequenter exequendam.

Totum enim fundamentum præcedentis decisionis in eo consistebat, quòd per dictum Michaelem Angelum nequaquam justificaretur nullum Jus super controversa Cappellania competere Joanni Nicolao collitiganti; quinimò è converso
5 jus eidem Joanni Nicolao quæsitum præcedenter ad dictam gratiam *si neutri* manifestè resultaret ex præsentatione reportata ab unica, & legitima Patrona Cappellaniæ, per quam præsentato acquiritur Jus ad rem, quod censetur præservatum in gratia *si neutri*, stante clausula in eadem apposita, *dummodo tempore data præsentium non sit alteri jus quæsitum*, ut in specie dixit *Rota in Beneventana Vicariæ coram Sacrato apud Amayden. de styl. Datar. cap. 23. sub num.* 18. cum aliis cumulatis in decisione, quæ re videtur §. *Minusque*, & §. *Breve autem*.

Verùm hodie fundamentum hujusmodi, quod fuit basis præcedentis resolutionis, in facto corruere visum fuit; Quamvis enim Joannes Nicolaus tres nominationes à Patrona reportaverit, alteram nempe sub die 23. Novembris 1704. (de quo tempore Cappellania nondum vacaverat, dum Grossus Antecessor illi renunciavit tantùm sub die 21. Decembris subsequentis) alteram verò sub eadem die 21. Decembris, qua fuit à Grosso emissa renunciatio, & tertiam tandem sub die 5. Februarii 1705. nulla tamen ex prædictis nominationibus potuit illi Jus aliquod tribuere ad Cappellaniam, quia non fuerunt intra quadrimestre exhibitæ coram
6 Superiore debente instituere. Cum enim præsentatio ad sui essentiam requirat concursum trium personarum, videlicet præsentantis, præsentati, & debentis instituere, ut inquit *Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 6. num. 33.* sola nominatio non exhibita infra legitima tempora coram Superiore habente Jus instituendi, nullum tribuit Jus considerabile ipsi nominato, cum sit potius quædam destinatio personæ præsentandæ, quàm vera præsentatio, ut tradunt *Abb. in cap. ultim. num. 4. de Jurepatronat. Lap. allegat. 75. num. 3. & 6. Lotter. dicta quæst. 6. num. 35. & seqq. Vivian. de Jurepatr. lib. 7. cap. 4. num. 31. Lambertin. eodem tractat. part. 2. libr. 2. quæst. 1. art. 22. num. 1. in fin. & quæst. 4. art. 2. num. 1. Rot. dec. 665. num. 8. par. 18. Recent. & coram R. P. D. meo Ansaldo decis. 52. sub num. 9.*

Neque obstat, quòd prima nominatio
7 fuerit in actis Eminentissimi Vicarii exhibita, & subinde expeditum monitorium super immissione, & institutione; tum quia productio fuit facta *ad effectum conservandi* in dictis actis, non autem præsentandi, tum fortiùs quia in actis prædictis fuit exhibita tantùm prima nominatio reportata sub die 23. Novembris 1704. & sic per mensem ante renunciationem Grossi, quæ successit 21. Decembris subsequentis, quæ ideo nullum jus tri-
8 buere valuit, tanquam facta Beneficio pleno, & sapiens odibilem expectativam omni jure damnatam *ad Text. in cap. final. de concess. Præb. & capit. ne captan. eodem tit. in 6. Vivian. de Jurepatr. lib. 10. cap. 2. num. 2. Rot. in Colonien. Beneficii 27. Junii 1696. §. Verùm ex alio capite coram Reverendissimo D. Conchen. & in Melevitana Beneficii 19. Junii 1702. §. Quod autem coram R. P. D. meo Ansaldo*.

Minus relevat, quòd (omissa mentione de secunda, cùm nullibi appareat exhibita) ultima nominatio fuerit producta coram R. P. D. Vincentino; etenim animadversum fuit, quòd coram eodem tanquam Judice Commissario facta fuit simplex indicatio Instrumenti nominationis in actis Notarii loco Iurium, non autem ad effectum præsentandi, prout requiritur unà cum præsentia, & acceptatione Superioris per solitum Decretum *admisit si, & in*
9 *quantum*, juxta praxim relatam apud *Lambert. de Jurepat. lib. 2. part. 2. quæst. 6. art. 1. num. 1. Vivian. eodem tract. lib. 8. cap. 7. num. 39. Corrad. prax. Benef. lib. 4. cap. 3. num. 1.* & in omnem casum, cùm hujusmodi indicatio facta fuerit sub die 11. Maii 1705. & sic elapso jam quadrimestri, à die renunciationis Grossi, & vacationis Beneficii secutæ sub die 21. Decembris 1704. hodierno in nihilo suffragatur tanquam facta extra legitimum tempus Patronis Laicis præscriptum ad præsentandum. *Marant. respons. 82. num. 1.*

&

& ſeqq. par. 3. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 1. §. 3. num. 17. cum aliis allegatis in Superiori §. Verum.

Eodemque defectu laborat inſtantia coram Eminentiſſimo Prodatario, facta pro inſtitutione ſub die 25. Septembris 1705. tum quia coram eodem nulla exhibita fuit nominatio, tum etiam quia jam lapſum erat quadrimeſtre, tum demum quia de facto Eminentiſſimus Prodatarius inſtitutionem nequaquam conceſſit, ſed tantùm gratiam derogatoriam Juriſpatronatus in totum, attenta lite, quæ tamen gratia eidem Joanni Nicolao ſuffragari non poteſt, non ſolùm quia eſt poſterior gratiæ *ſi neutri* à Michaele Angelo reportatæ, & ideò iſta, & non illa executionem promeretur *cap. Si eo tempore, & cap. Duobus de reſervat. in 6. cap. Eum, cui de Præben. in 6. Rota deciſ. 1133. num. 1. coram Emerix Iun.* ſed etiam quia fundatur in nullitate ſæpedictæ gratiæ *ſi neutri*, qua nullitate non probata, gratiam ipſam corruere oportet *Rot. dec. 469. & deciſ. 1352. utrobique num. 1. coram Emerix Iun.*

Præterea Domini animadvertebant, quòd præſentatio Joannis Nicolai, etiam
10 ex alio capite, nulla, & irrita fuit, tanquam facta pendente lite inter Michaelem Angelum, & Groſſum à diverſis Patronis præſentatos; unde cum Groſſus, pendente hujuſmodi lite, Juri ſuo ceſſerit, non poterant Patroni devenire ad novam præſentationem dicti Joannis Nicolai, cum per dict. litis pendentiam ligatas haberent manus in caſu ceſſus, vel deceſſus unius ex collitigantibus, ne ſuperſtiti novum dare poſſent Cooppoſitorem, *ad literam Text. in capit. 1. & 2. ut lit. penden. in 6. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 218. Rota deciſ. 660. num. 30. part. 19. Recent. & in Faventina Beneficii 18. Decemb. 1704. §. Demum coram bòn. mem. Muto.*

Neque urgere viſa fuit reſponſio deciſionis, quæ revidetur, videlicet quòd lis mota per Michaelem Angelum eſſet calumnioſa, & conſequenter inepta ad impediendum Patronum legitimum, ne per obitum, vel ceſſionem ſui præſentati iterum valeat præſentare. Etenim cùm Michael Angelus coram Eminentiſſimo Urbis
11 Vicario reportaverit Sententiam favorabilem in Judicatum etiam tranſactam, exinde excluditur omnis umbra calumniæ, quia Sententia Judicis habet præſumptionem pro ſe, vel ſaltem facit procul abeſſe omnem calumniam, *Roſ. de execut. litt. Apoſt. par. 1. cap. 172. in fine, Rota coram Celſ. deciſ. 369. num. 7. coram Emerix Iun. deciſ. 779. num. 8. & deciſ. 847. num. 2. & in Recent. deciſ. 164. numer. 8. par. 10.*

Addito, quòd ipſemet Jo: Nicolaus pro-
12 viſionem hujuſmodi Cappellaniæ à Sanctiſſimo reportavit cum derogatione Juriſpatronatus in totum, *attenta lite*, unde ex confeſſione ejuſdem excluditur quælibet calumnia, & magis magiſque confirmatur nullitas præſentationis ob litis impedimentum, quia Papa dictam gratiam derogationis Juriſpatronatus in totum tunc demum concedere ſolet, quando Patroni impediuntur propter litem præſentare ad terminos *Text. in dicto cap. 1. & 2. ut lit. pend. in 6. ut obſervat. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæſt. 8. num. 100.*

Prædictis geminis nullitatibus nominationis à Jo: Nicolao reportatæ, videlicet propter litis pendentiam, & non factam intra legitima tempora præſentationem
13 coram ſuperiore inſtituere debente, tertiam ſuperaddebant Informantes pro Michaele Angelo; ex quo nempè cum inſtitutio ad formam Brevis ſanct. mem. Pauli V. muniti decreto irritanti, concedenda eſſet à ſolo Pontifice, coram eodem etiam facienda eſſet præſentatio, illam exhibendo coram Notario Cancellariæ, vel Cameræ ad recipiendum conſenſus beneficiales deputato, juxta praxim, quam tradit *Corradin. in prax. benefic. lib. 4. cap. 7. num. 34.* itaut propterea præſentatio aliter facta à nullitatis vitio ſalvari non poſſit, ut dixit *Rota in Mediolanen. Præpoſituræ 23. Ianuarii 1705. §. Nec minoris coram Reverendiſſimo Domino meo Decano.* Non obſtante aſſerta bona fide Patronorum deſumpta ex ultimo, & penultimo ſtatu, juxta quos præſentatio fuit facta coram Eminentiſſimo Vicario. Quia præſuppoſita etiam dicta bona fide, adhuc reſpon-
14 debatur, illam non operari, quòd præſentatio facta contra formam Brevis valeat, ſed tantùm quòd Patronus à die habitæ notitiæ nullitatis primæ præſentationis, poſſit novam, & legitimam facere,

ut

ut tradunt *Vivian. de Iurepat. lib. 5. cap. 2. sub num. 23. Corrad. prax. benefic. lib. 4. cap. 7. num. 1. Rot. decis. 99. n. 15. par. 17. Recent.* sed Domini superfluum existimarunt hujusmodi tertiæ nullitatis examen assumere, cum incassum disputetur, an præsentatio esset facienda coram Sanctissimo, vel potius sufficeret coram Eminentissimo Vicario, quando nec coram uno, nec coram altero fuit unquam legitimè facta, quinimò nec fieri poterat, stante litis impedimento, ut fuit superius probatum.

Firma itaque remanente nullitate præsentationis Io: Nicolai, & consequenter ejus non jure, levioris momenti apparuerunt cæteræ nullitates, quæ adversus gratiam *si neutri* impingebantur. Non enim subsistit prima, quòd Michael Angelus narraverit Summo Pontifici, quòd Cappellania vacabat, ut prius per obitum Hieronymi Carabelli, & quòd ipse fuerat præsentatus à tunc vero unico Patrono. Nam hujusmodi narrativa respicit tenorem gratiæ Apostolicæ, quam ipse Michael Angelus præcedenter reportaverat tanquam præsentatus à legitimo Patrono, quæ erat omnino Pontifici exprimenda, ad salvandam à subreptione secundam gratiam, ideoque nequaquam dici potest, quòd sit narrativa facta pro obtinenda secunda gratiâ *si neutri*, cùm imò dicta narrativa, quòd Michael Angelus fuerit præsentatus ab unico, & legitimo Patrono, sit incompatibilis cum gratia *si neutri*, per quam impetrans fatetur, se nullum jus habere, *Rot. decis. 205. nu. 3. coram Cerro decis. 358. num. 5. coram Bich. & in Monasterien. Canonicatus 18. Martii 1707. §. fin. coram Me.*

Nec majoris roboris erat secunda nullitas, ex quo scilicet gratia *si neutri* concessa fuerit sub illis verbis *attenta lite prædicta verè, & legitimè introducta*, cùm tamen lis esset calumniosa, & introducta contra Grossum triennalem possessorem. Etenim recurrit responsio superiùs in §. *Neque urgere, & seqq.* tradita, videlicet, quòd cessat quælibet umbra calumniæ, dum Michael Angelus in dicta lite Sententiam favorabilem, & rem judicatam reportaverat, quodque magis est, sub eadem narrativa Io: Nicolaus obtinuit suam gratiam derogatoriam Iurispatronatus in totum; unde non potest nunc de calumnia redarguere litem illam, quam ipse tanquam verè, & legitimè introductam Pontifici expressit vulgata *leg. Cum precum de liber. caus. Rot. dec. 1176. nu. 4. coram Emerix Iun.*

Insubsistens pariter apparuit tertia, quòd narratum fuerit Pontifici, Michael Angelus, pendente lite inter ipsum, & Io; Nicolaum, possessionem Cappellaniæ reportasset, cùm tamen illam obtinuerit, dum lis pendebat cum Grosso. Nam cùm generaliter fuerit Papæ expressum, quòd Michael Angelus in dicta lite possessionem nactus fuerat ibi: *possessione ad dicti Oratoris favorem subsecuta*: & subinde fuerit habita generalis relatio ad acta, possessio intelligi debet de illa capta, pendente lite cum Grosso, tum propter dictam relationem ad acta, tum etiam ad salvandam falsitatem narrativæ, quæ debet concludentissimè ab allegante probari, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 54. num. 77. Rota decis. 108. num. 1. & 2. coram Ludovis. & decis. 8. num. 4. par. 2. Recent.*

Et demum irrelevans visa fuit quarta, eo quia Pontifici reticitum fuerit, Cappellaniam esse devolutam ob non factam præsentationem infra legitima tempora; quia Papa voluit gratiam *si neutri* concedere, etiam in casu, quo Cappellania esset devoluta, ibi: *sive præmisso, sive alio quovis modo vacet, etiamsi devolutum, affectum specialiter, vel alia quævis ex causa generaliter reservatum &c.* Unde objectum corruit ex facto, & non relevaret de Jure, quia ex mox enunciatis verbis, saltem negari non potest, quòd Papa in genere cogitare potuit de vacatione ob devolutionem, quod sufficit ad salvandam gratiam à subreptione. *Fælin. in cap. Nonnulli num. 18. de rescript. Card. de Luca de benef. disc. 42. num. 11. Rota coram Cerro decis. 549. num. 10. & in Lauden. Vicariæ 14. Junii 1694. §. Primum enim coram Eminentissimo Caprara.*

Et ita utraque &c.

R. P. D.

R. P. D.

SCOTTO

Romana Cappellaniæ.

Veneris 3. Februarii 1708.

SEdulò hodie per Dominos libratis fundamentis geminarum inter ſe adverſantium deciſionum editarum coram me ſub diebus 3. Junii, & 25. Novembris proximè præteriti, majoris ponderis viſa ſunt illa, quibus innitebatur poſterior diei 25. Novembris, ideoque reſponderunt pro perſiſtentia *in ſecundo loco deciſis*.

Quòd enim nullum jus ſuper controverſa Cappellania competeret Jo: Nicolao, & conſequenter gratia *ſi neutri* à Michaele Angelo reportata, eſſet plenè juſtificata, ex eo reſultare iterum apparuit, quòd Jo: Nicolaus ex tribus nominationibus à Patrona ejuſdem Cappellaniæ diverſis temporibus reportatis, nullam exhibuit intra legitima tempora coram Superiore debente inſtituere, unde nec ex illis potuit acquirere aliquod jus in re, vel ad rem, cùm præſentatio antequam fuerit exhibita coram Ordinario non dicatur vera præſentatio, ſed potiùs quædam deſtinatio perſonæ præſentandæ, ut præter adductos *in dicta poſtrema deciſione §. Verùm hodie dixit Rota deciſ.* 459. *num.* 25. *par.* 19. *tom.* 2. *Recent. & in Nolana Beneficii* 30. *Januarii* 1690. §. *Nec refragatur coram Eminentiſſimo Caprara*.

Prima ſiquidem nominatio ſub die 23. Novembris 1704. quamvis fuerit in actis Eminentiſſimi Vicarii producta, & ſucceſſivè expeditum fuerit monitorium ſuper immiſſione, & inſtitutione, adhuc tamen ex duplici capite attendi non poterat. Altera nempè quia productio fuit facta non coram Superiore debente inſtituere, ſed coram Notario, ad effectum tantùm conſervandi in actis, non autem præſentandi, unde non poterat haberi pro vera præſentatione, *Rocch. de Curt. de Jurepatr. verb. Honorificum num.* 27. *verſ. Deferat Lap. alleg.* 75. *ſub num.* 7. *verſ. Item fuit. Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 6. *numer.* 38. *Rota coram Cavaler. deciſ.* 197. *num.* 6. non obſtante monitorio ſubinde expedito ſuper immiſſione, & inſtitutione, ex quo inferebatur ad præcedentem admiſſionem præſentationis factam ab Eminentiſſimo Vicario monitorium concedente; quia monitorium non apparet ſubſcriptum à dicto Eminentiſſimo Vicario, nec docetur fuiſſe reproductum, unde ex illo deſumi nequit ſcientia præſentationis, aut illius admiſſio facta per inſtituere debentem, cùm hujuſmodi monitoria paſſim concedantur ſub banca à ſolo Notario, & abſque ulla Judicis cognitione, ut tradunt *Ubert. de Cit. cap.* 2. *numer.* 6. *&* 7. *Mandoſ. ſuper reg.* 31. *quæſt.* 4. *num.* 12.

Altera verò ratio, propter quam dicta nominatio haberi non poterat in conſideratione, ea eſt, quia eadem fuit omnino nulla, & irrita, tanquam facta Beneficio pleno, & antequam Benedictus Groſſus renunciaret, ut obſervat *dicta poſtrema deciſio §. Neque obſtat*. Parum urgente, quòd Patrona præſentaverit, ducta erronea credulitate, quòd Beneficium vacaret, unde cum præſentatio ab initio non fuerit reproba, ſecuta vacatione reconvaleſcat; nullibi enim conſtat, quòd nominatio, ſeu præſentatio fuerit expleta cum ſuppoſito, quòd Beneficium vacaret, ut requiritur ad hoc, ut præſentatio eveniente vacatione convalidetur, *Card. de Luca de Jurepatr. diſc.* 64. *num.* 34. *circa fin. Vivian. de Jurepat. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 14. *Mareſcott. var. reſol. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 17.

Quinimò potiùs contrarium elicitur ex ipſa præſentatione, dum in illa nulla habetur mentio, quòd Beneficium vacaret, & paulò poſt Benedictus Groſſus renunciavit in favorem ejuſdem Patronæ cum donatione fructuum favore præſentati ab eadem, *ut hodierna Summ. reſponſionis Michaelis Angeli num. unico.*

Et tamen ubi etiam probaretur, quòd dicta præſentatio fuiſſet facta ſub credulitate vacationis Beneficii, non propterea ſuffragaretur ad intentum, de quo agitur, quia ad hoc, ut præſentatio facta ſub dicto erroneo ſuppoſito vacationis reconvaleſcat, requiritur quòd Patronus

in eadem voluntate perseveret, & præsentationem jam factam promoveat, instando quòd illius vigore præsentatus instituatur, quo casu præsentatio valet, ut ex nunc tanquam ex nova tacita præsentatione, non autem ut ex tunc, ut explicant *Marescott. dicto cap. 33. num. 19. & 20. Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 6. num. 20. Vivian. de Jurepatr. lib. 5. cap. 2. sub num. 28.* In præsenti autem Patrona, licèt post vacationem, ob renunciationem Grossi, perseveraverit in eadem voluntate præsentandi Jo: Nicolaum, non tamen perseveravit in prima nominatione, illam promovendo, ut ejus vigore Jo: Nicolaus institutionem reportaret, sed eadem die secutæ renunciationis, derelicto primo actu nominationis, nominavit ex integro eumdem Jo: Nicolaum, declarans ibi: *ad novam nominationem devenire, attenta renunciatione per Benedictum Grossum sub hodie facta*, itaut propterea nulla ampliùs haberi valeat ratio de prima nominatione, quam Patrona noluit confirmare, dum ad novam ex integro devenit, *Rota decis. 157. num. 9. & 10. par. 6. & dec. 379. num. 12. par. 16. recent.*

Nova verò, & secunda hæc præsentatio facta sub die 21. Decembris 1704. licèt fuerit rogata per unum ex Notariis D. Cardinalis Vicarii, tamen Instrumentum fuit confectum in Domo ipsius Patronæ, nec unquam exhibita coram eodem D. Card. Vicario, mediante solita comparitione in actis cum indicatione Instrumenti, & instantia pro institutione, ratione cujus Superior certam notitiam habere potuerit dictæ præsentationis, quæ scientia semper exigitur ad validitatem præsentationis, ut firmant ipsæmet in contrarium laudatæ *decisiones 176. n. 15. & 16. part. 15. & decis. 665. num. 10. par. 18. recent.*

Quod benè agnoscentes Defensores Jo: Nicolai, recurrebant ad tertiam nominationem expletam sub die 3. Februarii, & indicatam 11. Maii 1705. coram R. P. D. Vincentino Judice Commissario; sed ista quoque eodem defectu laborabat, non solùm quia nunquam fuit producta, aut exhibita coram Ordinario, sed tantùm loco jurium judicata coram R. P. D. Vincentino, qui poterat quidem institutionem concedere, tanquam Judex appellationis, legitimè præsentato, non autem recipere nominationem, quod spectat ad Ordinarium, ut observat *dicta ultima mea decisio §. Minus relevat*; Sed etiam quia indicatio coram dicto R. P. D. Vincentino facta fuit elapso jam quadrimestre, dum Grossus renunciaverat sub die 21. Novembris, & indicatio evenit sub die 11. Maii subsequentis, & sic nullatenus suffragatur, *Rota decis. 665. num. 8. par. 18. tom. 2. recent. & prosequitur dicta mea decisio §. Minus relevat.* 19

Neutiquam relevante, quòd prima renunciatio facta à Grosso fuerit nulla, tanquam facta in manibus Patronæ, nulla interveniente auctoritate Superioris, unde tempus ad præsentandum incipere debeat à die 31. Januarii 1705. quo deventum fuit ad novam renunciationem ab Ordinario admissam. Nam cum ageretur de Beneficio litigioso, prima renunciatio etiam sine auctoritate Superioris fuit valida, & ab illa die cæpit vacare Beneficium, cùm dicatur mera cessio litis, seu juris litigiosi, in qua acceptatio Superioris non est necessaria, ut tradunt *Butrius in cap. Quod in dubiis num. 5. de renunc. ibique Abb. num. 4. Paris. de resignat. lib. 7. cap. 1. num. 104. Garz. de Benef. part. 11. cap. 3. num. 249.* Præsertim quia Crossus per sententiam Eminentissimi Vicarii in Judicatum transactam, fuerat expulsus à possessione Beneficii, unde non dicitur renunciasse Beneficium, sed tantùm jus ad rem, quod habebat vigore præsentationis super illo, quo casu auctoritas Superioris non exigitur, *Paris. dicto lib. 7. quæst. 1. num. 76. Garz. dicto cap. 3. numer. 247. Corrad. prax. benef. lib. 5. cap. 1. num. 45. & 46.* 20

Firmo itaque remanente, quòd nulla ex tribus nominationibus apta sit jus aliquod tribuere Jo: Nicolao, superfluum reddebatur recurrere ad secundum fundamentum ultimæ dècisionis, quod tamen etiam Domini approbarunt; quia scilicet præsentatio, ubi etiam esset facta coram Ordinario, adhuc corrueret, tanquam expleta lite pendente inter Grossum, & Michaelem Angelum, unde ligatæ erant manus Patronæ. ne posset per cessum, vel decessum unius, superstiti novum dare 21

Coop-

Cooppositorem ad *Text. expressos in cap. 1. & 2. ut in lit. pend. in 6. cum aliis adductis in dicta decis. §. Præterea.*

Nequaquam subsistente, quòd lis es-
22 set calumniosa, quia quælibet calumniæ suspicio tollitur, tum ex sententia favorabili reportata à Michaele Angelo cum successiva rei judicata, quæ non fuit contumacialis, ut supponebant Informantes pro Jo: Nicolao, sed in contradictorio Partium Judicio, ut in hodierna propositione fuit justificatum, *Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 20. num. 94. Ros. de execut. litt. Apostol. par. 1. cap. 17. numer.* 172. Tum etiam ex ipsamet confessione Jo: Nicolai, qui gratiam Apostolicam reportavit cum derogatione Iurispatronatus in totum, attenta liteverè, & legitimè introducta ibi: *attenta lite prædicta verè, & legitimè introducta existente*: unde adversus propriam confessionem, in qua fundavit suam gratiam, audiri non poterat, ut probat *sæpè citata decisio coram Me §. Addito. & §. Nec majoris.*

Quin suffragetur responsio, quòd expressio facta per Io: Nicolaum Pontifici intelligi debeat de lite inter ipsum, & Michaelem Angelum, non autem de lite cum Grosso. Nam cum Papæ narrata fuerit lis cum Grosso, verba illa *attenta lite verè, & legitimè introducta*, non poterant intelligi de alia, quàm superiùs Pontifici exposita, *Rota dec. 18. sub num. 3. vers. Jure meritò coram R. P. D. meo Ansaldo*; nec aliàs Papa concessisset gratiam derogationis Iurispatronatus in totum, quam indulgere non solet, nisi propter litem, quæ ante vacationem pendet indecisa inter Patronos, ratione cujus mutuò se impediunt, ne possint præsentare, non autem propter litem, quæ promovetur inter præsentatos post vacationem *Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 8. num. 100. Rot. coram R. P. D. meo Ansaldo decis. 35. num. 2. & in Faventina Beneficii 24. Aprilis* 1705. *§. Injustitia, & §. Continuatio in fine, & 10. Junii ejusdem anni §. Lis quippe cum seq. coram R. P. D. meo Kaunitz.*

Ex qua sententia, & confessione Partis tollitur etiam aliud caput calumniæ deductum, ex quo dicta lis fuerit mota contra triennalem possessorem; quia cum hoc non obstante, Michael Angelus reportaverit sententiam transactam in Iudicatum, præsumptio, quæ assistit pro justitia ejusdem, facit cessare calumniam, & inducit præsumptionem, vel quòd Grossus non haberet possessionem pacificam triennalem, vel quòd ejus exceptionem non allegaverit, aut saltem quòd illam neglexerit, dum permisit transitum sententiæ in Iudicatum, & deinde liti, & juri, quod habebat, renunciavit; ideoque hoc stante, non potest nunc Io: Nicolaus veniens ex jure novo, & independenter ab Antecessore, juvari dicta regula de triennali ad tradita per *Rot. in Hipporegien. Beneficii 11. Februarii* 1794. *§. Absque eo cum seqq. coram Muto, ubi concordan.*

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Ingrediente Patrono Religionem, & ibi solemniter profitente, an Religio possit obtinere, & exercere Juspatronatus ex persona Patroni Professi, ei competens Jure Sanguinis, & quatenus possit exercere Juspatronatus, an Superior Religionis, aut Monasterii possit præsentare absque consensu Capituli, seu aliorum Religiosorum ejusdem Monasterii?

SUMMARIUM.

1 *Per divisionem res melius intelligitur.*
2 *Novitius Patronus potest per se ipsum præsentare, & ante Professionem de Jurepatronatus disponere.*
3 *Monasterium, capax possidendi Bona in communi, potest obtinere Juspatronatus ex persona Patroni Professi, ei competens titulo hæreditario, secus si ei competeret Jure universali, nimirum quatenus esset pars unius Collegii, aut Communitatis.*
4 *Monasterium incapax possidendi Bona in communi, non potest obtinere ex persona Patroni professi Juspatro-*

natus hæreditarium, sed istud, ad quem pertineret? Vide ibi.

5 *Franciscani Minoris Observantiæ, Cappuccini, Domus professæ Societatis Jesu, an sint capaces Jurispatronatus gentilitii ex persona Patroni professi, & quare, vide ibi, & numer. 7. & 12. & 13. & seq.?*

6 *Rex, vel Imperator, si efficiatur Monachus desinit esse Rex, aut Imperator, & Jus Regni non transit ad Monasterium.*

8 *Minores de observantia Cappuccini, & Societas Jesus, an sint capaces Legatorum?*

9 *Juspatronatus Gentilitium, aut secundum se absque hæreditate non opponitur, Mendicitati, aut Paupertati Religionum Mendicantium.*

10 *Religiosi Mendicantes sunt capaces Juris eligendi Generalem, Provinciales, deputandi Rectores, & Guardianos.*

11 *Ac sunt capaces Juris nominandi, ac præsentandi unam, aut plures personas, cui, vel quibus committi possit erogatio eleemosinæ in res eis necessarias.*

13 *Religiosi Mendicantes, quorum Jurium sint incapaces, & num. 15.*

14 *Mendicantes possunt habere Reliquias, Agnus Dei, facultatem excommunicandi, absolvendi, & dispensandi.*

16 *Ecclesia Patronalis, quo sensu dici possit propria Religiosorum Mendicantium.*

17 *Professio privat Religiosum usu Juris, non autem usu facti.*

18 *Actualis usus, an sit separabilis a dominio proprietatis.*

19 *Juspatronatus non cedit in commoditatem, & utilitatem pro victu, & vestitu Religiosorum, ad quos spectaret ex persona Patroni professi.*

20 *Religiosis Mendicantibus, si ad ipsos spectaret Juspatronatus, liceret suas necessitates insinuare Rectori Ecclesiæ Patronatæ.*

21 *Juspatronatus Gentilitium competit Monasterio, durante vita Patroni professi.*

22 *Monasterium, cui competit Juspatronatus Gentilitium, an possit illud exercere, vel potius ejus exercitium, seu præsentatio pertineat ad Patronum de sanguine, seu familia Professum. Vide ibi, & num. 23. & 50. & 51.?*

24 *Jura sanguinis, quo sensu per professionem non avelluntur à professo.*

25 *Abbas, aut Superior Monasterii an possit præsentare absque consensu Capituli, seu Religiosorum, & num. 26.?*

27 *Præsentatio facta ab Abbate absque consensu aliorum Religiosorum, an sit nulla, vel potiùs annullanda?*

28 *Præsentatus à majori parte Patronorum est instituendus, & num. 51.*

29 *Juspatronatus in dubio præsumitur hæreditarium.*

30 *Juspatronatus esse hæreditarium, ex quibus resultat, & 31.*

32 *Condominus non potest in actibus concernentibus idem condominium in se habere; & in alterum transferre plusquàm importet rata sui condominii.*

33 *Annexio Juris patronatus Castro, an sit ab allegante probanda, & quomodo probari possit, num. 34. & 35. 38. & 39.*

36 *Juspatronatus transfertur cum Universitate Bonorum absque beneplacito Apostolico.*

37 *Verba posita ad majorem cautelam, non sunt apta nocere veritati.*

40 *Dictio* aliquorum *æquipollet alteri* quorumdam, *vel* nonnullorum, *& excludit universalitatem personarum.*

41 *Iuspatronatus quando est annexum feudo, Patronus debet habere qualitatem Domini, & num. 45.*

42 *Minor pars Patronorum in Iure præsentandi censetur absorta à majori parte.*

43 *Inobservantia vim adimit quibuslibet Indultis, & concessionibus, & num. 62.*

44 *Beneplacitum Apostolicum præsumitur ex observantia, & num. 59.*

46 *Competente Iurepatronatus alicui familiæ in genere, omnes de dicta familia succedunt in eo in capita.*

47 *Reservato Iurepatronatus aliquibus nominatis in ipsa reservatione, unusquisque nominatus constituit propriam lineam.*

48 *Suc-*

48 *Succeſſio in Iurepatronatus regulatur à forma ſucceſſionis fideicommiſſariæ.*

49 *Profeſſus in Religione non habet, nec velle, nec nolle.*

50 *Patronus profeſſus in Religione non habet Ius præſentandi, ſed illud ſpectat ad Monaſterium, ſive agatur de Iurepatronatus Gentilitio, ſive hæreditario, itaut ſi Monaſterium foret incapax, Ius præſentandi potiùs pertineat ad alios Succeſſores, ut numer.* 51.

51 *Iura Sanguinis per profeſſionem non avelluntur à Religioſo, ſed ea non valent exerceri per illum ſolum.*

52 *Patronus, qui ſit Abbas, aut Prior Monaſterii, an poſſit ſe ſolo præſentare, aut authorizare ſuum Ius, & num.* 53.

54 *In Iurepatronatus Gentilitio filii admittuntur ad præſentandum cum Patre.*

55 *Præſentatus ab exiſtente in poſſeſſione præſentandi, eſt inſtituendus.*

56 *Præſentatio facta poſt lapſum quadrimeſtris eſt nulla, niſi ſit facta in termino legitimè prorogato, ut n.* 57. *&* 59.

58 *Prorogatio termini ad præſentandum obtenta à Superiore, an ſit inefficax, & ſubreptitia, ſi non exprimatur, quod adſit præſentatus ab uno ex perſonis intra quadrimeſtre.*

59 *Idem eſt in tempore præſentare, & præſentare in tempore prorogato per Superiorem.*

CASUS III.

QUidam Patronus Eccleſiæ A. ingreſſus fuit Religionem, ibique ſolemnem emiſit Profeſſionem, quæritur an Iuspatronatus, ſeu Ius præſentandi ad dictam Eccleſiam ipſi competens tranſierit in Religionem, ſeu Monaſterium, in quo profeſſus eſt.

Ut clariùs procedatur in hac quæſtione, dividenda, & ſeparanda ſunt certa ab incertis, non controverſa à controverſis, cùm per hujuſmodi diviſionem
1 res meliùs intelligatur, juxta *Gloſſam in cap. Exivi de verbor. ſignificat. verb. Exivi.*

2 Certum eſt, quòd exiſtente Patrono in ſtatu Novitiatus ejus Iuſpatronatus non tranſit in Monaſterium, ſed ipſe Patronus Novitius ſuccedente vacatione Eccleſiæ Patronatæ, poteſt per ſe ipſum ad illam præſentare, immò ante profeſſionem poteſt de illo diſponere, & in perſonam ſibi beneviſam capacem transferre, dummodo ei competat Iure hæreditario, aut jure ſanguinis, & ſit ultimus de familia ad tradita per *Ancharan. in Clement. Exivi de verbor. ſignific. num.* 24. *Lezzan. in Summ. quæſt. Regular. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 11. *num.* 11. & in terminis fideicommiſſi, aut alterius Iuris teſtantur *Fagnan. in cap. In præſentia de probat. numer.* 49. *Card. de Luca de Regul. diſc.* 63. *num.* 5.

Indubitatum eſt etiam, quòd Iuſpatronatus hæreditarium, per ſolemnem
3 profeſſionem Patroni transfertur, & tranſit in Religionem, ſeu Monaſterium capax poſſidendi Bona in communi, in quo ipſe Patronus profitetur, ea ratione, quia pet talem profeſſionem omnia Bona profeſſi acquiruntur Monaſterio, & omne jus in illud transferrur *ad Text. in cap. Cum pro utilitate* 16. *quæſt.* 1. *Lambertin. de Iurepatr. lib.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 25. *num.* 4. *Tamburin. de Iur. Abb. tom.* 3. *diſput.* 9. *quæſt.* 23. *num.* 2. *Roderic. quæſt. Canonic. de regul. tom.* 2. *quæſt.* 122. *art.* 2. Religiones enim, & Monaſteria, quæ poſſunt poſſidere Bona in communi, ſunt capacia obtinendi, & exercendi Iuſpatronatus ex perſona Profeſſi, ei tamen competens Iure hæreditario, aut ex fundatione, dotatione, & conſtructione: dum ſi Patrono profeſſo competeret Iuſpatronatus, non Iure ſingulari, ſed Iure univerſali, nimirum quatenus eſſet in ſeculo pars unius Collegii, aut Communitatis, ad quam ſpectaret Iuspatronatus, ut ſi fuiſſet Civis Decurio, Conſul alicujus artis, Canonicus alicujus Collegiatæ, vel Cathedralis, & ſimiles, tunc enim illud non tranſiret ad Monaſterium, quia ratione profeſſionis deſinit eſſe talis pars, juxta *Gloſſ. in cap. Beneficium, verb. Conferendum de Regul. in* 6. *Lezzan. in Sum. quæſt. regul. par.* 2. *cap.* 19. *num.* 11. & 21. *tom.* 1.

Abſque

4 Absque ulla controversia quoque procedit, quòd emittente Patrono solemnem professionem in Religione, seu Monasterio incapaci possidendi Bona, tam in communi, quàm in particulari, ut sunt Religiones, & Monasteria Minorum De Observantia, Cappucinorum, & Societatis Iesu, Iuspatronatus ei competens titulo hæreditario non transfertur in hujusmodi Religionem, seu Monasterium, nec istud potest obtinere Iuspatronatus ex persona Patroni professi titulo hæreditario ei competens: ratio est, quia sicuti hujusmodi Religiones, & Monasteria non possunt obtinere, nec ullo modo capere hæreditatem Patroni professi, ut sunt Religiones Minorum de observantia, & Cappuccinorum, aut saltèm non possunt illam capere ad effectum retinendi; quidquid secus sit ad effectum illam vendendi, & in necessarios usus convertendi, ut est Religio Societatis Iesu. *Fagnan. in cap. In præsentia de probat. num. 39. & 66. Barbos. ad Concil. sess. 25. de regul. cap. 3. num. 2. 3. & 8. & seq. ibique Card. de Luca disc. 35. Rota decis. 245. num. 1. & seqq. coram Buratt.* Ita nec poterunt obtinere Iuspatronatus eidem hæreditati annexum, cum connexorum idem sit judicium ad *Text. in cap. Translato de Constit.* Sed in hoc casu Iuspatronatus hæreditarium competens Patrono professo in una ex dictis Religionibus incapacibus possidendi Bona in communi deferretur venientibus ab intestato, nulla facta de illo dispositione ante professionem, ut de Bonis ingredientium hujusmodi Religiones testantur. *Abb. in cap. In præsentia num. 62. Fælin. num. 50. Fagnan. num. 48. Barbos. ad Concil. sess. 25. de regul. cap. 3. num. 5.*

Quæ igitur sunt incerta, & controversa, & quæ hic mihi examinanda proposui, versantur circa Iuspatronatus Gentilitium, seu circa Patronum, cui competit Iuspatronatus Iure sanguinis, & qui solemnem emisit professionem in Religione, seu Monasterio incapaci possidendi Bona, tam in communi, quàm in particulari, quæ omnia ad duo tantùm puncta reduco. *Primo* nimirum; An Religiones incapaces possidendi Bona, tam in communi, quàm in particulari, nempe Franciscani Minorum De Observantia, Cappuccini, Domus Professæ Societatis Iesu possint obtinere Iuspatronatus Gentilitium ex persona professi, cui competat Iuspatronatus Iure sanguinis? *Secundo.* An possint illud exercere?

5 In ordine ad primum negativè respondendum videtur; quoniam Franciscani Minorũ De Observantia, Cappuccini, Domus professæ Societatis Iesu, vigore eorum Regulæ, ac Constitutionum, non possunt possidere ulla Bona, nec in communi, nec in particulari, & omnium rerum proprietatem à se abdicarunt, ut declararunt Nicolaus III. *in cap. Exiit de verbor. signific.* & Clemens V. *in cap. Exivi eodem tit.* & dispositum habetur *à Concil. Trident. sess. 25. de regul. cap. 3.* & consequenter nec poterunt possidere, & obtinere Iuspatronatus Gentilitium ex persona Patroni professi, quod inter Bona connumeratur, dum nomine Bonorum stabilium non solùm veniunt Domus, Vineæ, prædia, sed etiam Iura, & actiones juxta *Abb. in cap. Nulli de rebus Eccles. non alien. num. 9. & seq. Lezzan. in Summ. quæst. regul. par. 1. cap. 19. num. 3. tomo primo.*

Sed Patronus, qui profitetur in una ex his Religionibus desinit esse Patronus, & ejus Iuspatronatus Gentilitium spectat ad alios successores, juxta *Fælin. in cap. Inter dilectos num. 3. de fid. Instrument. Bald. in L. Deo nobis, §. Hoc etiam num. 4. C. de Episc. & Cler. Tiraquell. de Jur. primog. quæst. 3. num. 11.* ibi: *Quod si Iuspatronatus pertineat ad primogenitum ex Testatoris dispositione, & Primogenitus Religionem intrat &c. tunc secundo genitus, qui jam in locum illius successit, & proinde factus primus præsentabit: Rota dec. 336. num. 8. & 9. par. 5. Recent.* eodem modo quo si Rex, vel Imperator, vel Papa efficeretur Monachus, desineret esse Rex Imperator &c. & Ius Regni non transiret ad Monasterium, sed ad successores sanguinis tantùm, ut expresè docet *Glos. in cap. Scripsit 27. quæst. 2. verb. Dignitate.*

Ratio autem videtur esse, quia si supradictæ Religiones, seu Monasteria incapacia possidendi Bona, tam in communi, quàm in particulari, possent obtinere

Iuspa-

Juspatronatus Gentilitium ex persona Patroni professi, ipsa dicerentur Patroni; & possidere Ecclesiam Patronatam, & hæc diceretur propria eorumdem Monasteriorum, seu Religionum, ac etiam Religiosis illius Monasterii, in quo professus esset Patronus, competeret actio ex Canone *Quicumque* ad petenda alimenta à Rectore Ecclesiæ Patronatæ. Cum ut dixi *in Can. 3. Cas. 3.* alimenta debeantur Patrono etiam extraneo, quæ quidem omnia contrariantur paupertati, & mendicitati eorumdem Religiosorum, quia sic non penderent toti ab incerto, & à divina providentia, sed essent certi propriæ alimoniæ, & substentationis, & non est, quod magis opponatur paupertati, quàm proprietas juxta *D. Thomam 2. 2. qu. 186. art. 3. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12.*

7 Hæc, & alia similia me inducebant prima facie ad tuendam incapacitatem prædictarum Religionum, seu Monasteriorum assequendi, & obtinendi Juspatronatus Gentilitium ex persona Patroni professi; sed re maturius, & intrinsecè perpensa, agnovi adesse majores, ac solidiores rationes, ex quibus inclinandum crederem pro capacitate Minorum de observantia, Cappuccinorum, Domûs professæ Societatis Jesu, in assequendo, ac obtinendo in communi Iuspatronatus Gentilitium ex persona Professi, aut Juspatronatus simpliciter absque hæreditate titulo legati, aut particularis donationis.

Etenim Franciscani Minorum de obser-
8 vantia, Cappuccini, Domus professæ Societatis Jesu sunt capaces Legatorum Vini pro Sacrificiis, frumenti pro hostiis, pecuniæ pro Luminaribus, stipendiorum Missarum per modum eleemosinæ manualis, nec non legati pro Syndonibus Infirmorum, juxta *Ancharan. in Clement. Exivi de verb. signific. num. 13. Fagnan. in cap. Nimis prava num. 31. & seqq. de excess. Prælat. Pellizar. in Manual. regul. de paupert. Fratrum Minorum tract. 4. cap. 3. sect. 2. num. 103. Lezzan. in Summ. verb. Legata relicta Regularibus num. 21. Amostaz. de Causis piis lib. 4. cap. 3. num. 59. Rota in Turritana Eleemosinarum, seu Legatorum, apud Cardin. de Luca de Regul. disc. 35. Piton. Discept. Eccles. 2. in fine.* Et non aliam rationem assignant Doctores pro capacitate hujusmodi Legatorum, nisi quia illa non pertinent ad eorum alimoniam, & necessariam substentationem, sed eis non obstantibus adhuc toti pendent ab incerto, & à providentia divina, ut de illis, & præcipuè de Legato pro Syndonibus Infirmorum, dixit *Rota in dicta Turritana Eleemosinarum, seu Legatorum ubi supra, §. Simili modo*, ibi: *Quod tanquam relictum pro Syndonibus Infirmorum non pertinet ad alimoniam, seu necessariam substentationem fratrum, sed ad solatium, seu sublevamen, & majorem quamdam ipsorum curam.*

9 Hæc autem eadem ratio militat etiam favore Jurispatronatus, nam si concedatur præfatis Religiosis in communi Juspatronatus Gentilitium ex persona Patroni professi; aut Iuspatronatus simpliciter absque hæreditate titulo Legati, aut donationis, illud non contrariatur eorum Mendicitati, & Paupertati, & non pertinet ad illorum alimoniam, & necessariam substentationem, sed eo non obstante adhuc toti penderent ab incerto, & à divina providentia; unde si præfati Religiosi sunt capaces dictorum Legatorum, eo quia illa non cedunt in eorum alimoniam, & necessariam substentationem, ob eandem rationem erunt etiam capaces Jurispatronatus Gentilitii ex persona professi, aut Jurispatronatus simpliciter titulo donationis; ubi enim militat eadem ratio ibi, & eadem dispositio militare debet.

10 Insuper præfati Religiosi non obstante eorum mendicitate, & paupertate sunt capaces Juris eligendi Generalem, Provinciales, & Generalis est capax Juris confirmandi Provinciales, & eos destituendi, ac Juris deputandi Guardianos, & Rectores in particularibus Conventibus, & Monasteriis, juxta *Text. expressum in cap. Exiit, §. Insuper, & Clement. Exivi, §. Demum, & §. In destitutione de verb. signific.* Immo Minores de observantia, & Cap-
11 puccini habent Jus nominandi, & præsentandi aliquem, cui si Benefactori placet, potest committi executio eleemosinæ, & ejus erogatio in res eis necessarias ad *Text. in dicto cap. Exiit de verbor. significat.* ibi: *Si tamen ipse hoc nollet facere &c. declaramus, & dicimus, quod in nullo Regulæ pu-*

puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius observantia maculatur, si fratres ipsi alicujus, vel aliquorum sibi curent dari notitiam, vel aliquos, seu aliquem nominare, aut etiam præsentare, cui, vel quibus, si eleemosinam facienti placuit, committi possit executio prædictorum. Etsi non sufficeret una persona ad hujusmodi Ministerium exequendum, possunt plures personas nominare, & præsentare, quæ pecunias, & eleemosinas sibi ipsis datas à benefactoribus erogent in usus necessarios Fratrum, juxta *Text. in dicto cap. Exiit*, ibi: *Si tamen propter locorum distantiam, in quibus esset satisfactio facienda, casus emergeret, in quo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum, liceat ipsis Fratribus in hoc casu juxta negotii qualitatem plures personas assumere, nominare, seu præsentare, ad istud ministerium exequendum.*

12 Si igitur Jus eligendi Generalem, Provinciales, ac jus nominandi Guardianos, & Rectores in particularibus Conventibus, & quod magis est, jus nominandi, & præsentandi unam, aut plures personas seculares, quibus ex placito Benefactoris committatur executio eleemosinæ, & à quibus certè ipsi Religiosi aliquam utilitatem, & commodum recipiunt pro eorum substentatione, & alimonia, non contrariatur, nec opponitur eorum mendicitati, & paupertati ex sententia Summi Pontificis Nicolai III. *in dicto cap. Exiit*, sequitur, quòd nec Juspatronatus, seu Jus nominandi, & præsentandi Cappellanum, aut Rectorem ex persona Patroni professi, aut titulo particularis Legati in Ecclesia Patronali, dici poterit opponi, & contrariari eidem mendicitati, & paupertati dictorum Religiosorum; sed sicuti isti sunt capaces juris eligendi Generalem, & Provinciales, & Juris nominandi, ac præsentandi personam secularem ad supradictum ministerium exequendum, ita & à fortiori erunt capaces Juris nominandi, & præsentandi in communi simplicem Cappellanum, & Rectorem in Ecclesia Patronali.

Ratio autem est, quia distinguendum
13 est inter Iura temporalia, & pretio æstimabilia, & quæ concernunt utilitatem, & commoda ipsorum Religiosorum pro quotidiano Victu, & Vestitu; & Iura spiritualia, aut spiritualitati annexa non pretio æstimabilia, & quæ hujusmodi utilitatem, & commoda non concernunt. Iurium, & rerum primæ speciei sunt quidem præfati Religiosi incapaces, tam in communi, quàm in particulari; sed Iurium secundæ speciei sunt capaces, & illa non contrariantur eorum mendicitati, &
14 paupertati, sic videmus eosdem Religiosos, non obstante eorum mendicitate, & paupertate habere Reliquias, Agnus Dei, nec non facultatem excommunicandi, absolvendi, & dispensandi, quia ista omnia non sunt pretio æstimabilia. Iuspatronatus Gentilitium, secundum se, connumeratur inter Iura secundæ speciei, dum non est Ius temporale, sed spiritualitati annexum, nec est pretio æstimabile, ut dicam infra in secunda parte Can. XI. & XII. nec cedit in utilitatem, & commodum ipsorum Religiosorum pro quotidiano Victu, & Vestitu, sed solùm cedit in eorum decorem, ac certum usum Cultûs Divini, ac proinde iidem Religiosi erunt capaces in communi Iurispatronatus Gentilitii ex persona Patroni professi, aut Iurispatronatus simpliciter titulo Legati, dum per votum paupertatis solùm abdicarunt à se dominium rerum pecunia, aut pretio æstimabilium, & quæ concernunt utilitatem, & commoda pro eorum Victu, & Vestitu, ut docent *Lezzan. in Summ. quæst. Regul. tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 4.* ibi: *Quia per votum paupertatis solum abdicarunt à se dominium rerum pecunia, aut pretio æstimabilium*: & *Rota in dicta Turritana Eleemosinarum, seu Legatorum apud Card. de Luca de regul. disc. 35. §. Deberi*, ibi: *Hujusmodi tamen incapacitas procedit, quo ad ea, quæ concernunt utilitates, & commoda ipsorum Fratrum pro quotidiano Victu, & Vestitu, non autem, quo ad ea, quæ concernunt decorem earum Ecclesiarum, ac certum usum Cultus Divini.*

Non obstant superiùs deducta, nimirum
15 quòd Franciscani Minores de observantia, Cappuccini, Domus Professę Societatis Jesu vigore suarum Regularum, & Constitutionum possidere non valeant ulla Bona, nec in communi, nec in particulari; quia hoc intelligitur de Bonis temporalibus pretio æstimabilibus, & quæ cedunt in eorum

eorum alimoniam, & neceſſariam ſubſtentationem, non verò de Bonis Spiritualibus, aut Spiritualitati annexis, quæ ſunt pretio inæſtimabilia, & ob hanc rationem exemplum Regis, aut Imperatoris ibi adductum non applicatur, nam ideò Rex, aut Imperator factus Religioſus deſinit eſſe Rex, & ejus Jura Regalia non tranſeunt in Monaſterium, ſed ad Regis ſucceſſores, quia Jura Regalia ſunt pretio æſtimabilia, aut ex alio titulo particularis legis Regni, juxta quam mortuo, ſive naturaliter, ſive civiliter Rege Jura Regalia tranſire debeant ad ejus Succeſſores.

16 Nec adverſatur, quòd Eccleſia Patronalis in hoc caſu diceretur propria eorumdem Religioſorum, & ſic ipſi poſſiderent aliquid proprium, quod eſt contra eorum paupertatem. Quoniam hujuſmodi Eccleſia non diceretur propria dictorum Religioſorum, quoad proprietatem, & dominium, dum proprietas, & dominium iſtiùs Eccleſiæ, ſicuti aliarum Eccleſiarum, & Conventuum eorumdem Religioſorum ſpectaret ad Summum Pontificem, juxta *Text. in dicto cap. Exiit*, & *Clem. Exivi de verb. ſignificat.* ſed diceretur propria ipſorum Religioſorum quoad uſum, nec hoc repugnaret eorum mendicitati, & paupertati, dum uſus rerum illis non opponitur, & videmus hos Religioſos habere uſum librorum, Veſtium, Ciborum, Conventuum, ac Eccleſiarum, ubi inhabitant; Ratio eſt, quia Profeſſio
17 licet privet Religioſum dominio formali, & uſufructu, & uſu Juris, non tamen privat uſu facti, quia iſte non opponitur paupertati, ut docet idem Summus Pontifex Nicolaus III. *in dicto cap. Exiit*, & ſequitur *Lezzan. in Summ. quæſt. Regul. tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 2.*

Neque valet replicare, quòd actualis
18 uſus eſt impreſcindibilis, & inſeparabilis à dominio proprietatis, dum non poteſt quis licitè uti, & conſumare aliquam rem, niſi aliquo modo habeat dominium illius rei, juxta *Card. de Lugo diſp. 2. de Juſtitia à num. 45.* & conſequenter ſi dicti Religioſi haberent uſum Eccleſiæ Patronalis, haberent etiam dominium proprietatis illius. Diſtinguunt enim Theologi in tractatu de *Juſtitia*, & *Jure*; ubi agitant hanc quæſtionem, an actualis uſus ſit ſeparabilis à dominio proprietatis, inter dominium formale, & dominium virtuale directum, quod dicitur habere ille, qui cum non ſit Dominus rei, perinde poteſt illam conſumere, & uti in propriam utilitatem per ſe ex natura rerum, ſine injuria aliena, ac ſi verè eſſet Dominus, itaut ſine injuria non poſſit impediri: Et ſentiunt actualem uſum eſſe inſeparabilem à dominio virtuali directo, non verò eſſe inſeparabilem à dominio formali, & hoc dominium virtuale directum concedunt omnibus Profeſſis etiam Franciſcanis, quo ad res, quibus hic, & nunc utuntur, ſed non ex hoc, quòd hi Religioſi utuntur his, vel his rebus hic, & nunc ſequitur, quòd habeant dominium formale proprietatis illarum; ſicuti enim ex eo, quod Vicarii Epiſcopi, aut Regis licitè, & validè faciant multa, quæ caractheriſticè ſpectant ad illos, malè argueres eos Vicarios fungi formaliter caracthere formali Regio, aut Epiſcopali; ita ex eo, quod iſti Religioſi utantur hic, & nunc his, vel illis rebus, perperam arguitur illos pollere dominio, ac proprietate formali illarum; Ratio eſt, quia ad juſtificandum uſum ſufficit dominium purè virtuale, ſicuti ad juſtificandum ſententias Vicarii, & decreta Proregis ſufficit, quòd iſti fungantur virtualiter Dignitate Epiſcopali, vel Regia; & ita Ego ſubſtinui in publicis theſibus habitis in Collegio Romano, dum ibi Sacræ Theologiæ Studio operam navabam ſub diſciplina, & aſſiſtentia Patris Ulloa mei Præceptoris Hiſpani, Viri quidem eruditiſſimi, & in Sacræ Theologiæ ſcientia maximè Excellentis.

Minuſque officit, quod ſuperiùs in contrarium addebatur, nimirum ſi concederetur Juſpatronatus Gentilitium ex perſona Patroni profeſſi, aut Juſpatronatus ſimpliciter ſecundùm ſe titulo legati prædictis Religioſis in communi illud cederet in utilitatem, & commodum eorumdem Religioſorum pro victu, & veſtitu, nam ipſis competeret actio ex Canone *Quicumque* ad petenda alimenta à Rectore Eccleſiæ de ejus redditibus ſuperfluis, quod dici non poteſt, cùm iidem Religioſi non ſint capaces eorum, quæ cedunt in alimoniam, & neceſſariam eorum ſubſtentationem,

nem, quia sic non penderent ab incerto, & à Divina providentia, juxta auctoritates superiùs relatas *in* §. *Ratio autem est*.

19 Hoc enim est omninò erroneum, & maximum æquivocum, nam actio, seu Jus petendi alimenta à Rectore Ecclesiæ, aut consideratur respectu Patroni professi in una ex dictis Religionibus, seu Monasteriis, & iste non habet actionem, & jus petendi alimenta, non solum quia est alendus à sua Religione, & non ab Ecclesia, ut docet *Ventrigl. in prax. for. Ecclesiast. par.* 2. *annot.* 1. §. 4. *num.* 36. Sed etiam quia alimenta non debentur Patrono ob inopiam voluntariam, & provenientem ex facto, & voluntate illius, ut est illa Religiosi Professi, sed ob inopiam involuntariam, ut dixi superiùs *in Can. III. Cas. I.* Aut consideratur respectu singulorum Religiosorum Monasterii, in quo Patronus professus est, & his non debetur actio, seu Jus petendi alimenta, quia isti uti singuli non sunt Patroni; Aut denique consideratur respectu ejusdem Monasterii, & huic non competit hujusmodi actio, quia illud cum non habeat, neque os, neque corpus verum, sed sit persona ficta, est incapax alimentorum, ut in terminis Communitatis, aut Collegii superiùs firmavi

20 *in dicto Can. III. Cas. III.* Verum si redditus Ecclesiæ Patronatæ essent superflui, & superexcedentes, etsi præfatis Religiosis vigore Juris patronatus, quod haberent in communi, non competerent alimenta, liceret tamen illis suas necessitates Rectori ejusdem Ecclesiæ insinuare, ac specificare, vel exponere, & hoc non opponitur eorum mendicitati, aut paupertati, ut docet Nicolaus III. *in dicto cap. Exiit*.

Ex his igitur rationibus crederem Franciscanos Minoris Observantiæ, Cappuccinos, Domos professas Societatis Jesu posse obtinere Juspatronatus Gentilitium ex

21 persona Patroni professi. Sed tamen hujusmodi Juspatronatus Gentilitium competeret his Religiosis in communi durante vita professi tantùm, quia post ejus obitum transiret in posteros, & in alios de familia post ipsum à fundatore vocatos, juxta *Prob. ad Monach. in rubr. de Iurepat. in* 6. *num.* 2. *Tamburin. de Iur. Abb. tom.* 3. *disput.* 9. *quæst.* 23. *num.* 3.

22 Descendendo autem nunc ad secundum punctum, quod superiùs examinandum mihi proposui, nimirùm an Religiones, seu Monasteria, quæ obtinuerunt Juspatronatus Gentilitium ex persona professi, possint illud exercere?

Videtur resolvendum negativè, quia quando Religioso competit Juspatronatus jure sanguinis, tunc præsentatio fieri debet per ipsum, etiam absque licentia Abbatis Monasterii, & non per Monasterium, quia Jura sanguinis per professionem non avelluntur à Monacho, sed inhærent ossibus illius, nec transeunt in Monasterium, sicuti jus doctorandi, quod acquirit Regularis non acquiritur Monasterio, sed manet apud ipsum personaliter. *L. Jus agnationis ff. de Pactis, Rot. dec.* 34. *&* 35. *post Censal. ad Peregrin. de Fideicom. & decis.* 336. *num.* 9. *par.* 5. adeoque Juspatronatus Gentilitium non poterit exerceri per Monasterium, sed per ipsum Patronum professum, & hanc sententiam expressè tuentur *Pignatell. consult. Can. tom.* 9. *consult.* 82. *num.* 112. *& seq. Pasqualig. quæst. Moral. Can. quæst.* 16. *per tot.*

23 Contrarium tamen verius de Jure censeo, nam Patronus per ingressum Religionis transfert in Monasterium se, & omnia ejus Bona, quorum ipsum Monasterium est capax, & non potest proprio ejus nomine præsentare; Ratio est, quia proprium habere non potest, nisi in communi, *cap. Cum Monasterium de Stat. regul. Lambertin. de Iurepatr. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 2. *artic.* 11. *num.* 12. *Lezzan. in Summ. quæst. Regul. part.* 2. *cap.* 11. *num.* 14. *tom.* 1. & quia non habet nec velle, nec nolle, *cap. Si Religiosus de elect. & elect. potest Roderic. quæst. Canonic. & Regul. tom.* 2. *q.* 122. *art.* 2. adeoque ipsum Monasterium præsentabit, & nominabit, & sic exercebit Juspatronatus Gentilitium ex persona professi ei jure sanguinis competens, juxta *Sanchez ad præcept. Decalog. lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 7. *Vivian. de Iurepatr. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 64. *Lezzan. in Summ. quæst. Regul. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 11. *numer.* 10. *Rota decis.* 1361. *num.* 4. *coram Seraphin. & decis.* 830. *num.* 6. *coram Emerix*.

24 Non obstat, quod Jura sanguinis per professionem non avellantur à professo, quia

quia hoc est verum, quoad eorum substantiam, secus quoad eorum exercitium, dum Patronus potest titulo donationis, ejus vita durante, Iuspatronatus Gentilitium, & Ius præsentandi in alium transferre; exemplum Iuris doctorandi non applicatur; quia cum hujusmodi Ius non possit residere penes Monasterium, utpote corpus inanimatum, necessariò manere debet apud Religiosum actu docentem, vel legentem in aliqua Universitate, tamquam hujus membrum effectum de explicita, vel implicita licentia superioris, ut his expressis verbis confutando Pignatellum, & Pasqualigum, ac eorum rationes, docet *Rota in Mediolanen. Præposituræ tertia Martii* 1704. §. *Profectò, & seq. coram R. P. D. Ansaldo inferiùs legen. num.* 27.

Supposita autem hujusmodi capacitate
25 Religionum, aut Monasteriorum assequendi, & exercendi Iuspatronatus ex persona Patroni professi; quæri hic potest, an Abbas, aut Superior Monasterii, in quo professus est Patronus, possit præsentare ad Beneficium vacans absque consensu aliorum Religiosorum ejusdem Monasterii?

Disputat hanc quæstionem Dominus Advocatus Pitonius Præceptor meus in ejus novo tractatu *de Controver. Patron. tom.* 1. *alleg.* 55. in terminis Constitutionis Procuratoris ad præsentandum factæ per Abbatissam absque consensu Monialium, ubi quærit, an hujusmodi Constitutio Procuratoris sic facta per Abbatissam sit nulla, & concludit, negativè, sed solùm esse annullandam ad instantiam Monialium, ob rationes lato calamo ab eo deductas, quas ibi videre poteris.

Ego dico, quod Regula est, ut non
26 possit Abbas, aut Superior Monasterii, ad quod pertineat Iuspatronatus ex persona Patroni professi, aut alio titulo, de per se præsentare, aut nominare absque consensu Capituli, seu aliorum Religiosorum ejusdem Monasterii, juxta *Text. in cap. Ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælat. ibique Abb. num.* 4. *Butr. num.* 1. *Gonzal. numer.* 6. Ratio est, quia Monasterium, ad quod spectat Iuspatronatus, non repræsentatur, nec per solum Abbatem, seu Superiorem, nec per solos Religiosos, sed per Abbatem simul, & Religiosos, qui simul faciunt unum corpus formale, & totum Monasterium *ad Text. in cap. Novit, & cap. Quantò de his, quæ fiunt à Prælat. Berou. in cap. Ex litteris de Iurepat. num.* 21. *& seqq.* ergo nec solus Abbas absque Religiosis, nec soli Religiosi absque Abbate, sed Abbas simul, & Religiosi unitim poterunt præsentare, cum sic soli, & uti singuli non sint Patroni; quod enim omnes tangit ab omnibus fieri debet; unde sicuti non decet caput à membris discedere, nec è contra membra à capite, juxta *cap. Non decet* 12. *dist.* ita non debet Abbas, aut Superior Monasterii, irrequisitis aliis Religiosis, præsentare, aut nominare, ut docet *Gonzal. in dicto cap. Ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælat. num.* 8.

Sed si Superior præsentaret absque
27 consensu aliorum Religiosorum hujusmodi præsentationem crederem non esse nullam, sed annullandam ad horum requisitionem, & instantiam tantùm, qui fuerunt contempti ratione eorum consensus per Abbatem non requisiti, & non ad instantiam aliorum, ex regula, quod solus contemptus excipere potest de nullitate, juxta *Text. in cap. Quod sicut* 28. *de elect. ibique Gloss. in verb. Consentire*. Et hæc est opinio Canonistarum *in dicto cap. Ea noscitur*, quemadmodum eos refert, & ex professo discurrit dictus Dominus Pitonius meus Præceptor in una Hieracen. impressa *in dicto tract. de Controv. Patron. alleg.* 55. *per tot.* cum qua me conformare profiteor.

R. P. D.

ANSALDO

Mediolanen. Præposituræ.

Lunæ 3. *Martii* 1704.

AD Præposituram Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Agnetis Burgi nuncupati *di Somma*, quæ per obitum Dominici vacaverat, Octavius veluti

præsentatus à DD. de Cusanis, existimans in sui partem adscribere posse saltem medietatem vocum Patronalium, obtinuerat à Sancta Sede gratiam consuetam derogatoriam alterius medietatis, sed cum hujusmodi gratia parum refragante, adhuc in Curia Metropolitana Mediolani succubuisset, censente Ordinario instituendum Antonium, in quem universa suffragia aliorum Patronorum, nempe DD. Vicecomitum, conspiraverant, ad Sacrum incontinenti provocavit Auditorium, omninò tamen infructuosè, maturè siquidem reassumpta, introspectaque materia, Domini rescripsere, Octavii *litteras neutiquam esse exequendas*, at juxta primum Iudicatum fore è conversò *Antonium instituendum*.

Secunda pars prænominati rescripti veniebat in consequentiam primæ, nam quemadmodum si per Octavium ostensum extitisset, quod medietas vocum Patronalium defluxisset in illius personam, idem procul dubio Octavius promeruisset anteferri ratione præventionis in obtinendo gratiam derogatoriam, ut
28 supra, ita ex opposito compertâ fallaciâ suppositionis, & apparente, quod minor pars, sive infra medietatem stetisset pro eo, palam consequebatur, quod Antonius præponderans in numeratione earumdem vocum, præferri deberet, & indubitanter institui secundum ea, quæ in proposito primæ conclusionis habentur, apud *Garz. de Benef. par. 5. cap. 1. n. 585. Card. de Luca de Jurepatr. disc. 42. num. 2. & disc. 71. num. 13. Rota coram Dunoz. Jun. decis. 983. num. 4. & decis. 667. n. 19. & 20. par. 18. Recent.* & circa secundam tradunt *Card. de Luca de Jurepatr. dicto disc. 42. num. 3. Rot. decis. 452. numer. 3. coram Gregor. dec. 957. & decis. 983. utrobique num. 5. coram Dunoz. Jun. decis. 34. num. 17. coram Emerix Jun. & in Melevitana Jurispatronatus 4. Julii 1696. §. Quo verò coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano*.

Nodus itaque difficultatis restringebatur ad examen, utrum in hoc conspicuo Iurepatronatus DD. de Cusanis abeuntes in Octavium, conscenderent ad hanc medietatem respectu exercitii controversi Iuris præsentandi, circa quod nulla in abstracto capi posse videbatur tuta resolutio, cum etenim de effectiva fundatione, sive dotatione ab alterutra partium minimè doceretur manifestè, solumque coruscaret, quod per plura Secula hujuscemodi Iuspatronatus cum successivis præsentationibus attineret ad DD. Vicecomites, ac etiam ex causa descensiva à quodam Principalle ad DD. de Cusanis, dura reddebatur indagatio, an ad eosdem DD. de Cusanis tale Ius descendisset ex titulo familiari descensivo, vel potiùs hæreditario, vel etiam denique ex compossessione pro tertia rata prænominati Burgi *di Somma*, itaut vel ad terminos famigeratæ *Clement. Plures de Jurepatr.* vel ad illos alterius sanctionis Pontificiæ *in cap. Ex litteris de Jurepat.* præsens articulus esset enucleandus juxta aliàs disputata *in decis. 698. decis. 735. & decis. 885. num. 10. & seqq. coram Emerix Jun.*?

Quod autem reputandum esset hujuscemodi Iuspatronatus meré hæreditarium, acriter demonstrare contendebant Informantes pro Antonio, nitentes in primis Iuridicæ præsumptioni, per quam alio non apparente, ad instar cæterarum
29 acquisitionum, Iuspatronatus semper censetur esse hæreditarium, sicuti in dubio tenent sine Contradictore Scribentes *in dicta Clementina Plures*, & latè perpendunt *Gratian. discept. for. cap. 577. numer. 44. in fine, Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 11. numer. 21. Vivian. de Jurepatr. lib. 4. cap. 2. num. 4. Card. de Luca eodem tract. disc. 60. num. 1. Rot. in Hypporegien. Præposituræ 1. Julii 1697. §. Absque eo quod coram R. P. D. meo Fio, in Auximana Iurispatronatus 27. Junii 1701. §. Descendendo, & §. Hæc erant coram Me, & in Firmana Jurispatronatus 15. Decembris 1702. §. Hæc autem coram R. P. D. meo Muto*.

Concurrentibus præcipuè in eamdem Iuridicam præsumptionem statibus se-
30 quutis, postquam mediante medio fœminino, in hoc Iurepatronatus successerunt DD. de Cusanis; nam de anno 1622. Patroni utriusque Familiæ allegarunt qualitatem hæreditariam usque ad producendum elogia Testamentaria eorum Authorum, atque Ascendentium, itaut

Ordi-

Ordinarius succeſſivè decernens inſtitutionem ab hinc inde præſentato, ſpecificè meminerit una cum filiatione, deſcendentia de copulativa qualitate hæreditaria, melior namque deſiderari non valet dilucidatio qualitatis Patronalis, quàm reſultans ab expreſſione facta, & admiſſa tituli hæreditarii, ut ait *Rota decis.* 102. *num.* 3. & 10. *coram Cerro, decis.* 707. *num.* 6. *par.* 1. *decis.* 181. *num.* 17. *par.* 19. *Recent. & in Aſculana Parochialis* 5. *Junii* 1684. §. *Accedit coram bo. mem. Benincaſa, & in Cracovien. Parochialis* 14. *Maii* 1696. §. *Placuit coram R. P. D. meo Pio, & in dicta Firmana Juriſpatronatus* 15. *Decembris* 1702. §. *Tantùm abeſt coram R. P. D. meo Muto*.

31 De anno verò 1649. Patroni præſentantes poſitivè devenerunt ad juſtificationem ejuſdem qualitatis hæreditariæ, fatuum quippe fuiſſet ad hanc convolare juſtificationem, quoties Iuſpatronatus extitiſſet familiare deſcenſivum, aut gentilitium, cum in eo, neglecta veſte hæreditaria, ſatis exiſtat nude comparere cum charactere deſcendentiæ, & qualitatis familiaris, ad tradita per *Dec. conſil.* 149. *num.* 1. *in princip. Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 44. *Card. de Luca de Jurepatr. diſc.* 23. *num.* 6. *Rot. in Mediolanen. Prioratus* 14. *Februarii* 1701. §. *Et hæc quidem coram R. P. D. meo Scotto.*

Retento autem hoc intellectu, cum quo nonnulli ex Dominis procedebant, incontrovertibiliter reſultabat, Octavium deficere in ſuo ſalutari, quia cum ab initio poſt conſolidationem totius Iuriſpatronatus radicatam in perſona Guidonis, tres ſubinde præfulgerent Patroni de Familia DD. Vicecomitum, videlicet Antonius, Theobaldus, & Princivalles, DD. verò de Cuſanis, qui Octavium præſentaverant, ſolam capeſcerent vocem Patronalem à Princivalle, certum erat, quòd integra vox à principio conſiſtens in Guidone, & deinde tripartita in Antonium, Theobaldum, eundemque Princivallem, nequiverit efficere ipſos DD. de Cuſanis, niſi Compatronos pro tertia parte, in qua, mediante Juſtina, fuerunt effecti ſucceſſores, uti lucidius in Arbore diſtributa, & prout ſuapte natura conſcinditur, attento numero perſonarum, qualitas, & portio hæreditarla, ad tradita per *Card. de Luca de Iurepatr. diſc.* 61. *num.* 6. & 8. *Rot. dec.* 159. *num.* 4. *coram Priol. deciſ.* 17. *numer.* 2. *coram ſan. mem. Alexandro VIII. in Mediolanen. Prioratus* 15. *Februarii* 1700. §. *Sed quia coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano, & in prædicta Auximana Juriſpatronatus* 27. *Junii* 1701. §. *Iſtoque principio coram Me*.

In omnem verò caſum (ſubjiciebant iidem Informantes pro Antonio) denegari non poterat, quod controverſum Jus præſentandi exiſteret annexum Condominio Caſtri, ſeu Burgi *di Somma*; Unde cum pariter penes DD. Vicecomites, qui præſentaverant Antonium, duæ ex tribus partibus hujus Condominii ſemper ſtetiſſent, & hactenus ſtarent, tertia autem, ac ſola pars reſidualis per Organum præfatæ Juſtinæ deſcenderit in DD. de Cuſanis, ecce quod Octavius
32 minimè attingebat medietatem expreſſam, ac volitam in prædicta gratia derogatoria, cum unuſquiſque Condominus nequeat in actibus concernentibus idem Condominium in ſe habere, & in alterum transferre pluſquam importet rata, ſeu portio ſui Condominii ex collectis per *Morden. Argent. collect. legal.* 31. *num.* 117. *vol.* 2. *Angel. Rudulphin. allegat.* 177. *num.* 11. *Rot. Lucen. inter recollect. per Modern. Palm. deciſ.* 81. *num.* 1. & *deciſ.* 133. *num.* 41. *Rot. noſtr. dec.* 112. *num.* 7. & 8. *coram ſan. mem. Alex. VIII.* & *deciſ.* 954. *num.* 3. *coram Cerro*.

Neque ad enervandam hanc annexio-
33 nem refragari videbantur motiva, quæ ex altera Octavii parte promovebantur ab ejus Defenſoribus, videlicet quod hæc annexio foret concludenter ab eam allegante comprobanda, uti cenſuerunt *Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæſt.* 9. *à n.* 54. *Card. de Luca de Iurepatr. diſc.* 5. *num.* 12. & reſpondit *Rot. deciſ.* 493. *num.* 9. *coram Cerro, deciſ.* 885. *num.* 11. *coram Emerix Iun. deciſ.* 70. *numer.* 9. *part.* 12. *deciſ.* 77. *num.* 7. *par.* 14. *deciſ.* 19. *num.* 6. *par.* 18. *deciſ.* 662. *num.* 18. *par.* 19. *Recent. & in Urgellen. Plebaniæ* 4. *Julii* 1685. §. *Quidquid enim coram bo. mem. Benincaſa.*

34 Siquidem ultra quod ſatis, ſuperque comprobata videbatur hujuſmodi annexio

nexio, perspecto quòd nemo unquam Patronalem vocem exhibuerat, seu præsentaverat, qui non foret in simul Condominius prædicti Castri, seu Burgi *di Somma*, ex observantia namque tam positiva, quàm negativa constantissime habita in omnibus præcedentibus vacationibus, præfulgere saltem indubio superabundantem explicationem qualitatis controversæ, receptum habemus in omni materia, & signanter in nostris terminis Iurispatronatus, quemadmodum inquit *Venturin. cons.* 43. *num.* 46. *Grat. discept. for. cap.* 521. *num.* 19. *Cardin. de Luca de Iurepatr. disc.* 28. *nu.* 5. *& disc.* 60. *num.* 9. *& seqq. Rot. coram Ubald. dec.* 127. *num.* 7. *par.* 3. *in Fossanen. Iurispatronatus* 12. *Maii* 1703. §. *De Jurepatronatus coram R. P. D. meo Caprara, & in Faventina Beneficii* 2. *Julii ejusdem anni*, §. *Cui Sententiæ coram R. P. D. meo Caffarello*.

Adhuc probationem valde claram ad-
35 struebat originale Instrumentum divisionis post mortem supradicti Guidonis subsequutæ de anno 1484: In ea etenim Galeatio, & Baptista Iuri proprio cedentibus, tres alii Fratres Cessionarii, & Condomini ejusdem Burgi, scilicet Antonius, Theobaldus, & Princivalles superiùs enunciati dividentes hujusmodi Castrum, professi cubitaliter sunt dividere Dominium, & Iurisdictionem, ac merum, & mixtum Imperium sub illis successivis verbis: *Etiam cum Iurepatronatus Ecclesiæ Sanctæ Agnetis*, ideoque dum consecutive ad divisionem Castri, ac per dictionem accessoriam, & copulativam *cum* fuerit divisum Iuspatronatus, sive illius exercitium in unumquemque ex dividentibus, non poterat ambigi de annexione, vel consecutiva cohærentia Iurispatronatus fundo, & Universitati feudali, quemadmodum bene ad rem connotavere, *Abb. in cap. Querelam* 15. *num.* 6. *& 7. de Jurepatr. Fagnan. in cap. Ex litteris num.* 52. *eodem tit. Gratian. discept. for. cap.* 675. *num.* 28. *& 29. Lotter. de re Benef. lib.* 2. *quæst.* 9. *num.* 62. *& seqq. Rocc. de Curt. de Jurepatr. in verb. Ipse, vel is, à quo à num.* 48. *ad* 52. *Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 5. *princip. art.* 20. *num.* 10. *Rot. decis.* 399. *numer.* 3. *& 4. par.* 2. *Recent.*

In nihilo obsistente, quod in calce ejusdem divisionis additum fuerit: *Et ex*
36 *nunc, quantum necesse fuerit, supplicarunt Summo Pontifici, & cui expedierit pro translatione Patronatus dictæ Ecclesiæ &c.* quasi verò incongruum foret supplicare Pontifici pro præfata translatione, dum quoties Iuspatronatus transfertur cum Feudo, vel alia Universitate Bonorum, nullum beneplacitum Apostolicum, nullus Ordinarii consensus expostulatur ad normam *Text. in cap. Ex litteris de Iurepatr. ubi Fagnan. num.* 3. *&* 45. & tradita *per Sanchez consil. Moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 76. *num.* 2. *Vivian. de Iurepat. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. *Card. de Luca eodem tract. disc.* 5. *num.* 8. *Rot. decis.* 206. *n.* 27. *& 28. par.* 7. *Recent.*

37 Hanc etenim objectionem manifeste jugulabat ipsamet formula loquendi, videlicet quantum *necesse fuerit*, quæ tanquam verba minime absoluta, sed posita ad superabundatiorem cautelam, non existunt apta nocere veritati, resistereve translationi factæ, ut supra consecutivè, maxime, dum nec abinde ullum intervenit effectivum beneplacitum, ut in fortioribus, *Card. de Luca de Feud. disc.* 10. *num.* 7. *Adden. ad Gregor. decis.* 192. *lit. A. in fine, Rot. decis.* 1027. *n.* 7. *& dec.* 1319. *num.* 2. *coram Seraph. decis.* 110. *num.* 23. *coram Buratt. & decis.* 12. *numer.* 7. *& 8. par.* 13. *Recent.*

38 Corroborantur præmissa, quia usque de anno 1628. Io: Baptista filius immediatus Princivallis, à quo, ut diximus, DD. de Cusanis eorum Iura desumebant relative ad Iurisdictionem, seu Vicariatum ejusdem Castri *di Somma*, in præsentatione per ipsum facta litteraliter usurpavit sequentia verba: *Et propterea ad petitionem prædicti Presbyteri de Carolis &c. prædictus D. Jo: Baptista tanquàm Dominus, & Patronus pro sua alia tertia parte Præposituræ prædictæ respectu Iurispatronatus &c. voluntariè &c. ratificavit &c.* Dum igitur Io: Baptista ratificando præsentationem factam illative ad Gubernium, ut indicat illa dictio: Et *propterea*, sese ad eamdem præsentationem devenire declaravit, tamquam Dominus, & Patronus, quis ire poterat inficias, quod DD. de Cusanis ab ipso Io:

Ba-

Baptista, & Princivalle, ut præmisimus, jura nanciscentes aliam allegare non valeant qualitatem Patronalem, nisi meri Condominii pro tertia parte in eos Collati ab iisdem stipitibus; quisve negare valebat, quod tam clara confessio illorum Auctoris non deberet adversùs eos tamquam Successores plusquam abundè operari ad regulam *Text. in leg. Cum à matre Cod. de rei vindicat.* de qua in specie Jurispatronatus *Card. de Luca de Iurepatronat. disc. 22. num. 7. Rota coram Peutinger. decis. 251. num. 4. coram Cels. decis. 106. numer. 5. & decis. 336. num. 22. par. 5. Recent. & in Augustana Iurispatronatus super negocio principali 17. Februarii 1698. §. Quod, & clariùs coram R. P. D. dell' Olmo, & in Mediolanen. Prioratus super qualitate agnatitia 18. Iunii 1703. §. Quinto comprobatur coram R. P. D. meo Scotto.*

Superaccedebant denique quamplures
39 Visitationes Ordinariorum exhibitæ per eumdem Octavium; Hæ etenim, ut moris est, statum hujusce Ecclesiæ Sanctæ Agnetis describentes pertinentiam Iurispatronatus super præfata Ecclesia qualificant cum dominio DD. Vicecomitum loci *di Somma*, quantum verò deferendum veniat consimilibus visitationibus Ordinariorum, nemo non scit ex ea firmissima præsumptione, quæ stat pro sedula recognitione, & assertione Ordinarii, juxta sæpius affirmata, & signanter *in decis. 563. num. 12. & dec. 689. num. 6. coram Merlin. dec. 29. num. 11. coram Ubald. decis. 229. num. 1. coram Coccin. decis. 318. num. 19. coram Priol. decis. 97. num. 3. coram Emerix Iun. decis. 162. num. 7. part. 12. & decis. 219. num. 19. part. 16. Recent.*

Absque eo, quod ad elidenda hæc fundamenta, quæ non levem vim faciebant apud Dominos videretur obsistere, quod sub anno 1649. in quodam procuræ mandato dictum appareret, Præposituram esse de Iurepatronatus *aliquorum ex Condominii dicti loci di Somma*, quasi verò talis dictio *aliquorum* excluderet omnimodam dependentiam ab ipso Condominio, & Universitate Feudali, nam præterquam subinde adjungitur *ex fundatione, & dotatione, seu ex antiqua consuetudine, & ex aliis antiquis suis Iuribus pertinet, & spectat*, Ideoque nulla ad tenorem ejus-
40 dem mandati capi potest perfecta qualificatio, & restrictio ad unum titulum præcisum, adhuc potius de natura hujus dictionis: *Aliquorum*, quæ æquipollet alteri *quorundam*, vel *nonnullorum*, non excluditur universalitas personarum *ad Gloss. in Clement. Secunda in verb. Earum parte de for. compet. & final. in cap. Si potest de rescript. in 6. Fusar. cons. 145. num. 26. cum aliis latè per Barbos. dict. 22. qui vix sub num. 13.* in sua subjecta materia fatetur eamdem dictionem aliquando esse diminutivam.

Quoties itaque substitisset, quod vel Juspatronatus foret hæreditarium, vel dependens à Feudo, seu Condominio, res, ut diximus, erat expedita contra Octavium non habentem pro se, nisi tertiam ratam, sive hæreditariam, sive Feudalem existentem penes DD. de Cusanis, quapropter Defensores ejusdem Octavii toti nitebantur asserere, quod hoc Iuspatronatus existeret gentilitium, seu rectius familiare descensivum, non enim poterant re vera firmare, quod foret gentilitium in ejus magis propria agnatitia significatione, stante diversitate familiæ contra rigorosam significationem appellativi gentilitii, de qua in proposito *Anton. Maceraten. var. resolut. lib. 1. resolut. 60. numer. 19. Ciarlin. controvers. forens. lib. 1. cap. 1. num. 18. & lib. 2. cap. 119. nu. 60. & cap. 220. num. 30. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 11. num. 10. Vivian. de Iurepatr. par. 1. lib. 1. cap. 3. num. 29. Card. de Luca eodem tract. disc. 22. num. 10. versic. E' conversò.*

Ast posita etiam hac qualitate familiari descensiva in magis amplo desumpto vocabulo, quemadmodum in suis casibus admisit, sive notavit, idem *Card. de Luca de Iurepatr. dict. disc. 22. n. 10. & disc. 60. num. 30. & seq.*

Nusquam tamen evadere poterant mix-
41 turam qualitatis hæreditariæ, vel Condominii requisitæ in præsentantibus, non tantum habita semper præ oculis diremptrice omnium ambiguitatum observantia, per quam, uti demonstravimus, nullus dabatur casus, quo alii non Condomini loci *di Somma* per imaginationem usquam præsentaverint, sed etiam quia percurrendo omnia, & singula munimenta alla-

allata per Octavium, tantum aberat, quòd ea possent contraponi divisioni clarissimæ anni 1484. & confessioni litterali Joannis Baptistæ filii Principvallis sub anno 1528. quin etiam rectè compatiebantur, erantque inseparabilia à toties enunciato titulo hæreditario, vel Condominii, Breve siquidem *sa. mem. Nicolai V.* ubi quoque una cum altero Confirmatorio *Sixti IV.* fuisset attendibile, tribuebat quidem Jus præsentandi Francisco, & Guidoni, eorumque Descendentibus, sed primò suppositâ, atque narrata qualitate Dominicali loci *di Somma*, incipit enim idem Breve Nicolai V. *Franciscus I.V. Doctor, & Guido Miles Vicecomites, & Domini Terræ, & Castri di Somma*, finaliter autem concessit Juspatronatus, sunt vèrba præcisa: *præfatis Domicellis, ac eorum Descendentibus* longè autem post *Sixtus IV.* Confirmando Breve Nicolai adjunxit illa verba: *Guidoni, & Francisco, ac eorum hæredibus in perpetuum*; Quamobrem incontrovertibile reddebatur, quod sive uno, sive altero Breve perspecto, neutiquam sola qualitas descendentiæ remanserit per Pontifices considerata, junctim quippe, vel illa dominii loci *di Somma*, ut in Breve Nicolai, vel illa hæreditaria, ut in Breve Sixti copulativè desideraretur secundum ea, quæ quotidie practicantur in omnibus Iuribus patronatus mixtis ex adductis *per Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 11. num. 41. & seq. Lambertin. de Iurepatronat. lib. 1. par. 2. art. 8. quæst. 2. num. 1. & sequent. Card. de Luca eodem tract. disc. 30. sub num. 1. vers. Respondi, & num. 2. in addit. ad decis. 38. num. 28. coram Me Rot. decis. 3. num. 9. coram sa. mem. Alex. VIII. & decis. 367. numer. 11. coram Emerix Iun.*

Cum igitur lucidissimè effulgeret, DD. de Cusanis tàm ponderata qualitate hæreditaria, quàm habita consideratione ad Condominium, nonnisi ad terminos præfatæ divisionis anni 1484. pollerent alia, quàm tertia parte utriusque tituli hæreditarii, vel feudalis, palam sequebatur, quod etiam data paritate unius ex qualitatibus, scilicet Descendentiæ inter DD. de Cusanis, ac DD. Vicecomites, hi merebantur anteponi, veluti in altera necessariò requisita qualitate præpollentes, adeout de rigore totum exercitium vocum patronalium de Jure censeretur inesse integraliter apud DD. Vicecomites secum ferentes duas ex tribus partibus tam unius, 42 quàm alterius qualitatis; minor etenim pars in Jure præsentandi, adeò suffocatur à majori, ut penitus censeatur absorpta ab eadem majori, sicuti demonstrat, *Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. gloss. 45. num. 61. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 11. n. 135. & 136. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. numer. 225. Cardin. de Luca de Iurepatron. disc. 32. num. 6. & 7. & disc. 61. num. 20. Rota decis. 285. num. 6. infine, par. 5. decis. 153. num. 4. par. 18. Recen. & in Pampilonen. Parochialis 6. Martii 1702. §. Sed, & bina coram Me.*

Diximus, quatenus unum, vel alterum Breve foret attendibile, quoniam jam vidimus, quod Breve *Sixti IV.* erat simpliciter Confirmatorium, ac restaurativum præcedentis *Nicolai V.* ac propterea cum prælaudatum Breve *Nicolai V.* præ cæteris injungeret, quod institutio ad limites concessi Iuris præsentandi ad *solum Romanum Pontificem* (sunt ipsa verba) spectare, ac pertinere deberet, nunquam autem appareret, quod institutio fuerit expetita, & obtenta à Romano Pontifice, Domini valdè ambigebant, an ullum desuper posset stabiliri fundamentum ratione inobservantiæ, quæ vim adimit quibuslibet 43 indultis, & concessionibus *Barbos. de Episcop. par. 2. allegat. 26. num. 11. & seq. Card. de Luca de Paroch. disc. 25. num. 4. Rot. decis. 175. num. 8. & 9. & decis. 229. num. 2. coram San. mem. Alexand. VIII. & decis. 1206. numer. 7. coram Emerix Iun.*

Validius verò, nam etsi supra dixerimus non fuisse necessarium, quod divisio consecutivè ad dominium Castri roboraretur Apostolica confirmatione, ad effectum ne per hoc transitus cum Universitate Feudali per exactissimam observantiam demonstratus valeret elidi, nihilominus retenta eadem positiva observan- 44 tia, non erat abs re, sive nullibi implicabat, quod successivè, & post prædicta Brevia Nicolai, & Sixti interveñerit aliud Breve, seu diploma Pontificium confirmatorium subsecutæ Divisionis de anno 1484. per ratas merè Feudales, seu Condominii,

cum

cum in longè minori spatio, quàm duorum seculorum, & ultra facilè præsumatur quodlibet opportunum Beneplacitum intercessisse, prout concomitante observantia tradiderunt, *Gratian. discept. for. cap. 867. num. 50. & cap. 893. numer. 17. Maresc. var. resol. cap. 13. lib. 1. num. 9. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. glos. 12. num. 76. & seqq. Cravett. de antiquit. tempor. par. 3. cap. 2. num. 26. Rot. decis. 803. numer. 15. coram Emerix Iun. decis. 155. num. 8. & 9. par. 16. decis. 46. num. 8. par. 17. dec. 533. num. 17. par. 19. tom. 2. Recent. & in Spoletana Primitiarum 18. Aprilis 1698. §. Absque eo quod coram Me hodie impressa decis. 39. num. 12.*

Et sanè adeò fortis emicabat hujusmodi observantia, ut licèt supponerent Informantes pro Octavio, quòd ad ostendendam qualitatem gentilitiam, seu familiarem satis essent præsentationes factæ de annis 1650. 1668. & 1683. eædem tamen positivè qualificabantur, sive communiebantur cum memorata assertione Condominii, ut ex præsentatione anni 1650. & ex ipsa Sententia, *omnes ex Condominis loci Sommæ*, quod & replicatur in aliis præsentationibus, nempe anni 1668. ibi: *omnes Condomini Burgi Sommæ, & litt. H.* ibi: *omnes ex Condominis dicti Burgi Sommæ*, ac demum de anno 1683. ibi: *omnes ex DD. Condominis dicti Burgi Sommæ*, ideoque dum non sola qualitas filiationis, seu Descendentiæ fuit enunciata, ac justificata, sed expressa, & comprobata tam in illis de Familia DD. Vicecomitum, quàm in illis de Familia DD. de Cusanis prærogativa Condominii, reincidebant omnia superiùs ponderata
45 pro mixtura qualitatis, sicuti præter allegatos ponderando consimiles præsentationes mixtas, seu mixtam qualitatem præseferentes animadvertere *Paris. consil. 48. num. 9. lib. 4. Cardin. de Luca de Jurepatr. disc. 24. num. 9. Rot. decis. 267. num. 3. par. 6. decis. 223. num. 16. par. 19. Recent. & in Romana, seu Parmen. Iurispatronatus 13. Decembris 1700. §. Quia tamen coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano.*

Huc usque proinde casus videbatur planus, sed neque deerat, qui adjungeret, quod etiam ad abundantiam præscinendo ab hisce qualitatibus sive simplicibus, sive mixtis, tituli nempe hæreditarii, ac Condominii, & procedendo quoque, quòd jus præsentandi ad tenorem Bullæ *Nicolai V.* aliàs ut supra inobservatæ, reservatum existimari deberet favore Descendentium à Francisco, ac Guidone de primordiali Familia DD. Vicecomitum, non per hoc Octavius erat in probatis circa
46 narratam medietatem vocum patronalium, distinguendum quippe videbatur, quòd aut agitur de Iurepatronatus competente alicui Familiæ in genere, & tunc sanè nulla intrat distinctio portionum, stirpium, aut ratarum, sed atrenduntur capita, & voces præsentantium ejusdem Familiæ, itaut habens pluralitatem vocum per modum Collegii, dicatur habere totum Collegium totam vocem secundum affirmata, *per Vivian. de Iurepatr. lib. 4. cap. 2. numer. 28. & seqq. Card. de Luca eodem tract. disc. 54. num. 5. & 6. Rot. decis. 82. num. 8. & 9. par. 7. Recent.* cum aliis *in Cracovien. Scholastariæ 16. Iunii 1698. § Cum enim, & seq. coram Me hactenus impress. decis. 52.* & hic erat casus in altera *Mediolanen. Prioratus de Mantegatiis*, de qua 11. *Decembris 1699. & 15. Februarii 1700. coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano, 25. Iunii ejusdem anni coram Me*, 14. *Februarii 1701. & 18. Iunii 1703. coram R. P. D. meo Scotto.*

47 Aut verò agitur de Jurepatronatus, prout hic, reservato aliquibus nominatis in ipsa reservatione, & concessione, eorumque Descendentibus in perpetuum, eo profectò casu, unusquisque nominatus constituit propriam lineam, etsi reducatur, ut ad præsens, Juspatronatus in personam tantummodò unius, videlicet Guidonis, in his utique terminis quot sunt filii relicti ab ipso nominato, aut in quo tota vox resedit, tot censentur esse stirpes, ac voces subalternantes ad ea, quæ bene perpenduntur *per Vitalin. in Clement. Plures sub num. 42. in fin. de Iurepatr. Spad. consil. 9. num. 5. lib. 3. Tondut. quæst. Benefic. par. 1. cap. 32. num. 5. 7. & 8. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 11. n. 124.*

Quapropter ad rem applicando, cum Guido quinque filios reliquerit, duove cesserint eorum Jura tribus aliis superstitibus, videlicet Antonio, Theobaldo, &

Princivalli, absonum erat prætendere, quòd DD. de Cusanis descendentiam sumentes à linea prædicti Princivallis habeant eamdem æqualitatem cum DD. Vicecomitibus à duobus stipitibus respectivè descendentibus, Antonio, scilicet, & Theobaldo, sic etenim dividitur quælibet successio etiam Fideicommissaria, & vocativa Descendentium ex traditis per *Rot. decis. 342. num. 3. par. 12. & decis. 163. in princip. & num. 6. par. 15. Recent.* Successionem etenim in Iurepatronatus regula-
48riter fraternizare, nec dirigi à forma Successionis Fideicommissariæ plenè firmatum fuit *in Auximana Iurispatronatus 27. Iunii 1701. §. Quoniam, & in Aretina Beneficii 23. Aprilis 1703. §. Quod autem in fin. coram Me.*

Cæterum ne quid deesset ad omnem ulteriorem trutinationem hodiernæ controversiæ, posito etiam, quòd contra superiùs insinuata supponendum foret, quòd exercitium hujusce Jurispatronatus spectaret ad utramque Familiam DD. Vicecomitum, & de Cusanis indiscriminatim, ac per modum Collegii, ac Familiæ, Domini nihilominùs maturè rimantes singula suffragia, adinvenere quidem, quòd uterque ex Collitigantibus numericè, & materialiter exhibebat ad sui favorem vota æqualia, idest sex præsentantes tam ab una, quàm ab altera parte, sed postmodum appensa in lance Justitiæ defecit unum numeratum ab Octavio, videlicet alter Octavius, veluti professus Re-
49ligionem Sancti Benedicti in Monasterio Sancti Simpliciani, stante quippe hac professione, per quam in Domino deperdiderat velle, & nolle, ut inquit *Bonifac. VIII. in cap. Si Religiosus num. 5. de Elect. & Elect. potest. in 6. & in cap. Religiosus 2. de Testam. eodem lib. 6.*

50 Profectò vox hujusce Religiosi non poterat explicari per ipsum solum Religiosum, sed tantummodò per ejus Monasterium, (quod in casu nostro non intervenerat,) ex quo tam præcitata voluntas Monaci Professi, quàm omnia illius Jura activa, & passiva transitum faciunt in Monasterium, cui proinde, & non Religioso professo competit jus præsentandi, sicuti quidquid male distinguentes inter bona temporalia, & Iura Sanguinis opinati fuerint *Pignatell. consult. Canon. 82. num. 112. & seq. tom. 9. Pasqualig. quæst. Moral. Canonic. quæst. 16. per tot.* solidè demonstravit *Sanchez ad præcepta Decalog. lib. 7. capit. 14. num. 7. Vivian. de Iurepatr. lib. 4. cap. 3. num. 27. Ciarlin. controv. for. 225. à num. 4. usque ad num. 24. Lezzan. in Summ. quæst. Regul. tom. 1. par. 2. cap. 11. num. 15.* & firmavit Tribunal *coram Seraphin. decis. 1361. num. 4. & coram Emerix Ian. decis. 830. num. 6.*

Et quidem, ut præmisimus, malè distinguere visi sunt prænominati *Pignatellus*, & *Pasqualigus*, procedentes cum exemplo Juris doctorandi, vel cum præmissa ratione Jurium Sanguinis remanentium penes Religiosum, quia certè jus doctorandi non potest residere penes Monasterium, utpotè corpus inanimatum, sed necessariò manet apud Religiosum actu docentem, vel legentem in aliqua Universitate tamquam membrum ipsius Universitatis, quale effectum fuit de explicita, vel implicita licentia Superioris, ac
51Monasterii; & ipso quòd Professus extitit permissus legere, ac docere in aliqua Universitate, jura verò Sanguinis utique per professionem non avelluntur à Monaco, ut etiam uberrimè dictum fuit *in decis. 34. & 35. post Censal. ad Peregrin. de Fideicom.* sed punctus stat, an hæc Jura Sanguinis valeant exerceri per solum Religiosum, quod sanè repugnat rationibus antedictis, itaut quoties Monasterium foret incapax, jus præsentandi potiùs pertineat ad alios Successores, quemadmodum progrediendo cum terminis Fideicommissariis, illosque applicando Iuripatronatus post *Bald. Felin. Alciat.* & alios dixit *Rot. decis. 336. num. 8. & 9. par. 5. Recent.*

Quin adjuvaret Octavium præsentatum, quòd alter Octavius ut supra, eum præsentans, reperiretur quoque Prior Monasterii Sancti Simpliciani de tempore factæ præsentationis; unde reduplicando personam copulativè valuerit nomine proprio authorizare ipsam præsentationem à semetipso, tum quia illius præsentatio nullam mentionem facit hujus reduplicationis, sed demonstrativè dumtaxat meminit Dignitatis suæ Prioralis, ideoque esto quòd potuisset eamdem præsentationem autho-

authorizare, ac explere tamquam Prior, dum hoc effectivè non explevit, ſuccedebat regula, *quod potui nolui*, de qua *Surd. conſ.* 251. *num.* 36. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 809. *numer.* 12. *Cancer. var. reſolut. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 155. *Card. de Luca de Benef. diſc.* 30. *num.* 20. *Magon. deciſ. Florent.* 2. *num.* 14. *Rot. deciſ.* 180. *num.* 18. *par.* 18. *Recent. & in Leodien. Monaſterii* 4. *Iulii* 1698. §. *Quoniam coram Me hodie impreſſ. dec.* 61.

Tum etiam quia valde ambigendum
52erat, an etiam ubi voluiſſet tamquam Prior authorizare ſuum Ius, illudque exercere id potuerit, cùm omnia Jura vetent quempiam in materiis authorizativis poſſe ſulcimentum præbere ſibi ipſi ex Collectis in propoſito per *Alex. conſil.* 106. *per tot. vol.* 1. *Barboſ. de Iur. Eccleſ. univ. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 11. *Vincent. de Franchis deciſ.* 14. *num.* 2. *Rot. coram Buratto dec.* 44. *num.* 3. *ibiq; Adden. litt. A. & poſt modern. Aſculan. ad Stat. Urb. deciſ.* 158. *n.* 6. 11. *& ſeq.*

Tum & denique, quia ubi actus exer-
53ceri debet per Monaſterium ſatis non eſt ſimplex authoritas Prioris, vel Abbatis, qui tantummodò eſt caput Monaſterii, ſed requiritur interventus, ſive conſenſus majoris, ac ſanioris partis Capituli quemadmodum in ſpecie *Barboſ. in cap. Ea noſcitur num.* 2. *de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. Capit. Ciarlin. controv. for. lib.* 3. *dicto cap.* 225. *num.* 24. *& ſeq. Sanchez in præcept. Decalog. lib.* 7. *cap.* 14. *numer.* 7. *Lambertin. de Iurepatr. lib.* 2. *parte prima quæſt.* 2. *art.* 12. *numero primo, & per tot. Vivian. eodem tractat. libr.* 5. *capit.* 3. *numero* 27.

Comperto igitur, quòd demptâ perſonâ prænominati Religioſi Octavius nequiret numerare niſi quinque ad ſummum ſuffragia DD. de Cuſanis, ex altero è converſo latere Antonii ſex recenſebantur ſemper excludentia ſuppoſitam medietatem ab eodem Octavio, haud relevante, quod delendum eſſet ab hoc ſenario numero ſuffragium Theobaldi filii Cæſaris, ex quo non poterat uno, eodemque tempore Cæſar Pater, & Theobaldus filius præſentare, quoniam oppoſitio, quæ fiebat adversùs hanc vocem, pugnabat cum refugio habito per Octavium, quòd nempe ageretur de Iurepatronatus familiari agnatitio, vel deſcenſivo, vel quòd non eſſent tripartita ſuffragia, ſeu lineæ in filios Theobaldi, nam, ut præmiſimus ad abundantiam procedendo cum hypotheſi ejuſdem Octavii, videlicet quòd non eſſet dirimenda quæſtio per ſtirpes, ſed per capita, ut omnes deſcendentes primordialiter à Guidone conſtituerent unam lineam, quantumvis in plures ramos, ſeu Columnellos ſubdiviſam, clarè emicabat, quòd præſentatio facienda erat in capita tamquam membra æque conſtitutiva ejuſdem corporis Collegiativi deſcendentiæ, ut ex doctrina *Alex. de Nevo conſil.* 63. *num.* 2. *& 3. Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 123. *cum aliis*, concludit ſtans pro
54unicitate lineæ contra ſuperiùs animadverſa idemmet *Card. de Luca diſc.* 33. *per tot. & ſignanter num.* 4. *& 5. de Iurepatr.* & generaliter, quòd in Jurepatronatus gentilitio filii admittantur ad præſentandum cum Patre tritum eſt, & uberrimè oſtenſum fuit *in præcitata Mediolanen. Prioratus* 15. *Februarii* 1700. *coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano* 25. *Iunii ejuſdem anni coram Me*, 14. *Februarii* 1701. *&* 18. *Iunii* 1703. *coram R. P. D. meo Scotto*.

Robuſtiùs autem quia præfatus D. Theobaldus Maria Vicecomes, ſive illius Procurator aſſeruit, ſe ſe deveniſſe ad præſentationem tamquam hæres Patruorum ex aliis Iuribus, ac titulis, ac denique ex antiqua poſſeſſione, ſeu quaſi, in qua reperiebantur iidem Patrui, proindeque ad omne, ut dicitur, pejus intrabant termini celebris *cap. Conſultationibus de Iurepatr.* nempe quòd cùm idem Theobaldus Maria explicitè præſentaverit tamquam hæres ſignanter Galeatii Mariæ ejus Patrui vigore præcedentis quaſi poſſeſſionis, non poterat in præſenti rejici ejus præſentatio, ſub prætextu, quòd etiam Marchio Cæſar illius Pater præſentaverit, quidquid enim dicendum fuiſſet, quando quæſtio fuiſſet circa pertinentiam, profectò non erat diſcurrendum de viribus hujus quaſi poſſeſſionis in hodierno Judicio vertente ſuper
55inſtitutione inter præſentatos, quæ ipſa ſola quaſi poſſeſſione contentatur ad ſæpius ſtabilita in Sacro Auditorio, & præſertim *in deciſ.* 115. *nnm.* 19. *coram Priolo*

decis. 181. *num.* 18. *par.* 19. *Recent. in dicta Mediolanen. Prioratus* 15. *Februarii* 1700. §. *Idque coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano, & 14. Februarii* 1701. §. *Cum enim coram R. P. D. meo Scotto, in Lucana Beneficii* 21. *Martii* 1703. §. *Iterum coram R. P. D. meo Muto, & in Aretina Beneficii* 23. *Aprilis ejusdem anni* §. *Cum etenim coram Me.* Etiam respectu hæredis ex persona ejus Auctoris existentis in præfata quasi possessione præsentandi *eadem Rot. decis.* 31. *num.* 8. *coram Celso decis.* 374. *num.* 24. *par.* 11. *Recent. in dicta Mediolanen. Prioratus* 15. *Februarii* 1700. §. *Ad patefaciendam coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano, & 14. Februarii* 1701. §. *Quoniam coram R. P. D. meo Scotto.*

Hisque præsuppositis Domini non cen-
56 suerunt immorandum esse super novissima exceptione relata per defensores Octavii, quòd nempe DD. Vicecomites devenerint ad præsentationem Antonii post lapsum quadrimestris, unde nequiverit eadem præposterа præsentatio vim aliquam habere in præjudicium ipsius Octavii legitimè jam præsentati intra prædictum quadrimestre, resistente præfinitione sancita Laicis Patronis *in cap. unic.* §. *Verum de Jurepatr. in 6. de qua Corrad. in prax. Benefic. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 63. *Antonell. de temp. legal. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. *Amayden. de styl. Datar. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 23. *Cardin. de Luca de Jurepatr. disc.* 59. *numer.* 19. *& disc.* 64. *num.* 3. *Rot. decis.* 796. *num. primo, & decis.* 1289. *num.* 23. *coram Coccin.*

57 Hæc siquidem exceptio locum sibi de plano vindicasset, quoties iidem DD. Vicecomites ante defluxum prædicti quadrimestris non supplicassent, & obtinuissent à Sancta Sede legitimam prorogationem, sed præambulè, ac providè obtenta tali prorogatione, de qua idem sane erat in tempore præsentasse, vel in tempore à Papa habente supremam potestatem Canonicè prorogato, ut generaliter habetur, *apud Beroa cons.* 156. *num.* 1. *lib.* 3. *Spad. cons.* 72. *num.* 5. *lib.* 3. *Episcop. Rocc. disp. jur. select. cap.* 89. *numer.* 3. *Rot. coram Priol. decis.* 83. *num.* 26. *in Recent. dec.* 505. *num.* 1. *in fin. par.* 3. *& decis.* 180. *num.* 25. *par.* 18. & magis ad rem eadem *Rota decis.* 114. *num.* 14. *coram Cerro, & dec.* 74. *num.* 25. *par.* 16. *Recent.*

58 Replicatio tandem, quòd hujusmodi prorogatio valeret reputari inefficax, & subreptitia, ex quo DD. de Cusanis nedum præcedenter juridicè præsentassent, sed etiam Octavius ab illis præsentatus usque sub *die* 23. *Junii* 1700. reportasset litteras, quas nuncupant *pro præsentato*, quantumvis hæ litteræ in assueta formula *ratione congruit* remanserint expeditæ tantummodò sub *die* 25. *Augusti ejusdem anni*, quapropter si Papa certior ab Antonio, sive DD. Vicecomitibus fuisset effectus de hac intermedia præsentatione, & gratia, vel absolutè denegasset memoratam prorogationem, vel eam difficilius concessisset, quod exuberat ad finem inducendi subreptionem ex Juribus adductis *per Cravett. cons.* 68. *numer.* 5. *Peregrin. cons.* 78. *num.* 11. *lib.* 1. *Lotter. de re Benefic. lib.* 3. *quæst.* 11. *num.* 56. *Ros. de execut. litter. Apost. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 45. *& seq. Rot. decis.* 186. *num.* 1. *par.* 16. *dec.* 41. *num.* 6. *& decis.* 159. *num.* 3. *par.* 18. *Rec. in Leodien. Canonicatus* 4. *Iulti* 1698. §. *Quo verò coram Me hactenus impress. decis.* 62. *& in Cracovien. Canonicatus* 13. *Iunii* 1701. §. *Opponebatur pariter coram Me.*

Facili negocio retundebatur, quia in hac materia subreptionis, vel obreptionis unicè spectatur, an ex tacita veritate, aut exposita falsitate præjudicium aliquod oriatur ipsi concedenti, vel tertio, cessante enim præjudicio alterutrius nusquam reputatur, quòd Pontifex se se à gratia retraxisset, idque pariformiter superabundat ad infringendam quamcumque notam subreptionis, & obreptionis, ut videre est apud *Felin. in cap. Super litteris num.* 8. *de rescript. Ferret. conf.* 229. *num.* 4. *lib.* 1. *Modern. Lucen. consult.* 501. *num.* 9. *Rota decis.* 800. *numer.* 11. *coram Ubaldo, decis.* 488. *num.* 10. *coram Cerro decis.* 357. *num.* 4. *par.* 12. *decis.* 769. *num.* 11. *par.* 18. *& decis.* 647. *sub n.* 51. *vers. Prout par.* 19. *Recent.*

Applicando autem ad rem, nullum utique præjudicium resultabat Papæ concedenti prorogationem, quia adhuc terminus ad præsentandum perdurabat, & de jure devolutio, si quæ contigisset, spectasset ad Archiepiscopum Mediolani, non

autem

autem ad Sanctam Sedem secundùm sancita *in decis.* 195. *numer.* 2. *coram Coccino*, *decis.* 392. *num.* 4. & 5. *coram Celso*, *decis.* 180. *numer.* 3. & 4. *par.* 18. *Recent.* & uberius reassumpta, & examinata *in Forolivien. Canonicatus Theologalis* 25. *Iunii* 1700. *coram Me*.

Quo verò ad DD. de Cusanis, & Octavium eorum præsentatum, nonne illorum vox erat infra medietatem ex supradictis, ipsequemet Octavius in suis litteris obtentis pro Præsentato narraverat medietatem dumtaxat in controversa præsentatione reportasse? proindeque quemadmodum jus DD. de Cusanis, ac eorum præsentati manebat in pendulo, donec supervenirent necne intra legitimum tempus cum præsentationes DD. Vicecomitum; ita sicuti DD. Vicecomites valuissent post præsentationem Octavii, ejusque litteras, exhibere præsentationem alterius, cùm eorundem DD. Vicecomitum Juri nequaquam Papa intellexerit præjudicare, nisi quatenus Octavius ad sui favorem numeraret medietatem vocum, qui intererat in hoc pendulo, an DD. Vicecomites actu præsentarent, vel prorogationem à fonte omnium Gratiarum Papa consequerentur secundùm ea, quæ perbellè ratiocinatur *Pax Jordan. de re Benefic. tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 7. *sub num.* 346. *vers. Ex eo autem*, ubi inquit *non esse necessariam citationem Compatronorum, aut competitorum in concedenda dilatatione, cum non agatur de præjudicio illorum, & concessio fieri possit ipsis invitis*, idem quippe est, ut præmisimus, in tempore præsentare, vel præ-
59 sentare in tempore prorogato per Superiorem ex vi ipsius prorogationis, circa quam in fortioribus plenè liquet penes *Rebuff. in prax. Benefic. tit. de publican. resignat. gloss.* 13. *num.* 5. *Paris. de resignat. Benefic. lib.* 10. *quæst.* 7. *num.* 68. *versic. Limita secundo, & numer. seqq. Rota decis.* 154. *numer.* 8. & 9. *coram san. mem. Alex. VIII. decis.* 91. *num.* 8. *par.* 4. *tom.* 2. *decis.* 63. *num.* 12. *par.* 6. *decis.* 14. *num.* 14. *part.* 10. *decis.* 357. *numer.* 2. *& sequent. part.* 12. & *decis.* 491. *numer.* 8. *part.* 18. *Recent.*

Amaritudo namque stetisset, quando defluxo jam quadrimestri, firmatoque Jure in Octavio per negligentiam Compatronorum in præsentando, mediante illa consolidatione, seu Jure non decrescendi, quod datur in Jurepatronatus *Lambertin. de Iurepatr. artic.* 5. *quæst.* 4. *par.* 2. *lib. primo*, *Vivian. eodem tractat. lib.* 14. *cap.* 2. *numer.* 41. *Bellon. de Iure accresc. cap.* 6. *quæst.* 48. *num.* 3. & *seqq. & signanter sub num.* 28. & *seqq.* DD. Vicecomites supplicassent, & Papa concessisset prorogationem, quia tunc fortè præjudicasset juri quæsito per legitimè intra tempora præsentatum; sed cum ob durationem termini ad præsentandum tractaretur de eventuali jure quærendo, Gratia Papæ in his terminis semper subsistit, immo omnia volumina sunt plena, quòd minimè oporteat exponere præjudicium, seu majus non lucrum purè eventuale, ac consecutivum juxta passim affirmata per *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 45. §. *primo*, *num.* 48. *Amostaz. de Causis Piis lib. primo*, *cap.* 14. *num.* 12. *Rota in recent. decis.* 267. *numer.* 12. & 13. *part.* 15. *coram Emerix Iun. decis.* 1137. *num.* 19. & *in Romana*, *seu Ianuen. Legati prima Iulii* 1697. §. *Verò in fine*, *coram R. P. D. meo de la Tremoille*.

Subsistente itaque præsentatione Antonii veluti intra tempora Canonicè prorogata, & comperto, quòd semper, & infallanter, sive censendo Juspatronatus, de quo agitur, hæreditarium, sive annexum Feudo, sive mixtum, sive etiam descensivum, sive etiam enumerando voces in capita simplicia ad intentum Octavii, neutiquam is abscribere valeat medietatem ad sui commodum, ruebat ad oculum fundamentum ejus gratiæ derogatoriæ, ac proinde Domini, ut ab initio præmisimus, pro institutione Antonii, & in executionem litterarum Octavii concorditer responderunt, utrâque ex partibus acerrime informante.

A R-

ARGUMENTUM.

Patronus, qui post datum mandatum Procuræ ad præsentandum, donat alicui Juspatronatus, per hujusmodi donationem non censetur revocare mandatum Procuræ.

SUMMARIUM.

1 *Patronus, qui post factum mandatum ad præsentandum, donat Juspatronatus, per hujusmodi donationem non dicitur revocare idem mandatum. Amplia, ut num. 3. & 5.*

2 *Ius præsentandi per donationem non transfertur privativè, sed cumulativè cum donante.*

4 *Patronus Ecclesiasticus non potest cumulativè variare.*

CASUS IV.

QUidam Patronus dedit uni mandatum Procuræ ad præsentandum ad Beneficium vacans, & immediatè post donavit Jus præsentandi personæ Ecclesiasticæ; habens mandatum Procuræ præsentavit Titium; Illa verò Persona Ecclesiastica Donataria postea præsentavit Cajum. Quæritur. Quis ex his duobus instituendus est ab Episcopo?

Pro cujus resolutione censeo de Jure respondendum, quòd in hoc Casu sit instituendus ab Ordinario Titius ad exclu-
1 sionem Caii præsentati à Donatario; quia Patronus qui post factum mandatum ad præsentandum donat Juspatronatus, non dicitur revocare mandatum ad præsentandum, sed transferre proprietatem Juris-patronatus in perpetuum favore Donatarii, immo per donationem censetur trans-
2 latum Jus præsentandi non privativè, sed cumulativè cum Donante, cujus proinde præsentatio, seu mandatum non censetur revocatum *conf. Decii* 542. de quo late *Gonzal. ad regul.* 8. §. 2. *Proœmial. num.* 32. *Rota decis.* 385. *num.* 8. *part.* 1. *Diversor.* & meus Advocatus Pitonius *discept. Ecclef. quarta, sub num.* 65. *par. prima*. Eoque magis, quia Procurator non fuit
3 intimatus, neque denunciatus de aliqua revocatione ad *Text. in Clem.* 1. *de renunciat. Lambertin. de Iurepat. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 4. *art.* 14. *num.* 4.

Unde persona illa Ecclesiastica Donataria, non poterat in hoc Casu præsentare Cajum nec privativè, nec cumulativè cum Titio, quia dictum Juspatronatus per donationem factam favore perso-
4 næ Ecclesiasticæ effectum est Ecclesiasticum, quod est talis naturæ, ut Patronus Ecclesiasticus non possit cumulativè variare, juxta *Vivian. de Iurepatr. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 27. & 28. sed solùm poterat adhærere præsentationi factæ per Procuratorem.

Quæ omnia fortiùs procederent si in-
5 mandato Procuræ ad præsentandum legeretur obligatio non revocandi Procuratorem, sed habere ratam, & gratam præsentationem faciendam ab eo. *Lambertin. de Iurepatr. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 7. *art.* 16. *num.* 4.

ARGUMENTUM.

Præsentatio facta cum pactis, & conditionibus contrariis dispositioni Juris est illicita, & Simoniaca. Renunciatio facta in manibus Patroni Laici est nulla.

SUMMARIUM.

1 *In præsentatione, aut collatione apponi non possunt pacta, & conditiones contrariæ dispositioni Iuris.*

2 *Pactum est illicitum, & Simoniacum, quando apponitur circa Spiritualia, vel Spiritualibus annexa.*

3 *Pactum*: Che il Canonico stando assente dalla Residenza per un' anno, s' intenda per la detta assenza da lui medesimo rinunciato il detto Canonicato: *An contrarietur Concilio Tridentino.*

4 *Appositio pacto in præsentatione cum conditione, quòd sit licitum, Præsentatio dicitur purè, & simpliciter facta,*

cta, quoties pactum est illicitum.

5 *Renunciatio Beneficii facta in manibus Patroni Laici, an sit nulla?*

6 *Nemo potest renunciare Iuri, quod non habet.*

7 *Præsentatio, aut institutio facta, lite pendente, est nulla.*

8 *Renunciatio quando est conditionalis favore certæ Personæ, non oritur vacatio Beneficii, nisi favore illius Personæ.*

CASUS V.

PAtronus Beneficii A. vacantis præsentavit ad illud Titium, hac tamen conditione adjecta in litteris præsentationis scilicet: *Con conditione però, che stando assente dalla Residenza per un' anno, s' intenda per la detta assenza da lui medesimo rinunciato il detto Canonicato, sicchè possa liberamente provedersi ad altra Persona*: Cum autem Titius abfuisset ultra annum à propria residentia; Hinc Patronus autumans Beneficium vacans ratione purificatæ conditionis prædictæ nominavit, & præsentavit ad illud Cajum cum eadem supradicta conditione; hac alia tamen clausula adjecta: *Apponendo le sudette conditioni alla presente nominatione ogni volta, che quelle siano lecite ad apporsi, e de Iure sostenghino, nè siano contrarie al Sacro Concilio Tridentino, e Costituzioni Apostoliche, & non aliàs &c.*

Hinc orta lite inter Titium, & Cajum super subsistentia utriusque præsentationis, Titius renunciavit Beneficio favore Sempronii; Quare Patronus prætendens dictum Beneficium vacans ex hujusmodi renunciatione, nominavit non quidem Sempronium, sed Paulum. Unde quæritur.

I. An nominatio, & institutio Titii facta ad Beneficium, de quo agitur, sustineatur? Et quatenus negative.

II. An, & quomodo sit admittenda nominatio Caii facta per Patronum, itaut debeat obtinere institutionem?

III. An attenta renunciatione dicti Beneficii facta per Titium favore Sempronii, lite pendente inter ipsum Titium, & Cajum, subsecuta Institutio respectivè in personam Pauli sustineatur?

In hac Causa scripsit in Sacra Congregatione Concilii D. Advocatus Pitonius Præceptor meus, qui in sua allegatione dicebat esse primum dubium negativè resolvendum, & eodem modo tertium, affirmativè verò secundum scribendo ad defensam Caii nominati per Patronum, juxta fundamenta, & rationes per ipsum latè deductas, quæ videri poterunt apud ipsum *in tractat. de Controvers. Patron. Allegat.* qùi nunc Parmæ imprimitur, ad quem lectorem remitto pro videndis rationibus ibi latius extensis.

Ego verò, qui incumbendo studiis dicti Advocati adhuc studebam contemporaneè in Sacra Congregatione Concilii, apud R. P. D. meum Petram occasione examinandi Causam, & videndi rationes hinc inde deductas feci meum votum, in quo; Ad primum negativè respondendum sentiebam, quia in actu præsentationis, & Institutionic Titii fuit appositum pactum, quod absente Proviso per annum, Beneficium intelligatur renunciatum, eo
1 ipso vacet, & possit alteri conferri; in præsentatione autem, & collatione Beneficii est prohibitum facere pacta, & conditiones, nec non conditiones apponere diverso modo ab eo, quo Sacri Canones, Constitutiones, & Tridentinum præscribit, & sunt *Text. in Canon. Quæsitum de rerum permut. & cap. final. de pact. Lambertin. de Iurepatr. par. 1. quæst. 9. art. 11. num. primo, & seqq. & lib. 2. par. 2. quæst. 9. art. 3. num. 3. 8. & 9. Fagnan. in cap. Nisi essent num. 19. de Præben.*

Ratio est, quia hujusmodi pacta sunt
2 illicita, & Simoniaca, quando apponuntur circa Spiritualia, vel Spiritualibus annexa, *Paris. de consid. quæst. 28. n. 189. & seqq. Lambertin. de Iurepatron. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 11. sub num. 3. Lotter. de re Benef. lib. 3, quæst. 29. num. 25. & seqq. Sanchez. consil. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 25.* maximè in Casu isto, ubi pactum
3 directè contrariatur Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. de Reform.* ubi in Casu absentiæ Canonicorum statuta fuit certa forma, cui nemo, nisi Papa derogare potest.

Ad secundum esse admittendam absque supradicta conditione Simoniaca, & illicita respondendum videtur, quia cum
4 ista conditio, seu pactum fuerit appositum

tum in præsentatione Caii cum conditione, quòd sit licitum, & non sit contrarium Concilio Tridentino, nominatio Caii dicitur facta purè, & simpliciter, & sine eadem conditione, quoties ista Concilio Tridentino adversatur *per Adden. ad Gregor. decis.* 417. *num.* 12. *Rot. in Lauden. Canonicatus* 3. *Martii* 1697. §. *Eoque certius coram Eminentissimo Cardinali Tremoille.*

Ad tertium negativè est respondendum, quia renunciatio facta à Titio est nulla, tum quia facta, lite pendente, *Lancellot. de attent. L.* 2. *cap.* 4. *Rota coram Bich.*
5 *decis.* 182. Tum etiam quia facta in manibus Patroni Laici, & in favorem Tertii, quando fieri debebat in manibus superioris Ecclesiastici, juxta *Text. in cap. Quod in dubiis de renunciat. ubi Panormitan. numer.* 6. *Paris. de resignat. lib.* 7. *quæst.* 9. *num. primo, Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 14. *num.* 2. *Verall. decis.* 192. *num.* 2. *par.* 2. *Barbosa de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *Rota in Parmen. Beneficii* 13. *Junii* 1701. §. *final. coram R. P. D. Scotto.* Et insuper
6 quia Titius non poterat renunciare, quia nemo potest renunciare Juri, quod non habet juxta *Text. in L. Nemo plus Juris ff. de regul. Jur. Paris. de resignat. lib. primo quæst.* 15. *num.* 9.

Et præsentatio, & Institutio facta in
7 personam Pauli sunt nullæ, utpote factæ lite pendente ad *Text. in cap.* 1. & 2. *ut lite pendente in* 6. *Rota coram Celsi. dec.* 369. *num.* 10. Et quia Titius renunciavit favore Sempronii, & tamen præsentatio, & institutio data fuit alteri diversæ personæ, & sic nulliter, quia quando renunciatio
8 est conditionalis in favorem certæ personæ, non oritur vacatio Beneficii, nisi favore illius personæ, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 14. *num.* 20. *Paris. de resignat. lib.* 10. *quæst.* 7. *num.* 22. & 23.

Sacra Congregatio die 3. Octobris 1711. in una Romana Nominationis ad Canonicatum, primum, & secundum dubium non resolvit; Ad tertium verò *Negativè* respondit. Reproposita Causa die 27. Augusti 1712. rescriptum fuit ad Primum: *Negativè*: Ad secundum: *Negativè*.

ARGUMENTUM.

Spectante Jurepatronatus ad Communitatem, à quibus fieri debeat præsentatio?

SUMMARIUM.

1 *Communitas aliquando gubernatur per Congregationem omnium de Populo, aliquando per Decuriones, & Regentes.*

2 *Omnes, & singuli homines Communitatis admittuntur ad præsentandum, quando Communitas regitur per Congregationem omnium.*

3 *Actus Juris, seu Jus præsentandi competit Communitati, uti Communitati, actus verò facti, seu præsentationis competit singulis de Communitate.*

4 *Minor Infante non est admittendus ad præsentandum, sed solùm ejus Tutor.*

5 *Extraneus, & qui non est de Communitate, non est admittendus ad præsentandum, limita, ut ibi, & numer.* 6.

7 *Decuriones, & Regentes Communitatis, an, & quando soli sunt admittendi ad præsentandum?*

8 *Communitas potest præsentare non solùm privativè, sed etiam accumulativè, sed intellige, ut ibi.*

9 *Competente Jurepatronatus Parochianis præsentati de Jure non est ab ipsis facienda Collegialiter, sed solum singulariter, secus de consuetudine, ut num.* 10. *& seq.*

12 *Hujusmodi consuetudo, ex quibus probetur.*

13 *Consuetudo, an, & quando probari debeat cum qualitate coactiva?*

14 *Quadrimestre an, & quando incipiat currere à die declaratæ, & acceptatæ nullitatis præsentationis?*

15 *Lite pendente inter præsentatos non est locus devolutioni, secus si lis sit inter Patronos.*

CA-

CASUS VI.

QUæro in hoc casu, à quibus fieri debeat præsentatio, quando Jus patronatus spectat ad Communitatem?

Pro cujus resolutione sciendum est Com-
1 munitates quandoque regi, & gubernari per Congregationem omnium de Populo, quandoque autem per Decuriones, aut Regentes, aut Antianos, aut Priores. Si Communitas regatur per Congregationem
2 omnium de Populo, tunc non soli Regentes, aut Priores, sed omnes, & singuli homines Communitatis sunt admittendi ad præsentandum, & præsentatio fieri debet ab omnibus de Populo, tam masculis, quàm fœminis, tam conjugatis, quàm non conjugatis, tam Patribus, quàm filiisfamilias, majoribus septennio, & omnibus, qui de Jure constituunt Communitatem. *Fælin. in cap. Cum omnes num. 46. de constit. Feder. de Sen. cons. 65. sub num. 1. & consil. 115. num. 9. Lambertin. de Iurepatron. lib. 2. par. 1. quæst. 1. artic. 6. & quæst. 2. art. 9. & lib. 1. par. 2. quæst. 2. art. 14. numer. 1. Paul. de citat. eodem tract. quæst. 1. princip. num. 3. ampliat. 3. Rocch. de Jurepatr. verb. Competens num. 18. Cardin. de Luca de Jurepatr. disc. 34. num. 12. Rota decis. 82. num. 10. part. 7. Recent. & in Bononien. Parochialis 26. Januarii 1711. coram Caffarello*, inferius registrata *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. quæst. 2. art. 9. num. 2. Rota decis. 295. numer. 6. part. 6. Recent.*

3 Ratio autem est, quia licèt actus Juris, seu Jus præsentandi non sit, nisi penes ipsam Communitatem, uti Communitatem, tamen actus facti, seu actus præsentationis competit singulis de Communitate, & est apud quemlibet singulariter de Communitate, sicuti in electione, licèt electio, seu Jus eligendi sit penes ipsum Capitulum, tamen actus electionis est penes ipsos de Capitulo, itaut omnes de Communitate in capita, non autem in stirpes sint admittendi ad præsentationem, & præsentare possint, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 7. art. 15. num. 20. & lib. 2. par. 2. quæst. 2. art. 13. n. 2. Vivian. eod. tract. lib. 4. cap. 5. n. 71. & lib. 8. cap. 2. n. 5. Rota decis. 82. n. 8. par. 7. recent.*

4 Cæterum minor infante, & sic septennio nullo modo est admittendus, aut vocandus ad præsentandum, sed solùm ejus Tutor, nisi malitia suppleret ætatem. *Lambert. de Jurepatr. lib. 2. par. 2. quæst. 2.*
5 *art. 13. num. 5. & seqq.* Sicuti nec extraneus, seu qui non est de Communitate, potest præsentare, nisi per illos de Communitate de communi omnium consensu fuerit admissus, cum illi de Communitate non possunt admittere ad præsentandum extraneum, nec in aliquem præsentationem compromittere, minore parte invita, seu uno tantum contradicente, quia hoc tenderet in eorum præjudicium, cum ex hoc diminuatur cujusque potestas, & vox cujusque debilior fiat, & sic cujuslibet interest, ne extranei, & forensici admittantur ad *Text. in cap. Scriptum de elect. ibique Abb. num. 3. & in cap. Quia propter de elect. Vivian. de Jurepatr. par. 2. lib. 8. cap. 2. num. 26. & seqq.*

6 Quod tamen procedit, quando illi de Communitate volunt extraneum habere vocem inter eos, secus quando extraneus veniret, ut procurator alicujus de Communitate, qui propter aliquod impedimentum non posset intervenire præsentationi Rectoris Ecclesiæ Patronalis, tunc enim sufficit majorem partem consentire, illum extraneum admitti loco impediti; quia hoc casu non agitur de diminutione vocis cujuscumque de Communitate, sed solùm tractatur de præjudicio Communitatis, cum huic interfit ne facta illorum intelligantur per extraneos. *Lambert. de Jurepatr. lib. 2. part. 2. quæst. 2. artic. 16. num. 3.*

Si verò Communitas regatur per De-
7 curiones, Antianos, Priores, Regentes, ex eo, quòd illi de Communitate soliti sint eligere Antianos, seu Priores, penes quos sit omnis Populi potestas, & tunc solùm isti repræsentantes Universitatem sunt admittendi ad præsentandum, dummodo sint majores 14. annis, & non pueri, nec mulieres, nec filii familias, *Lambert. de Jurepatr. lib. 2. par. 2. quæst. 2. art. 11. num. 1. & seq. & art. 13. num. 5. Vivian. eodem tract. lib. 8. cap. 2. num. 19. & seqq. Rota decis. 39. num. 12. par. 12. Recent.*

Ex his igitur omnibus colligitur, quòd spectante Jurepatronatus ad Communita-

tem, si ista regatur per Congregationem omnium, omnes de Communitate, si verò per solos Regentes, sive Antianos, isti soli possunt præsentare, & quidem non
8 solum privativè, & correctivè variando, scilicet non solùm possunt præsentare personam idoneam penitus recedendo à prima præsentatione, quando prima præsentatio fuit nulla, sed etiam accumulativè aliam personam cum prima accumulando, dummodo adsit consensus omnium de Communitate, aut omnium Regentium, dum major pars eorum de Communitate non potest accumulativè variare minori parte, vel etiam uno contradicente, juxta *Abb. in cap. Cum autem ibique Fagnan. de Jurepatr. Lambertin. de Jurepatron. lib. 2. par. 2. quæst. 2. art. 16. num. 7, quæst. 7, art. 22. num. 2.*

R. P. D.

CAFFARELLO

Bononien. Parochialis.

Lunæ 26. Januarii 1711.

ABsolutâ inter Assumptos Hospitalis Sancti Joannis Bononiæ, & Parochianos Ecclesiæ Sancti Laurentii Portæ Steriæ ejusdem Civitatis controversiâ super pertinentia Juris præsentandi pro hac vice ad præfatam Parochialem per obitum Bernardini Albani ultimi Rectoris vacantem, eâque ad tramites alternativæ Turnariæ favore Parochianorum definitâ per Rotalem Sententiam à R. P. D. meo Priolo latam, fuit insuper per decretum ad Partes demandata nova Rectoris electio ad formam Decisionis 2. Martii 1708. coram eodem præcedenter editę, declarantis nullam, tam nominationem Josephi Laurentii Bertocchii, in Rectorem ab Assumptis factam, & à nonnullis ex Parochianis postmodum approbatam, quàm alteram Antonii Bonini à cęteris Parochianis majorem partem constituentibus expletam; Adversus quod cum Boninus dumtaxat insimul cum dictis Parochianis eidem adhęrentibus, reclamaverit, & à Signatura Justitię appellationis Causam in suspensivo committi Mihi obtinuerit, subscripsi dubium: *An Decretum Rotale sit confirmandum, vel infirmandum, & danda Institutio Bonino*, quod licèt die 5. Maii anni pręteriti resolutum minimè fuerit, hodie tamen iterum exquisitis DD. suffragiis responsum accepi: *Decretum Rotale esse confirmandum*, atque per consequens dandam non esse institutionem Bonino.

Constitit namque dictam pręsentationem Bonini veluti non expletam à Parochianis collegialiter, & in unum convocatis, sed singulariter, & in diversis locis, seu ut dicitur ostiatim eorum suffragia ferentibus, *Summario primæ propositionis, num. 2.* salvari nequaquam posse à patenti nullitate, eo sub obtentu, quòd prę-sentatio collegialiter facienda veniat ab illis personis, quę de jure constituunt Collegium, qualis est Communitas Civitatis, Capitulum Canonicorum, vel alius similis Cętus personarum, quos terminos percutiunt *Fælin. in cap. Cum omnes n. 46. de Constitut. Federic. de Sen. consil. 65. sub num. 1. vers. Ad id, quod dicitur quarto loco, Cardin. de Luca discurs. 34. num. 12. de Jurepatron. Rota decis. 268. numer. 3. coram Mantic. decis. 91. numer. 7. coram Priolo decis. 565. numer. 1. coram Emerix Junior. Recent. decis. 295. num. 4. & 6. part. 6. decis. 302. num. 10. part. 7. & decis. 176. numer. 16. & 17. part. 12.* Secus verò à Parochianis, qui cum sint homines particulares, nullam notam Universitatis,
9 vel Collegii habentes, & ad eos propterea uti singulos, non autem uti universos tributum censeatur Jus nominandi, & præsentandi, ut tradit *Abbas consil. 76. n. 1. lib. 2. Calderin. consil. 9. num. 1. & 2. de Iurepatron. Lambert. par. 2. lib. 2. quæst. 2. art. 9. num. 5. de Jurepatronat. Gratian. discept. forens. 211. num. 7. Barbos. vot. decisiv. 125. num. 23. lib. 2. Tondut. quæst. Benefic. par. 3. cap. 169. num. 5. & 6. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 212. & seqq. Rota in Ipporegien. Parochialis 21. Junii 1700. §. In hypothesi coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano*, exinde inferebatur, quòd ritè, & rectè ad hunc præsentationis actum separatim devenire valuerint cæteris absentibus, nec vocatis,

ut

ut probat *Lambertin. de Iurepatr. lib. 2. par. 2. quæst. 2. art. 8. num. 11. & 14. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 222. & seqq. Tondut. quæst. Beneficial. par. 3. cap. 159. num. 3. & seqq. Rota decis. 1289. num. 10. coram Coccino.*

Quoniam istiusmodi discursus non so-
10 lùm in consequenti non relevabat attentâ consuetudine hactenus observata in contrarium urgente, juxta quam, quemadmodum omnes Homines hujus Parochiæ in præteritis vacationibus prævio sonitu Campanæ semper se congregarunt in Parochiali Ecclesia pro habenda novi Rectoris electione, ut fidem indubiam perhibent major Cancellarius, & Notarius Curiæ Archiepiscopalis Bononiæ in eorum attestationibus *dicto Summario numer. 5. & 6.* comprobatis ex actibus præsentationem incipientibus ab anno 1521. & desinentibus in annum 1649. *dicto Summario num. 6. & Summario hodierno nu. 2.* necnon ex quodam decreto edito anno 1648. ab Eminentissimo tunc temporis Archiepiscopo, *dicto Summario hodierno num. 3.* ita pariformiter fieri debuissent in novissima vacatione ad effectum validam reddendi præsentationem Bonini, sive jus præsentandi ad eosdem Parochianos competeret uti universos ex traditis per *Rotam decis. 295. num. 9. par. 6. Recent.* sive tamquam singulos, ut bene probant *Lambertin. de Jurepatron. 2. part. lib. 2. quæst. 2. princip. art. 9. num. 2. vers. Ex cujus Abbatis dictis. Tondut. quæst. Benefic. par. 3. cap. 159. num. 2. & 3. Vivian. de Jurepatr. lib. 8. cap. 2. num. 13. & seqq. Rota decis. 268. num. 4. & 5. coram Mantic. decis. 657. num. 5. coram Pamphil. & dec. 1289. num. 19. coram Coccin.*

Verùm præterea neque in antecedenti
11 ullam subsistentiam habere visum fuit ea sub animadversione, quòd quamvis ex Juris præsumptione Parochianis uti singulis liceat præsentare, juxta terminos auctoritatum supra in contrarium adductarum, attamen ista præsumptio cessat quotiescumque consuetudo, & observantia, quæ in hac materia totum operatur, formam eligendi jure Collegii tribuerit, quo in casu omnes per Capita familiarum sunt vocandi, & electio, seu præsentatio ab illis tamquam uniuersis per scrutinium expleri debet, aliàs si diversimode fiat nulla, & irrita dijudicanda est ad tradita per *Abb. in cap. Scriptum 40. num. 6. in fine de elect. Joann. Andreas in cap. 3. de Jurepatr. Felin. in cap. Pastoralis num. 9. vers. Duo corpora de Rescript. Lambertin. de Iurepatron. 2. part. lib. 2. quæst. 1. princip. art. 9. num. 2. Vivian. de Iurepatr. lib. 8. cap. 3. numer. 15. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. num. 225. Rota dicta decis. 657. num. 5. coram Pamphil. & decis. 295. num. 9. par. 6. Recent.* & conferunt deducta *in Majoricen. Beneficii 6. Decembris 1709. §. Placuit tamen coram R. P. D. meo Ansaldo.*

Porrò, quod in themate ex observan-
12 tia ita contigerit, aperté desumitur ex supra recensitis documentis, & præcipue ex præsentationibus spatio 120. & ultra annorum continuatis, pro quibus explendis, cum Parochiani omnes in solito loco Ecclesiæ Parochialis solemniter congregati, vel præsentaverint Rectorem, ut evenit anno 1613. vel elegerint nonnullos de gremio ad eundem ptæsentandum eorum nomine, ut servatum fuit anno 1521. 1533. 1563. 1630. 1649. *citato Summario primæ Propositionis num. 6. & hodierno num. 3.* in dubium revocari nequit, quin ex isto simultaneo consensu à Parochianis in hisce actibus inconcussè semper præstito, inducta fuerit necessitas præsentandi Rectorem jure Universitatis, & Collegii ex notatis in proposito per *Vivian. de Iurepatron. part. 1. lib. 4. cap. 9. num. 21. & 22. Rota decis. 243. num. 2. 3. & 4. coram Dunozett. Sen. & in Recentior. decis. 282. num. 6. par. 7.*

Quin ad elidendam vim, & efficaciam hujus plusquam centenariæ observantiæ opponi primò valeat, quòd illa interrupta remanserit ex duobus actibus singulariter gestis à Parochianis in præsentationibus Rectoris sequutis anno 1475. & 1617. relatis *in Summario Bonini primæ Propositionis num. 1. & 2.* Quandoquidem ex his duobus actibus assumptum minimè concludebatur. Primus enim anni 1475. præterquam quod non obstaret centenariæ initium desumenti longè post, ab anno nempe 1521. ut supra notatum est, ulteriùs respondebatur propriè non mereri nomen electionis, & nominatio-

nis Rectoris, cum expletus non fuerit, nec à duabus ex tribus partibus, nec à majori numero Parochianorum, unde potius censenda est subsequutiva comparitio nonnullorum ex illis pro obtinenda ab Ordinario, etiam nomine aliorum, institutione favore cujusdam Joannis de Brachiis tunc præsentati in vim præambulæ electionis, & nominationis, quam suapte natura præcessisse supponit. Ideoque non apparente, quomodo illa celebrata fuerit, eo minus de præfato actu ulla ratio habenda erat, maximè ad effectum infringendi observantiam eligendi Rectorem collegialiter, & jure Universitatis per præsentationes adeò univocas, aliasque certas probationes constabilitam ex congestis per *Rotam decis. 764. num. 3. coram Emerix Jun.* Alter verò actus anni 1617. non absimili responsione inefficax reddebatur, ex quo iste non continet, nisi attestationem nonnullorum Parochianorum præsupponentem pariter antecedentem electionem Rectoris sequutam in personam Stephani de Rubeis, ut innuunt verba illa: *già lo presentassimo*; Atque etiam quia docebatur, ipsummet Stephanum à Parochianis in unum juxta solitum convocatis vere potiùs fuisse electum, & nominatum *dicto Summ. hodierno num. 2.*

13 Prout itidem in nihilo relevabat, quòd supradicta consuetudo non probetur legitime introducta cum suis requisitis, & signanter cum qualitate coactiva, quòd scilicet aliquando successerit casus, quòd facta fuerit præsentatio singulariter, & quòd ista fuerit rejecta, & in contradictorio Iudicio prævaluerit præsentatio facta collegialiter. Etenim hæc omnia probanda quidem sunt in consuetudine ordinaria triginta, vel quadraginta annorum Iuris dispositioni contraria: Secus autem in centenaria, de qua res est. Quippe cum hæc æquipolleat immemorabili tribuenti meliorem titulum de hoc Mundo; utique illius vigore allegari potest, quòd cum præfata qualitate coactiva in contradictorio Iudicio canonizata extiterit, atque legitime præscripta, ut tradit *Rota in Mantuana bonorum 14. Januarii 1707. §. Nec porrò coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano, & 7. Maii 1708. §. Quandoquidem coram R. P. D. meo Aldrovando, & 12. Aprilis 1709. §. Et quamvis coram R.P.D. meo Kaunitz.*

Præmissaque, quamquam clara, certiùs procedebant reflectendo, quòd observantia ista Parochianorum præsentandi collegialiter non leve fomentum recepit à reædificatione dictæ Ecclesiæ Sancti Laurentii, quæ utpote expleta ab Universitate eorumdem tamquam Universitate, ut colligitur ex Instrumento celebrato cum Fabromurario anno 1444. *dicto Summario primæ Propositionis num. 7.* de plano sequebatur Iuspatronatus, de quo agitur, ante introductam observantiam jam fuisse in proprietate acquisitum eidem Universitati, & quoad exercitium Parochianis Jure communitativo illam repræsentantibus, non verò uti singularibus personis, ut monet *Vivian. de Jurepatr. lib. 8. cap. 2. num. 15.* & firmavit *Rota in dicta Majoricen. Beneficii 6. Decembris 1709. §. Quod autem coram R.P.D. meo Ansaldo.*

Replicatione non attenta, quòd aliqui ex Parochianis proprio nomine promiserint solvere expensas, quia id gesserunt pro majori securitate Fabrimurarii, & intuitu Universitatis Parochianorum, quæ principaliter obligata reperiebatur, in cujus proinde Beneficium, si cessit totum id, quod fortasse de proprio iidem persolverunt, dubio procul concludendum est, eandem Universitatem dumtaxat, sive Parochianos, uti universos, tale Iuspatronatus habere per ea, quæ notat *Lambertin. de Jurepatr. par. 1. lib. 1. quæst. 7. art. 15. num. 9. & num. 12. & seq.*

Firmata itaque ex his nullitate nominationis factæ in personam Bonini, irrito labore Scribentes pro eo subjungebant, quòd deveniendum non sit à Parochianis ad novam Rectoris electionem, ut mandat Decretum Rotale, ex quo sit elapsum quadrimestre concessum Patronis Laicis ad præsentandum. Etenim objectum duplici medio submovebatur, quo-
14 rum alterum est, quòd quadrimestre non incipit currere à die vacationis Beneficii, sed à die declaratæ, & acceptatæ nullitatis præsentationis, argumento *Text. in cap. Si electio de elect. in 6.* cujus dis-

dispositio, etsi loquatur de electione, procedit etiam in præsentationibus, quando præsertim super illis, ut in præsenti accidit, nulla fraus, & dolus interceſſit, quemadmodum ponderant *Vivian. de Jurepatr. part. 2. lib. 5. cap. 2. num. 27.* & clariùs *lib. 7. cap. 40. num. 30. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 126. n. 60. & 61. in fine, Lap. alleg. 95. num. 2. Conrad. prax. Benef. lib. 4. cap. 7. num. 1.* benè *Rota decis. 1007. num. 3. coram Seraphin. & in Romana Cappellaniæ 25. Novembris 1707. §. Prædictis coram R. P. D. meo Scotto.*

Alterum est, quòd cum controversa Parochialis vacasset solum die 30. Novembris 1706. & intra mensem Decembris ejusdem anni introducta fuerit lis coram Ordinario, tam inter Assumptos, & Parochianos Patronos, quàm inter Boninum, & Bertocchium Præsentatos, deinde per viam appellationis in Sacro Auditorio usque in hodierna tempora continuata; nunquam in hisce circumstantiis factus dicitur locus devolutioni ad Superiorem ex lapsu legitimi temporis ad præsentandum, ut dixerunt *Hostien. in cap. Quondam num. 7. de Iurepatr. Barbosa de offic. & potest. Episc. par. 3. allegat. 72. num. 140. cum duobus seqq. Garz. de Benefic. par. 10. cap. 2. num. 19. Lotter. de re Benef. lib. 2. quæst. 24. num. 19. & seq. Rota decis. 94. num. 10. coram Greg.* Contrariis auctoritatibus in oppositum allegatis procedentibus, ubi lis fuisset tantum inter Patronos, tunc enim verum est, quòd lapso tempore ad præsentandum, contra eosdem devolutio Beneficii inducatur, non attenta litis pendentia, juxta censuram *Textus in cap. Quoniam in fine de Iurepatr.* ut distinguendo casum à casu notant *Vivian. de Iurepatr. dicta par. 2. lib. 5. cap. 2. num. 26. Garz. de Benefic. dicta par. 10. cap. 2. num. 19. Marescott. var. resol. lib. 1. cap. 84. n. 10. & 11. Rota decis. 804. num. 2. & 3. coram Pen. impress. Lugdunen. & in Rec. decis. 148. numer. 15. 16. & 17. par. 15.*

15

Et ita utraque Parte audita, & strenuè defensa resolutum fuit.

ARGUMENTUM.

Ad validitatem Præsentationis spectantis ad Communitatem quæ requirantur?

SUMMARIUM.

1 *Omnes de Communitate, aut ejus Repræsentantes vocari debent ad præsentandum, & quomodo?*

2 *Non vocati possunt agere de contemptu ante lapsum termini, secus post illum. Limita ut ibi.*

3 *Legitimè impeditus potest constituere Procuratorem ad præsentandum cum aliis de Communitate.*

4 *Præsentatio fieri debet ab eis de Communitate collegialiter.*

5 *Vocatio eorum de Communitate ad quem spectet?*

6 *Solemnis Convocatio, an sit de necessitate ad validitatem actus præsentationis?*

7 *Præsentatio debet fieri à majori parte eorum de Communitate.*

8 *Præsentatio facta ab æquali parte eorum de Communitate est nulla, & numer. 13.*

9 *Major Pars quomodo desumatur?*

10 *Illi de Communitate præsentare debent personam idoneam.*

11 *Major Pars illorum de Communitate præsentans inhabilem, an, & quando privatur Jure præsentandi?*

12 *Super actu non præexistente non cadit derogatio.*

14 *Juspatronatus competere pluribus uti universis, non verò uti singulis, ex quibus probetur? & 15. usque ad 17.*

18 *Conferens aliqua bona Ecclesiæ, an, & quando, non acquirat Juspatronatus per hujusmodi collationem? & numer. 19.*

20 *Nec Patrono, nec Episcopo licet post perfectam fundationem Beneficii, alia onera, & conditiones adjicere, & ejus statum immutare.*

21 *Ferro viam aperit, qui per contraria transit.*

22 *Communitas si donat Juspatronatus plu-*

pluribus personis, an præsentatio facienda sit ab istis, uti universis, vel potius, uti singulis? & 23.

24 *Gratificatio an differat à derogatione.*

25 *Assensus Patronorum in provisione Apostolica requiritur de stylo, & urbanitate; non verò de justitia.*

CASUS VII.

PRæter requisita Generalia, quæ requiruntur ad validitatem cujuscumque Præsentationis, sunt alia requisita specialia, quæ specialiter requiruntur pro validitate Præsentationis spectantis ad Communitatem.

1 Requiritur enim primò, quòd vacato Beneficio, & habitâ per Communitatem notitiâ vacationis, omnes de Communitate intra terminum Iuris, si Communitas regatur per Congregationem omnium, si verò gubernetur per solos Decuriones, Priores, aut Regentes &c. juxta distinctionem relatam in antecedenti Casu num. I. isti soli vocentur per Edictum, Citationem, aut Insinuationem, & congregentur per sonum Campanæ, aut alio modo in loco solito. *Calderin. cons. 9. & 10. de Iure Pat. Rota decis. 295. num. 5. & seq. par. 6. Recent. & decis. 82. num. 3. par. 7.* aliàs non vocati possent agere de Contemptu, & quidem ante 2 lapsum termini positi in Edicto, quia post dictum tempus non audientur, dummodo non fuerint ignorantes, vel impediti, & constet de ignorantia, vel impedimento, re tamen integrâ, scilicet non sequutâ adhuc institutione præsentati. *Lambert. de Iurepatr. lib. 2. part. 2. quæst. 6. art. 26. num. 1. & 6. Vivian. eodem tract. par. 2. lib. 9. cap. 3. num. 1. & seqq.* & omnes vocati intervenire debent ad actum præsentationis, ita ut si for- 3 tasse aliquis sit legitimè impeditus, & personaliter intervenire non valeat, possit constituere Procuratorem ad præsentandum cum aliis de Communitate, *Fagnan. in L. Quia propter num. 5. de Elect. Vivian. de Jurepatr. par. 2.*

Ratio est, quia præsentatio facienda per Communitatem fieri debet ab eis 4 de Communitate collegialiter, & consequenter omnibus congregatis, & coadunatis, dum non possunt separatim ad actum præsentationis devenire, ut docent *Felin. in cap. Cum omnes num. 46. de Constit. Federic. de Sen. cons. 65. sub numer. 1. Card. de Luca disc. 34. num. 12. de Iurepat. Rota decis. 268. num. 3. coram Mantic. & alii relat. per Rot. in Bononien. Parochialis 26. Ianuarii 1711. §. Constitit coram bon. mem. R. P. D. Caffarello, inferius legen.*

Quæ vocatio eorum de Communitate 5 ad explendum actum præsentationis spectat ad eum, qui ex consuetudine, aut privilegio habet Officium convocandi, *Abbas in cap. Cum nobis de elect. num. 9. Lambertin. de Iurepat. lib. 2. par. 2. quæst. 2. art. 19. num. 5. Cohell. ad Bull. B. R. §. 3. gloss. 2. cap. 13. num. 44.* Sed tamen hujusmodi solemnis convocatio non est de necessitate ad validitatem actûs præsentationis, ita ut ex ejus defectu præsentatio reddatur nulla, fieri namque potest, quòd omnes de Communitate sint in aliquo loco, licèt non solemniter congregati, & omnes faciant præsentationem, quo casu ista eam vim haberet, quam habuisset, si omnes de Communitate fuissent solemniter congregati, nec posset aliquis dare de nullitate hujusmodi præsentationi, ex eo quia sit facta absque solemni convocatione eorum de Universitate: & ratio est, quia in hoc casu nullius esset præjudicium, dum quilibet præsentavit, & quilibet consensit, & sic nemo est, qui lædatur juxta *Barthol. in l. Observare Cod. de Decurion. Corn. cons. 224. num. 13. lib. 4.*

Secundò. Requiritur, quòd, congre- 7 gatis eis de Communitate ad explendum actum præsentationis, Præsentatio fiat saltem à majori eorum parte; nam si fieret à minori, vel ab æquali parte eo- 8 rum de Communitate præsentatio esset nulla, eo quia non diceretur facta à Communitate, dum hæc non repræsentatur per minorem, nec per æqualem, sed per majorem partem eorum de Communitate ad *Text. in cap. Quoniam de Iurepatr. ibique Abbas num. 13. Butrius num. 11. Lambertin. de Iurepatron. lib. 2. par. 3. quæst. 4. art. 2. num. 2. Campell. ad Constitut. Ducat. Urbini Decret. 24. n. 16. Rota in Majoricen. Beneficii, §. Et denique,*

&

& §. *Hujusmodi 6. Decembris* 1709. *coram R. P. D. Ansaldo inferius legen. num.* 11.

Major autem Pars desumitur respectu
9 omnium de Communitate, non verò respectu singularium partium, & quidem respectu omnium de Universitate vocatorum, & intervenientium intra terminum Juris ad actum præsentationis, non verò respectu etiam eorum vocatorum, & non intervenientium, ita ut si ex eis de Communitate vocatis ad præsentationem interveniunt intra terminum Juris, solùm duæ partes, vel minor pars, illi, qui veniunt instante termino Juris procedere possunt ad præsentationem, quia illæ duæ partes, aut minor pars non tenentur dimittere Jus suum propter absentiam aliorum, & præsentatus à majore parte istarum duarum partium est instituendus ad tradita per *Abb. in cap. Cum nobis de Elect. num.* 3. *Lambertin. de Iurepat. par.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 2. *art.* 19. *num.* 15. *Palm. cons.* 10. *num.* 4. *Rota decis.* 809. *num.* 10. *coram Buratt.* secus si non instaret terminus Juris juxta *Rot. in Siracusana Præpositura* 5. *Decembris* 1699. *coram Muto impress. apud D. Piton. Discept. Eccles.* 13. *num.* 46.

10 Tertiò. Requiritur, quòd illi de Communitate præsentent personam idoneam, & habilem, & habentem omnes qualitates ad obtinendum Beneficium requisitas tam de Jure Communi, quàm ex lege fundationis; nam incapax, & inhabilis non potest præsentari, nisi sub expressa conditione capacitatis, quæ debet intra terminum Juris supervenire, aliàs præsentatio esset nulla *Card. de Luca de Iurepatr. disc.* 45. *num.* 7. *Barbos. de Potest. Episcopi alleg.* 72. *num.* 78. *Rota apud Vivian. de Iurepatr. decis.* 147. *num.* 19.

11 Etsi major pars eorum de Communitate præsentaret scienter, & absolutè indignum, & inhabilem, minor autem pars præsentaret habilem isto casu privaretur major pars pro ea vice Jure præsentandi, & totum Ius accresceretur minori parti, ita ut ab hac præsentatus esset instituendus, secus si major pars præsentaret indignum, & inhabilem, & quidem non ex lege fundationis absolutè ignoranter, tunc enim non privaretur Jure præsentandi, sed posset intra eumdem terminum, immo etiam intra novum à die notitiæ inhabilitatis primi, aliud idoneum præsentare, & isti deberetur institutio, excluso præsentato à minore parte; sed si præsentaret inhabilem juxta legem fundationis claram ignoranter, tunc privaretur Jure præsentandi pro ea vice, quia allegari non potest ignorantia Legis claræ fundationis, *Lambert. de Iurepat. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 10. *art.* 4. *num.* 17. & 23. *Pax Iordan. tom.* 2. *Elucubrat. lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 370. *Rota in legen. Iurispatr.* 16. *Iunii* 1708. §. *Tantum coram R. P. D. Molines Decano.*

Quod requisitum latissimè pertractavit cum pluribus Casibus, & limitationibus D. Advocatus Pitonius in ejus Tractatu *de Controv. Patron. alleg.* 2. nunc Parmæ impresso, ad quem remissivè me habeo pro notitia totius materiæ.

R. P. D.

ANSALDO

Majoricen. Beneficii.

Veneris 6. Decembris 1709.

EXpresserat Jacobus Sanctissimo Domino Nostro per liberam resignationem vacasse Beneficium in Parochiali Ecclesia Oppidi de Binisaem, quod de Jurepatronatus Laicorum, scilicet pro tempore existentium Juratorum, sive Consulum ejusdem Oppidi ex fundatione, ac dotatione existebat, quodque in hujusmodi fundatione cautum reperiebatur, quòd ad illud nonnisi Presbyter, seu Clericus ad pulsanda Organa Peritus, & insimul filius naturalis ipsius Oppidi præsentaretur. Quamobrem cum ipse talibus qualitatibus polleret, expostulabat, prout obtinuit de eodem Beneficio provideri de consensu tamen saltem medietatis Patronorum, & respectivè sub opportuna derogatione alterius medietatis, cum non soleat S. Sedes Beneficia etiam per viam puræ resignationis admissæ de stylo, vel honestate conferre, nisi vel præcedente, vel subsequente consensu Secularium Patronorum, sicuti testantur *Innocent. in cap.*

cap. ult. in fine de renunciat. ibique Abbas, cæterique Canonistæ, Bero in cap. 1. nu. 78. & seqq. de Iurepatron. Mandos. consil. 7. numer. 4. & 13. Paris. de Resignat. Benefic. lib. 2. qnæsit. 4. num. 4. & num. 54. Gonzalez ad regul. Cancellar. glos. 52. num. 54. in fine.

Reportato per Jacobum assensu duorum tantummodo Juratorum, qui de cætero medietatem materialiter constituebant, deinceps quoque bono, ut dicitur fato ab initio hujusmodi suæ provisionis, seu Litterarum Apostolicarum exequutionem obtinuit in partibus, commissaque de more per Signaturam Justitiæ *Mihi* Causa ad Instantiam omnium successivè creatorum Juratorum, cum clausula *Parito litteris arbitrio* in ancipiti per duas vices stetit victoria, sed adscito suffragio *Quinti*, & *Sexti* Correspondalis de stylo nostri Auditorii tandem succubuit, mediante implicita revocatione ejusdem sententiæ, uti præseferebat Rescriptum *Intrare arbitrium*.

Cum enim Litteræ Apostolicæ collativæ Beneficiorum hanc sibi promereantur venerationem, maximè quando fuerunt exequutioni demandatæ per sententiam, sive decretum, ut non deceat procedere ad normam aliorum Judiciorum, quæ prophanum interesse concernunt, & non proveniunt à summo fonte omnium Jurisdictionum Pontifice, loco cæterarum formularum, quæ consuescunt adhiberi in aliis causis, & negociis, quando materia appareat digna alterius revisionis, usurpatur proinde similis clausula *Parito litteris arbitrio* cum commissione directa, vel per per unam, vel per alteram Signaturam Gratiæ, & Justitiæ, aut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut *Sacræ Rotæ* Auditoribus, aliis quippe Judicibus non delegatur, seu tribuitur hoc arbitrium, uti testatur practicus Signaturæ Decanus, *Marchesan. de Commiss. par. pr. de Commiss. appellat. ab exequut. Brevis cap. 2. numer. 39. cum duobus seqq. & post eum Modern. Asculan. ad Stat. Urb. in cap. 167. ad Stat. Urb. tit. de Appell. aliàs annotat. 52. art. 1. sect. 4. num. 263.*

Et ob id, ut præmissimus vice infirmationis sententiæ, vel declarandi decretum aliquod inexequibile, magis modestè respondetur *intrare arbitrium*, & de cætero per ante à præfata sola clausula, & commissio non permittit absque vitio attentatorum demandari posse Litteras executioni effectivæ, scilicet per consummationem ejusdem exequutionis, quousque *Rota* non cognoscat, an tale intret arbitrium, quantumvis ubi exequutio præcedenter, & legitimè fuisset consumpta, eadem clausula *arbitrio* ipsam non retractet, & infringat, ut de prima prosequitur idem *Modern. Asculan. ubi proximè sub num. 266. allegando Rotam in Valentina Præceptoria 10. Maii 1627. §. Satis constare coram bon. mem. Card. Virili*, & de secunda *Rota decis. 275. in fine coram Bich. decis. 1057. num. 1. & decis. 2210. num. 2. & seqq. coram Coccin. decis. 276. nu. 9. & 10. par. 19. Recent. & in Forolivien. Canonicatus Theologalis 25. Iunii 1700. §. Posthabita etiam coram Me.*

Principale igitur motivum, per quod affirmativa, ut diximus, prodiit resolutio, radicabatur in fundamento ineluctabili, per quod omnis Gratia Sanctæ Sedis ex defectu intentionis certissimè corruit, quoties Litteræ non apparent justificatæ, & eo fortius quoties eædem Litteræ postmodum examinatæ, noscuntur subreptitiæ, vel obreptitiæ, quia tunc videtur rapina, & non gratia, uti de hisce propositionibus plena sunt volumina, & videre est in proposito non sequutæ justificationis per *D. D. in cap. 2. de rescript. Rota decis. 92. numer. 2. coram Emerix Iun. decis. 100. num. 4. par. 12. Recent. & in Majoricen. Parochialis de Monaco 2. Iulii 1708. §. Quoties namque coram Reverendissimo Omaña Episcopo Giennen.* & in proposito subreptionis, vel obreptionis, quarum species distinguuntur, vel à tacendo illud verum, quod erat necessarium exprimere, vel ab exprimendo illud falsum, quod veritati requisitæ repugnat, connotarunt *Dec. in cap. Super litteris num. 4. de rescript. Ros. de exequut. Litter. Apostolic. part. pr. cap. 6. num. 13. & seqq. Rota decis. 302. num. 4. coram Bichio, in Parmen. Beneficii 28. Ian. 1701. §. Enim coram R. P. D. meo Scotto, in Mediolanen. Beneficii 9. Decembris 1707. §. Sicuti enim coram R. P. D. meo Caffarello Almæ Urbis Gubernatore, & in Melevitana permutationis Commendarum*

26. *Junii proximè præteriti*, §. *Breve enim coram R. P. D. meo Lancetta*.

Saltem ſiquidem implicitè Jacob ſuppoſuerat obtinuiſſe conſenſum, vel ſe ſe fuiſſe præſentatum à medietate Patronorum, ſcilicet Juratorum pro tempore memorati Oppidi, vel in omnem caſum implicitè ſuppoſuerat ſeſe expectare futurum conſenſum ejuſdem medietatis, cum enim Papa (ſunt verba Litterarum) *pro altera medietate Patronorum in eundem Iacobum non conſentientium pro ea vice derogaverit* per neceſſarium antecedens Jacobus præſuppoſuerat Pontifici ſe ſe alterius medietatis fretum eſſe conſenſu,
12 ſuper actu etenim non præexiſtente difficile cadit derogatio, ſicuti dicimus de privatione, quæ habitum ſupponit ad *Text. in leg. Legatum* 21. *ff. de admin. vel auſer. legat. leg. Decem ſtipulatus* 116. *ibique Summator Bartolus ff. de verb. oblig. Rota deciſ.* 637. *num.* 29. *par.* 19. *Recent. & in Aſculana ſucceſſionis* 9. *Maii* 1707. *in principio coram Me*, & in propoſito advertunt *Mandoſ. conſil.* 7. *num.* 15. *& ſeqq. Pariſ. de reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 55. *eadem Sacra Rota deciſ.* 214. *numer.* 18. *& ſeqq. coram Otthobono dec.* 509. *num.* 39. *par.* 14. *& dec.* 181. *num.* 20. *& ſeqq. par.* 19. *Recent.*

Hujuſmodi verò præſuppoſita medietas non poterat in præſenti caſu unquam verificari, licèt enim quatuor in perſonis forent Jurati, & horum duo, vel præſentaſſent, vel conſenſiſſent in perſonam Jacobi, cum tamen ad eoſdem Juratos hujuſmodi Jus præſentandi non attineret ut ſingulos, ſed uti repræſentantes ipſum Oppidum, ſeu Communitatem, hi duo non faciebant ullo modo medietatem, cum unica, & individua ſit vox Com-
13 munitatis, & non dicatur emiſſa in ſimplici paritate, ſed exquirat præpollentiam, vel ad numerum Congregatorum in duabus partibus, vel ſaltem majoris partis eorundem Congregatorum, quemadmodùm plures caſus diſtinguendo ſemper tamen concludunt *Abb. in cap. Cum inter univerſas num.* 9. *de Elect. Caſtren. in leg.* 3. *num.* 9. *ff. Quod cujuſque univerſitatis nom. ibique Gloſſ. verb. Duæ partes, communiter Doctores, Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 933. *num.* 3. *&* 4. *Pac. var. lucubr. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 19. *num.* 89. *Creſp. de Valdaur. obſervat.* 112. *num.* 22. *Otter. de Official. Reipubl. cap.* 4. *num.* 2. *Leſæ de Jur. univerſ. par.* 1. *cap.* 3. *à num.* 75. *ad* 78. *Cohell. ad Bull. Bon. Regim. cap.* 31. *numer.* 136. *Boer. deciſ.* 111. *Capyc. deciſ.* 4. *num.* 1. *& ſeqq. Rota in Aprutina Parochialis* 15. *Januarii* 1703. §. *Advertendum coram R. P. D. meo Priolo*, & ita in ſpecie reſpectu Juris præſentandi ſpectantis ad Communitatem abſolutè docent, & firmant *Abb. in cap. Quoniam num.* 13. *de Iurepatronat. ibique Butr. num.* 11. *Io. Andr. num.* 3. *& in cap. Cum omnes num.* 10. *de Conſtitut. Felic. num.* 3. *cap. allegat.* 78. *num.* 2. *verſic. Nam ſi tanquam, Lambert. de Iurepatron. lib.* 2. *par.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 2. *num.* 2. *Rota deciſ.* 148. *la* 2. *num.* 10. *poſt Vivian. de Jurepatron. deciſ.* 443. *num.* 19. *&* 20. *coram Merlin. deciſ.* 568. *num.* 2. *& deciſ.* 262. *num.* 1. *par.* 14. *deciſ.* 22. *numer.* 1. *par.* 16. *Recent.* apud quos ulterius expreſsè infertur, & dicitur, quòd gratia proinde derogatoria medietatis nullatenus in his terminis operetur, ut ſignanter videre eſt in *Firmana Beneficii* 12. *Maii* 1595. *coram Blanchett. impreſſ. apud Garz. de Benefic. par.* 10. *cap.* 3. *de devolut. numer.* 13. *& in Aquilana Juriſpatronatus coram Corrad. apud Vivian. de Iurepatronat. dicta deciſ.* 142. *la ſeconda num.* 10. ubi plures Concordantes.

14 Quòd autem eiſdem quatuor Juratis competeret, ſive attineret Jus præſentandi ad hujuſmodi Beneficium uti corpus, ſive uti univerſos, non verò uti ſingulos palam viſum eſt reſultare ex iis, quæ geſta legebantur in concreto Fundationis iſtius Beneficii: Exordiendo ſiquidem à principio Communitas, ſive Univerſitas impartita fuit Juratis facultatem obligandi eandem Univerſitatem pro annuis *libris* 28. & de facto ſucceſſivè ex redditibus Communitatis, videlicet ex proprietate cujuſdam cenſus *librarum* 560. aſſignatæ extiterunt hujuſmodi 28. *libræ* in dotem Beneficii; Quamobrem ſi Beneficium noſcebatur erectum ex bonis Univerſitatis, clara emergebat ſequela, quòd Jus præſentandi remanſerit ex ipſa erectione acquiſitum eidem Communitati, & quoad exercitium illam repræſentantibus jure communitativo, ſive Collegii, & Univerſita-

tis, ut rectè explicat *Lambertin. de Iurepatronat. lib. 1. part. 2. quæst. 7. artic. 15. num. 9. vers. Cum Ecclesia est fundata, constructa &c. & lib. 2. part. 2. quæst. 2. art. 8. num. 4. Rota in Majoricen. Beneficii 15. Junii 1699. coram Me confirmata 29. Martii 1700. coram bonæ mem. Muto ferè per totam.*

Quin aliquam amaritudinem ingerere posset, quòd in resolutionibus, sive, ut Germani dicunt in *recessibus* ipsius Universitatis concomitanter ad decretum erectionum de redditibus ejusdem Universitatis deveniendo postea ad exercitium istius jurispræsentandi adjecta fuerit illa conditio, ibi: *Ita tamen, ut honorabiles Jurati sint Patroni ejusdem Beneficii*, quoniam id erat intelligendum repræsentativè ad ipsam Universitatem, cum omnis potestas etiam in quibuscumque guberniis ab initio resideat semper in Populo, & postea transitum faciat, vel in Principem, vel in Optimates, vel in Senatum, vel in illorum plures personas, quæ Aristocraticum, vel Democraticum Gubernium efformant, sed hi omnes induunt personam, & potentiam Universitatis, & Populi, & ideò notant Eruditi, quòd etiam Principes singulares ad ostendendam imhibitam in se ipsis Reipublicæ, seu populorum Iurisdictionem adhibeant pronomen *Nos*, excepto Summo Pontifice, qui adhibendo pronomen *Nos*, jure proprio utitur, cum suam minimè potestatem sortiatur, neque à Populis, neque ab Electoribus, sed immediatè à Summo Deo, quemadmodum oppositè ad alias Potestates monent *Doctores in leg. 1. Cod. de veter. Jur. enucleand. de Elect. Amaya in titul. Cod. de Decurion. Civitat. lib. 10. num. 14. & seqq. R. P. D. Zaulis ad Statut. Favent. lib. 1. Borell. de Magistrat. Edict. lib. 1. cap. 1. num. 25. Boleng. specul. Princip. Rub. 14. §. Veniamus num. 7. Camill. Borell. de Regis Catholic. præstant. cap. 31. num. 10. resol. de Iur. Universit. cap. 4. num. 2. Fregos. de regim. Reipublic. lib. 7. disput. 19. num. 1. tom. 1. Knipschid. de Iur. & privileg. Civitat. Imperial. lib. 5. cap. 1. num. 5. cum seqq.* & in individuo Jurispatronatus *Lambertin. eodem tract. de Iurepatronat. par. 2. lib. 2. quæst. 2. art. 10. num. 4. & art. 11. num. 1. & 2.*

15 Eoque certiùs, quia in nostra thesi ipsimet Jurati deveniendo successivè ad actualitatem erectionis ejusdem Beneficii declararunt id agere nomine Universitatis, ibi: *Ex nostra &c. voluntate per Nos, & nostros nomine Universitatis &c.* & deinde: *Ius verò patronatus nostri Beneficii, nobis, & nostris successoribus in Officio reservamus*, unde jungendo erectionem ab ipsis Juratis factam nomine Universitatis, & expressionem Officii ab eis habitam, nequibat intelligi tam erectio, quàm reservatio jurispræsentandi, nisi nomine ipsius Officii repræsentativi Universitatis, nunquamve valebat extorqueri ad privatas pro tempore singulares personas *ad notata per Baldum consil. 210. num. 1. lib. 2. Posth. resolut. 104. num. 2. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 6. tit. 12. num. 12. Rota dec. 202. num. 8. & 9. coram Merlin. decis. 54. n. 5. par. 12. Recent. in Leodien. Vicariæ 10. Decembris 1698. §. Non relevante coram Reverendissimo Omaña Episc. Gienuen. & in Hipporegien. Parochialis 21. Junii 1700. §. Alioquin coram Reverendissimo P. D. meo Molines Decano.*

Et denique evidentius, quia finaliter in
16 eadem erectione iidem Jurati post factas assignationes reddituum Beneficio erigendo obligarunt omnia, & singula bona dictæ Universitatis innitendo eo mandato, quod dicuntur à Civibus, & à Populo obtinere statim, ac extiterunt creati, sive electi Officiales, obligandi scilicet Universitatem, & gerendi omnia, quæ ad finem evitandi necessitatem quotidianæ convocationis Populi, & Civium facere deberet ipsa Universitas, & sic etiam præsentandi ex iis, quæ monuerunt *Lambertin. de Iurepatronat. lib. 1. art. 5. quæst. 7. principal. par. 1. num. 20. Choel. ad Bull. Boni Regim. cap. 10. num. 44.* adeout non ex alio motivo fuerit attributa expressa facultas Juratis præsentandi, sive dictum, quod *Jurati sint Patroni*, nisi quia generale mandatum, quo pollebant circa alia negocia Universitatis, sat non erat ad effectum præsentandi pro ipsa Universitate, cum ad hunc effectum mandatum omnino speciale requiratur *Faber. in §. Procuratori Institution. De his per quos agere pot. Roccb. de Iurepatronat. verb. honorific. Vivian. eodem tract. lib. 5. cap. 6. num. 2. Golin. de*

Pro-

Procuratur. part. 2. *cap.* 5. *num.* 190. *Rota decis.* 245. *num.* 4. *lib.* 2. *coram Put.* Firmato itaque ex præmissis, quòd jus præsentandi competeret Universitati, quòdque Iurati nonnisi repræsentativè ad eamdem Universitatem devenire possent ad præsentationem, sed eo modo, quo practicabatur in cæteris negociis Communitativis, collegialiter nempe ad repræsentandum eamdem Communitatem, quo casu semper ad minus exigitur major pars ipsius Collegii, ut etiam ponderatum fuit in dicta *Majoricen. Beneficii* 15. *Iunii* 1699. *coram Me confirmata* 29. *Martii* 1700. *coram Muto*.

Quodque demum specifica facultas Ju-
17 ratis attributa non sonaret nisi in magis speciale mandatum, quod necessarium semper existit ad præsentandum, parum refragabatur, quasi ad eversionem acquisitionis Jurispatronatus factæ eo solemniori modo, quo poterat nempe per fundationem, & donationem animadversio, quòd etiam ejusdem Beneficii donationi contribuerit quidem Joannes Pons *quinquaginta libras*, ac propterea si Iuratis fuit attributa facultas præsentandi fuerit quoque copulativè concessa per largitionem Tertii Fundatoris, in quibus circumstantiis non amplius intret fundamentum repræsentationis ipsius Universitatis, quæ secum propriè fert jus collegiale, sed alterum Jurispatronatus relicti, seu reservati per tertium Fundatorem, seu Patronum ad favorem plurium personarum, in quibus terminis regula indubitanter militat in contrarium, scilicet, quòd Juspatronatus, seu præsentandi relictum pluribus Officialibus, seu pluribus personis spectet ad easdem plures personas, ad eosdem Officiales, uti singulos, & non uti Collegium, ut citra contradictorem affirmant *Sanchez consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 100. *num.* 6. *Tondut. quæst. Canonicar. par.* 3. *cap.* 159. *numer.* 5. *Gratian. discept. forens. cap.* 211. *numer.* 7. *Rota decis.* 268. *num.* 2. *coram Mantica*, & *decis.* 244. *n.* 1. *coram Dunozz. Iun.*

18 Quoniam hujusmodi discursus, & omnes supradictæ auctoritates reddebantur ab hodierna hypothesi penitus extraneæ, non enim subsistebat, quòd Jurati adipisci potuerint hanc potestatem præsentandi, sive disjunctivè, sive copulativè ab ipso de Pons, seu à quolibet alio contribuente fundationi, & erectioni, siquidem idem de Pons, & insimul Communitas radicitus divulserunt objectum, dum prædictus de Pons contribuendo supradictas *libras* 50. non intellexit acquirere ullum Juspatronatus, vel facultatem alteri concedendi, sed apertè fuit protestatus supradictam quantitatem (sunt verba præcisa) *gratis*, & *amore offerre*, sicque tantùm abest, ut ex illius largitione Jurati potuerint tanquam à tertio nanciscì potestatem præsentandi, ut potius ejusdem tertii largitoris respectu cessasset quodlibet Juspatronatus, prout contigit quando ad fundationem Beneficii concurrunt simplices Benefactores, & hæc sanè est ratio, propter quam Beneficia, nisi de diversa Fundatorum voluntate constet, veluti fundata ex oblationibus Christifidelium libera præsumuntur, ut advertunt *Sanchez quæst. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dubitat.* 70. *num.* 6. *Lambertin. de Iurepatron. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 7. *artic.* 8. & 9. *Rota decis.* 1. *num.* 3. *de Iurepatronat. coram Crescent. decis.* 62. *num.* 6. & *decis.* 67. *n.* 3. *coram Carill.*

19 Palpabilius quia, ut præmisimus Universitas quoque in hoc ipsum conspiravit, quia totaliter intenta ad fundandum integrè Beneficium de suis redditibus noluit assentiri, quòd iste de Pons aliquid super Beneficio prætenderet, ibi: *Cum conditione tamen expositâ, quòd gratis, & sine ulla spe illas obtulerit*: quamobrem ex ipso facto corruebat hæsitatio, quando tamen, & in jure habemus, quòd qui non contribuit pro dote saltem pro medietate, prout hic evenerat, habetur loco Benefactoris, sed non acquirit Juspatronatus *cap. Nemo Ecclesiam de Consecration. distinct.* 1. *gloss.* 1. *in cap. Quicumque il* 2. 16. *quæst.* 7. *Mar. Anton. var. resolut. lib.* 1. *resolut.* 47. *num.* 4. *Gratian. discept. forens. cap.* 177. *sub n.* 24. *Vivian. de Iurepatronat. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *sub num.* 4. *Lotter. de re Beneficiar. lib.* 1. *quæst.* 37. *num.* 3. & *seqq.* & *n.* 13. & *seqq. Panimoll. decis.* 9. *num.* 14. *Rota decis.* 403. *num.* 5. *coram Peuting.*

Denique in oppositum visa non fuit quicquam relevare posse prætensa observantia nimirum, quòd hujusmodi Jus

præsentandi aliàs contra hucusque ponderata passum fuerit divisionem in duas medietates, adeout Episcopus gratificaverit in hac paritate quemdam Nogueram *à medietate* (ut dixit Ordinarius in decernenda postmodum institutione) *Patronorum præsentatum Summ. Jacobi distributo sub die 28. Februarii currentis anni num.4.* Proindeque ea foret attendenda pro diremptione saltem hodiernæ quæstionis non solùm ex nimium efficaci, & generali robore observantiæ, sed etiam quia proveniebat ab ipso Ordinario, & effectuationem fuerat sortita, cumque per ejusdem Nogueræ resignationem præsens adamussim contingeret vacatio, non poterat hic verè novissimus status non favere Jacobo, prout sancivere *Innocentius III. & Alexander III. in cap. Querelam 24. de Elect. & Elect. potestat. & in cap. Consultationibus 19. de Jurepatron.* cum aliis plenissimè cumulatis in illa *Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. in princip. coram Me.*

Arrisit quippe replicatio, quòd quidquid sit an hujusmodi status, sive exemplum applicaretur ad præsens, ubi agebatur de collatione mera Beneficii mediante dumtaxat ad cautelam, quatenus opus foret, derogatione Jurispatronorum, præfatumque exemplum percutiebat gratificationem factam ab Ordinario, cui gratificationi licèt locus aperiatur in paritate suffragiorum, & tamen præcipuè pendet à meritis personalibus, quibus præditus supra compræsentatum gratificatus effulgeat oculis Episcopi, ut notat *Guttierez. consil. 22. num. 22. Corrad. in prax. Beneficiar. lib. 3. cap. 6. num. 50. cum seqq. Rota decis. 343. numer. 4. coram Peutinger. decis. 458. num. 4. coram Cerro, & decis. 911. num. 6. coram Emerix Iun. & in Mediolanen. Iurispatronatus 3. Iulii 1684. §. Observarunt coram bon. mem. Pauluccio.*

De reliquo, sive in omnem casum, nec locus erat observantiæ interpretativæ, nec efformationi alicujus status quantumvis ultimi, qui nocere posset veritati, dum observantia interpretativa nunquam attenditur, quando sumus in claris, nec ulla interpretatione indigemus; ultimus verò status nec pariter in ulla habetur consideratione, utpote non excedens fimbrias, & importantiam nudi possessorii, quando absorbetur à publico Instrumento præseferente dari nequaquam posse hanc medietatem, nec admitti ullam derogationem alterius prætensæ medietatis, ut pariter fuit limitatum post *Abb. in cap. Gravis de restitut. Spoliator. Dec. consil. 126. num. 3. Capon. discept. forens. 263. artic. 4. num. 41. tomo 4. Rota decis. 38. numer. 8. coram Priolo decis. 352. num. 17. parte 16. Recent. in illa Mediolaneñ. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Quòd si non adhuc, & §. Unicus actus coram Me.*

Hisque omnibus addebat aliquis ex *Dominis*, Jacobum quoque defecisse in narrando Pontifici, quòd præcedenter, & ante illius impetrationem fuerat ab ipsa Communitate, ad præcisum finem, ut eadem Communitas, & Ecclesia *resti meglio servita all' Organo*, factum stabilimentum, quòd *in caso di vacanza, il sopradetto Benefizio si habbia da conferire per concorso delli Oppositori, quale passato per esame rigoroso di tre Organisti &c. si facesse l' elettione del migliore*, quòdque hoc ipsum positivè approbaverat, & confirmaverat Ordinarius, utique enim si Jacobus expressisset hujusmodi intermediam alterationem, quæ ad melius profectò tendebat, & in uberius Divini Cultus augumentum Papa, vel denegasset absolutè minimè servata hac circumstantia, seu solemnitate gratiam Collationis, & derogationis Jacobo, vel saltem difficilius concessisset, quod exuberat ad inducendam subreptionem, & defectum voluntatis in Pontifice, *Felin. in cap. Super litteris num. 8. de rescript. Cassador. decis. 12. num. 14. de præbend. Rota decis. 311. num. 7. coram Celso decis. 189. num. 17. coram Bich. decis. 294. coram Royas decis. 204. num. 43. par. 8. decis. 54. num. 32. par. 14. Recent. & in Melevitana Permutationis Commendarum 26. Iunii currentis anni, §. Ulterius coram R. P. D. meo Lancetta.*

Cæterùm apud majorem partem *Dominorum* tale postremum etsi plausibile motivum visum non fuit abstractivè, & de per se sufficiens ad prosternendam Gratiam Jacobi, quia quidquid esset, an idem Jacobus hæc facta consciret, adhuc donec, & quousque præter Episcopum Sancta Sedes, seu S. Congregatio Concilii suæ confirma-

firmationis munimine petitionem non roboravit, certè hæc super additio qualitatis, seu nexus nullibi tenebat, cum nec Patronis, nec Episcopo liceat post perfectam fundationem Beneficii sub quolibet prætextu etiam majoris boni alia vincula, & onera superimponere, & quomolibet immutare statum, & conditiones Beneficii jam canonicè erecti, & stabiliti, sicuti uno ore conveniunt *DD. in Clementina, Quia contigit de Religios. Domib. Barbosa ad Sacr. Concil. Trident. sess. 12. de reformat. cap. 6. num. primo, & seqq. Ceued. practicar. quæst. lib. primo, quæst. 35. num. 12. Caren. resolut. 142. num. 8. Tondut. resolut. Beneficiar. cap. 112. ex num. 3. cum seqq. Monet. de Commutat. ultimæ voluntat. cap. 5. quæst. 11. num. 312. Corrad. in prax. Beneficiar. lib. 2. cap. 10. numer. 153. & seqq. Rota decis. 124. num. 6. coram Emerix Iun. decis. 220. numer. 33. part. 11. in Bononien. Iurispatronatus de Ghisleriis 21. Iunii 1695. §. Hinc in necessarium coram bon. mem. Pio.*

Quapropter cum Jacobus antequam Sancta Sedes, seu Sacra Congregatio discussa materia robur adjecerit huic novæ alterationi, & conventioni gratiam reportaverit, & sic de tempore, quo actus remanebat adhuc imperfectus, & nullus, ideo etiam data ejus scientia, nullatenus ipse Jacob hoc reticendo inciderat in subreptionem, quæ posset Gratiam irritare, non expressio etenim actus nullius, & insubsistentis, nec causat subreptionem, nec gratiam infringit, ut animadvertit *Abbas in cap. Per vestras num. 11. de donat. inter Vir. & Uxor. Felin. in cap. Super litteris num. 15. de rescript. Alex. consil. 95. in fine lib. 2. de Ros. de Exequut. litter. Apostolic. lib. primo, cap. 5. num. 36. & seqq. Rota decis. 209. num. 3. coram Buratt. decis. 252. num. 24. par. 8. Recent. & in Cabilonen, seu Ordinis Cistercien. Jurisdict. 3. Junii 1709. §. Nec allegare coram R. P. D. meo Molines Decano*, & in individuo idem *de Ros. de Exequutorum litterarum Apostolicarum cap. 13. num. 57. Rota decis. 665. num. 12. & seqq. par. 18. Recent.*

Placuit tamen ex alio capite idem motivum, ex quo magis, atque magis ab eo resultabat certitudo, quòd hoc Juspatronatus verè resideret penes Communitatem saltem quoad habitum, seu radicaliter, quamvis illius nudum exercitium in præsentando translatum ab eadem Communitate fuisset in Juratos, ipsam tamen semper Communitatem tam vigore Mandati generalis, quàm ut supra specialis repræsentantes, aliàs explicuissent hunc actum, sive conveniissent in hanc additionem, & innovationem soli Jurati, jam, ut prætendebatur effecti Patroni, & nunquam una simul cum Juratis interveniissent cæteri Consiliarii, aliique conficientes integrum Corpus ipsius Universitatis, atque hæc erat vera observantia facti explicativa intentionis Fundatorum, & attendibilis, ut de observantia practicata per contrahentes post contractum dixerunt *Rocc. disput. Jur. select. cap. 193. numer. 8. & 9. Caren. resolut. 10. numer. 3. Panimoll. decis. 137. num. 19. Rota decis. 26. num. 14. coram Ottobon. decis. 118. num. 14. coram Emerix Jun. decis. 469. num. 11. part. 18. decis. 354. num. 13. & decis. 674. num. 22. part. 19. Recent. cum aliis in annotat. ad meas decisiones inter hactenus impress. decis. 52. num. 3.* & in proposito *Lotter. de re Beneficiar. lib. 2. quæst. 10. numer. 108. Rota decis. 244. num. 5. coram Dunozzett. Jun.*

Ista itaque fuerunt potissima fundamenta hodiernæ resolutionis, sed quia, ut à principio enunciavimus, per tres usque vices oportuerit cum adjutorio *quinti, & sexti* Correspondalis illam capere, & ut veritas, quæ est finis pandendarum Decisionum ante Sententiam, seu Causæ expeditionem, plus valeat elucescere, *Ego* implendo quantum fieri potest munus Ponentis non omittenda credidi, quæ per alios *Dominos* diversimodè sentientes ad-
21 ducebantur, *Ferro enim viam aperit, qui per contraria transit*, monebat *Bald. in leg. Precibus, Cod. de impuberibus, & aliis substitution.* quæ refert *Capon. disceptat. forens. tomo primo, discept. 50. sub numero primo.*

In primis namque iidem *Domini* in adversam Sententiam ambulantes annotabant abstractivè, quòd conclusio superiùs insinuata de Jure præsentandi relicto pluribus personis intelligatur competere uti singulis, erat verissima, & pariter erat verissima altera, quòd Juspatronatus pertinens

ad

ad Communitatem, non recipit divisionem, sed tanquam una vox individua illa major pars hominum de Universitate, sive illæ duæ tertiæ suffocent partem minorem, vel alteram tertiam non verificabili unquam casu in Communitate hujusce paritatis, certò certiùs ad explendum quemcumque actum Collegiativum, sive præsentationis, sive alterius deliberationis, prorsus inefficacis, ut bene in ordine ad primam conclusionem docet antesignanus *Felin. in cap. Cum omnes sub nu. 29. versic. In dubio autem de Constitutionibus, Sanchez conf. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 100. num. 6. Gratian. disceptat. 211. numer. 7. Barbosa vot. decisiv. 121. num. 3. Tondut. quæst. Canonic. part. 3. cap. 159. numer. 5. Lambertin. de Jurepatronatus lib. 2. part. 2. quæst. 2. art. 8. num. 14. Garz. de Benefic. part. 5. cap. 9. num. 222. & 227. Lotter. de re Beneficiar. lib. 2. quæst. 10. num. 107. Rota decis. prima, & decis. 2. utrobique num. 2. coram Cæsar. de Graß. & decis. 31. num. 12. coram Comitul. de Iurepatronatus decis. 268. num. 2. coram Mantic. & decis. 224. num. primo, coram Dunezzett. Senior.* & circa secundam *Abbas in cap. Ecclesia vestra 4. de elect. num. 4. & 5. Gonzalez in cap. primo num. 5. in fine, De his, quæ fiunt à major. part. Capitul. Francesc. de Eccles. Cathedralibus cap. 8. num. 353. & seqq. Modern. Roman. disceptat. 4. n. 21. tomo primo, Rota decis. 731. num. 16. coram Dunozzett. Jun.* & in *Gerundeñ. Anniversariorum de Guixolis prima Iulii labentis anni* 1709. §. *Neque Beneficiatis coram R. P. D. meo Chrispo*; cum aliis *superius allatis*, & habemus quotidie, quando ab initio voces sunt distinctæ, ut dicatur illa vox residere penes majorem partem efformantium eamdem unicam vocem spreta penitus minori ad passim firmata per *Abb. in cap. Scriptum num. 6. de elect. Lambert. de Iurepatronatus lib. primo part. 2. quæst. prima art. 25. num. 17. Cardinalis de Luca eodem tract. disc. 54. num. 6. Rota dec. 2. num. 6. part. 7. Recent.*

Ast in concreto hodiernæ controversiæ subnectebant æquivocum in hoc versari, quia secunda conclusio applicari valuisset ad rem, quoties simpliciter tractaretur de præsentatione facienda per Communitatem, in cujas resolutionibus debent, vel duæ tertiæ Congregatorum partes, vel saltem major in eundem sensum coalescere; Verùm in præsenti Communitas quidem erat in corpore habitualiter Patrona, & si aliud non effecisset, tunc ambigi non valebat, quòd ejus vox esset individua, & præsentatio facienda foret collegiativè, quòdque non intraret hypothesis medietatis, & habens medietatem Universitatis pro se nullam vocem habere dicatur, ac si non foret ab ullo præsentatus, sed dum ipsa Communitas, quoad Jus præsentandi, se quodammodo spoliaverit omni facultate, illamque tribuerit Juratis, qui minimè in omnibus repræsentabant Communitatem, ut apparebat ex ea altera resolutione capta per Communitatem super concursu in futuris vocationibus faciendo, in ea quippe intervenerunt præter Juratos, etiam nominatim plures Consiliarii, sicuti videmus plerumque in Rebuspublicis potestatem in aliquibus stare apud singularem Magistratum, majorem apud Senatum, & integram apud totum Reipublicæ corpus, sed quoad rem nostram evidentius erat, neque Communitas in tribuendo hujusmodi potestatem dixerat, quòd Jurati hoc facerent nomine Universitatis, attento solùm eorum officio, aliàs, ut mox diximus nusquam repræsentativo totius Communitatis, ad quam repræsentationem efformandam requirebantur etiam Consiliarii, cæterique illam constituentes; Et ecce quòd eamdem potestatem, sive Jus præsentandi transferendo, seu donando Juratis, & sic pluribus personis rectiùs congruebat prima propositio, quòd censeretur eis elargita uti singulis, non uti universis, & de facto ad comprobationem hujus veritatis tam prima resolutio Universitatis, quàm Instrumentum Erectionis, & Reservationis Juris præsentandi optimè secernebat unam rem ab altera, sive unum effectum ab altero, nam in quantum Jurati expresserunt, de quibus redditibus fiebat erectio, & qui erant in radicè, seu juridicè Patroni, loquuti fuerunt nomine Universitatis, & obligarunt bona Universitatis, quando autem iidem Jurati loquuti sunt de patronatu, sive exercitio actuali, per dictionem omnino adversativam *verò* loquuti sunt, ut ibi: *Jus verò Patronatus* (non jam Communi-

munitati) *Nobis, & nostris Successoribus in dicto Officio Juramentorum reservamus*: ad ea, quæ præcisè, vel satis proximè similes formulas examinando tradit in his terminis *Barbosa dicto voto decisiv.* 121. *num. primo junct. num.* 23. *lib.* 3. & videtur satis explicare, *Rota in Civitatis Castelli Manutentionis* 3. *Iulii* 1690. §. *Hæc interpretatio coram bon. mem. Ursino, in Interamnen. Manutentionis* 22. *Aprilis* 1697. §. *Quo verò coram Me, & in Colonien. Regentiæ* 18. *Iunii* 1706. §. *Neque obstat coram R. P. D. meo Scotto*, & attenta discretiva, seu adversativa resultant ob dictionem *verò* patet *ex leg. Hoc amplius* §. *De his autem ff. de damn. infect. leg. Si verò ff. Qui satis dar. cogant. Surdus consil.* 315. *num. primo, Menoch. consil.* 201. *numer.* 34. *Barbosa dict.* 420. *num. primo, Rota decis.* 188. *num.* 28. *par.* 17. *Recent.*

Et huic intelligentiæ consonam adver-
23 tebant esse observantiam, geminæ namque præsentationes post erectionem hujusce Beneficii evenere, prima scilicet *de anno* 1651. ad favorem Petri de Pons (qui fortè contribuerat supradictas *libr.* 50.) ast ex tenore *Summarii hinc inde fideliter distributi* constat siquidem in illam concordasse amicabiliter, & pacificè omnes Juratos nominatim expressos per Procuratorem ab eis constitutum ad præsentandum *coram* Ordinario, sed nullibi appareret, quòd ad idem mandatum conficiendum collegialiter se coadunassent, sed solùm liquet, quòd ipsi Jurati nullum expresserunt nomen Communitatis, nisi illud, quod partialiter, & implicitè eis competere posset ratione Officii, dicendo se Juratos, unde majùs inclinare videbatur intellectus ad actum initum nomine singulari, cum singulariter nominarunt propriam personam, & ad omne pejus hæc præsentatio reddebatur prorsus æquivoca, & proinde recurrendum erat ad alteram subsequentem observantiam magis claram, & certam, ut passim dixit *Rota, & signanter in Aretina Beneficii* 21. *Ianuarii* 1701. §. *Ubique coram Me, in Cremonen. Beneficii* 3. *Decembris* 1706. §. *Facile fuit in fine, coram R. P. D. meo Lancetta, in Lucana Beneficii* 22. *Februarii currentis anni* 1709. §. *Descendo modo, coram R. P. D. meo Falconerio.*

Supponebant magis claram, quia cum *de anno* 1694. duo solùm ex quatuor Juratis concordaverint in præsentando Paulum Nogueram, is obtinuit ab Archiepiscopo gratificationem sub memorata expressione medietatis, unde si non vox Communitatis, uti Communitatis certè illa Procuratorum specialiter deputatorum ad præsentandum per observantiam facti, & Episcopi in effectu fuerat per subsequutam effectuationem agnita, & declarata divisibilis, minime adversante supradicta replicatione, quòd gratificatio differat à derogatione Pontificia: In primis namque, quidquid sit an hoc verum existat, per hoc non tollebatur inevitabile motivum observantiæ, quia fuit cum effectu, ut diximus reputata vox Juratorum vox divisibilis, & capax medietatis, qua non concurrente citra difficultatem Episcopus nequaquam potest gratificare, ut sine contradictore notant *Campanil. diverf. Iur. Canonic. rubric.* 11. *cap.* 13. *numero* 447. *Ventrigl. in prax. rer. notabil. tomo* 2. *annot.* 1. *de Iurepatronatus*, §. 3. *numero* 61. *& seqq. Rota decis.* 422. *num.* 14. *& seqq. coram Bich. & decis.* 667. *num.* 19. *par.* 19. *Recent.*

24 De reliquo nullo modo subsistentare (iidem *Domini* adversæ Sententiæ dicebant) quòd gratificatio differat à derogatione Pontificia, quasi quod Pontifex non examinet merita sui Provisi; quia procedens per viam omnino gratiosam præviam præsupponit informationem, quodque merita in suo Collatario adinvenerit indubitanter sufficientia, teste *Garz. de Benefic. par.* 6. *cap.* 2. *num.* 157. *de Rof. de Exequutor. litterar. Apostolicar. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 1. *Rota decis.* 141. *numer.* 11. *coram Merlin.* quando de cætero licet de rigore in concursu dignioris eligere quoque dignum sufficienter ex collectis per *Garz. de Benefic. par.* 7. *cap.* 16. *num.* 16. *Paris. de resign. lib.* 4. *quæst.* 16. *numero* 4. *Adden. ad Gregor. decis.* 11. *num.* 8. *Rota decis.* 93. *num.* 11. *par.* 7.

Eoque indubitantiùs, quia examinantes Doctores quid importet hæc derogatio medietatis vocum, illam non referunt ad supremam, & absolutam potestatem Thiaræ Pontificiæ, quando Papa ex rationabilibus causis per suas reservationes, vel in

Jure

Jure scriptas, vel in regulis Cancellariæ præscriptas Iuripatronatus derogat non in totum, sed simpliciter tribuit hanc derogationem pro medietate per viam puræ præventionis, quòd facere posset Ordinarius gratificando, & propterea subdunt hasce derogationes resolvi in gratificationem, ut legitur penes *Amayden. de styl. Datar. lib. 1. cap. 15. §. 15. num. 4. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 8. n. 103. cum aliis relatis concordan. in Barchinonen. Beneficii 23. Martii 1705. §. Tertio tandem, & in illa Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. §. Eoque robustius coram Me, & in Romana Cappellaniæ Sancti Nicolai 28. Junii currentis anni 1709. §. Amaritudo itaque pariter coram Me.*

Devenientes autem præfati *Domini* ad secundum motivum, durum prorsus illis videbatur, quòd ab Iacobo avelleretur Gratia Pontificia, quasi illam extorsisset, vel tacendo verum, vel exprimendo falsum, & quando in omnem casum non amplius ipsa Communitas, seu ipsi Iurati inter se contrarii alium poterant præsentare, sed collatio hujusce Beneficii privativè spectabat in nostris scissuræ circumstantiis ad Papam; quatenus enim pertinebat ad prætensam subreptionem, vel obreptionem nec quicquam veri subticitum, nec quicquam à vero alienum narraverat Iacobus, ipse etenim exposuit, quòd Beneficium erat simplex, quòd erat de Iurepatronatus laicorum, videlicet pro tempore Iuratorum, & quod ad illud pro tempore vacans Presbyter, seu Clericus ad pulsanda organa peritus, ac filius naturalis Oppidi de Binisalem præsentari deberet, & hæc indubitanter erant certissima, sed nullatenus positivè expressit, quod ipse fuisset à medietate Patronorum præsentatus, ut fit in aliis derogationibus consuetis pro medietate vocum, ut illius formula examinantes ostendunt, & supponunt *Mandos. de Signatur. Grat. titul. de derogat. Iurispatronatus, Amayden. de styl. Datar. libro primo, cap. 15. §. 15. num. 4. De Ros. de Exequutor. litterar. Apostolicar. par. prima cap. 4. il 2. sub num. 130.*

Derogatio quippe medietatis Patronorum stat in ore, & in Gratia Pontificis, & in narrativa Iacobi, ut clarè patebat ex lectura Litterarum Apostolicarum, Pontifex siquidem forsan audiendo expressionem, quòd Iurati in numero plures erant Patroni, contentus extitit, quòd assentiret Iacobo medietas saltem materialis; subsequuta enim vacatione Beneficii per liberam resignationem in manibus Pontificis necessarius non erat assensus Patronorum, qui solum à Sancta Sede practicatur de stylo, & ut ita dicamus urbanitate, non de justitia, teste *Innocentio, Abbat. & aliis in cap. ultim. de renunciat. Rocch. de Curt. in tract. de Iurepatronatus, verb. Honorificum col. 3. Paris. de resignat. lib. 8. quæst. 10. num. 1. & 2.*

Ast etiam, quando Iacobus prænarrasset Pontifici, quòd præditus erat medietate Patronorum consensientium, in quo peccaverat, admissa etenim etiam pro verissima propositione, quòd nullam vocem habere dicatur ille, qui est præsentatus à medietate Repræsentantium Communitatem, cum eisdem Communitatis vox sit individua, & pariter ob id admisso, quòd impetranti non suffragetur derogatio alterius medietatis ex individualibus doctrinis supra relatis, hoc utique procedebat quoties Communitas eundem Iacobum præsentasset coadunata in corpus cum suis Iuratis, & Consiliariis, sed quoties, prout quoad exercitium translatum erat jus præsentandi ad quatuor Iuratos, vel cessabat ex præcedenti fundamento omnis quæstio, vel saltem non poterat non esse dubia, multùmque anceps ex rationibus, de quibus supra, prout quoque apparebat ex tribus propositionibus in *Sacro Tribunali* decertatis, quamobrem quomodo tenebatur exponere Iacobus pro certo, quòd erat tam incertum, & disputabile, itaut Gratiam dici mereretur surrepisse, surreptionem quippe non cansant res disputabiles, & obscuræ, quæve pro certis narrari nequeunt, maximè si taceantur, ex connotatis ad rem penes *Felin. in cap. In nostra, de rescript. Ferrett. consil. 314. numer. 12. Petr. de Potestat. Princip. cap. 9. num. 52. Rota decis. 551. numero 5. coram Cavaler. & decis. 401. numer. 31. parte 4. tomo 2. decis. 451. num. 21. & seqq. par. 5. Recent.*

Quid plus, dum ultra amaritudinem, & ambiguitatem applicationis Iuris circa hanc fundationem, novè in omnem casum Iaco-

Jacobus in præſuppoſita etiam figuratione, quòd enarraſſet Pontifici, ſeſe reportaſſe medietatem Patronorum, ductus fuit juſtiſſimo errore, etiamſi veritas foret in contrarium, quando Archiepiſcopus in faciem loci plus videns, non tantùm litteraliter uſus fuerat in gratificando hoc eodem vocabulo *medietatis*, ſed innixus eidem partitioni, ſeu medietati Patronorum, gratificavit cum ſubſequuta effectuatione, alterum de præſentatis in ſimili ſciſſura Juratorum; Si ergo ultimus ſtatus radicabatur in hac medietate, etiamſi non valeret in ratione ultimi ſtatus, valebat ſaltem in ratione Jacobum tuendi à ſubreptione, ſi credidit, quod credebat Archiepiſcopus ad ea, quæ in propoſito uno ore conſonant Scribentes, quòd factum non expreſſum, vel malè expreſſum cauſet ſubreptionem, non Ius, utpote exiſtens in ſcrinio pectoris Principis ſupplicati, & concedentis *Felin. in cap. Super litteris ſub num.* 8. *verſic. Secunda regula de reſcript. Gonzalez ad regul.* 8. *Cancellar.* §. 4. *Proæmial. num.* 83. *& ſeqq. Lotter. de re Beneficiar. lib.* 3. *quæſt.* 44. *num.* 22. *Rota deciſ.* 569. *num.* 15. *par.* 5. *& dec.* 536. *num.* 5. *par.* 19. *recent.*

Quo verò ad pertinentiam collationis in hoc caſu ad Papam, & non ad alium, itaut lubentiùs in omnem eventum foret ſubſtinenda collatio jam facta, ad regulam *multa facta tenent*, de qua *Rota in Aſculana Beneficii* 5. *Martii* 1698. *coram Me, inter hactenus impreſſ. deciſ.* 35. *numer.* 19. *ibique concordan.* ſatis liquidum eſſe (ſubnectebant *iidem Domini*) perſpecta ipſamet contraria, ſeu capitali ratione, ob quam exorta eſt præfata propoſitio, quòd nullam vocem habere cenſeatur ille, qui habet pro ſe medietatem Collegii, medietatem Communitatis, ex quo ea ſtare non poſſit in æquilibrio, quapropter conſequebatur, quòd ad Papam delata erat collatio cum Patronis, prout hîc, in termino præſentandi non concordantibus, nec Archiepiſcopus queat gratificare, licèt enim adeſſet alius compræſentatus, nemo tamen eorum diceretur verè præſentatus, & ad conſequendam gratificationem idoneus, ut concludere poſt bene enucleatam materiam videtur *Modernus Romanus diſcept. Eccleſiaſtic. tomo primo diſcept.* 4. *num.* 34. *in fine, cum ſeqq.*

Abſoluto ingeniorum conflictu, pro majori parte *Dominorum* exiit, ut meminimus, affirmativa reſolutio, ex quo, & crediderunt validiora eſſe priora fundamenta, & reputarunt fortè per impedimentum, litis non effluxo termino, Patronos denuò præſentare poſſe per concurſum, magiſque ob id ſalutarem, & utilem Eccleſiæ proviſionem tanquam ex non repleta adhuc vacatione reſultare potuiſſe, & quia tandem pro coronide ad diluendam omnem hæſitationem concurrere viſa eſt ipſius Jacobi confeſſio per viam facti, quod potentius eſt verbis, ipſe enim veluti agnoſcens conſenſum à ſe reportatum ſingulariter, ſive, ut dicitur oſtiatim, nullatenus ei poſſe ad Gratiæ ſubſtentationem ſuffragari, curavit, ſed inutiliter, illum denuò obtinere per viam actus Collegiativi, nulla quippe major datur etiam in dubio verificatio veritatis, quàm ea, quæ reſultat ex confeſſione ipſius Partis tam verbo, quàm facto ad firmata per *Rotam coram Emerix Jun. deciſ.* 1127. *num. fin. & in recent. part.* 10. *deciſ.* 250. *numer.* 3. *&* 4. cum aliis *in Senen. Jurium Parochialium* 15. *Februarii* 1708. §. *Modernam verò coram R. P. D. meo Lancetta.*

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

An Poſſeſſio dignitatis, cui eſt annexum Juſpatronatus, malitiosè impedita, habeatur pro capta in ordine ad præſentandum.

SUMMARIUM.

1 *Poſſeſſio Dignitatis, cui eſt annexum Juſpatronatus malitiosè impedita, habetur pro capta in ordine ad præſentandum, ſed limita, ut num.* 3. *& amplia, ut num.* 4.

2 *Actus impeditus in odium impedientis habetur pro facto.*

5 *Nemo jacturam ſui Juris pati debet ex culpa, & delicto alterius.*

CASUS VIII.

FUit impedita à quodam malitiosè, & hoc directè agente, possessio Archiepiscopatus, cui annexum erat Iuspatronatus ad effectum, ne Archiepiscopus præsentaret. Quæritur in hoc Casu. An hujusmodi possessio habeatur pro capta, ad
1 effectum, ut Archiepiscopus possit præsentare?

Movet hunc articulum D. Advocatus Pitonius Præceptor meus *in Panormitana Thesaurariæ*, quæ impressa reperitur apud ipsum in ejus *Tractatu de Controvers. Patron. alleg. 19. tomo 1.* ut priùs dixit *Discept. Eccles. 12. num. 56.* ex cujus dictis Ego infra subjicio ad resolutionem quæstionis.

2 Et quidem affirmativè est resolvendum, etenim Actus impeditus in odium impedientis habetur pro facto juxta *Barbosa de Canon. cap. 15. num. 13. & 14. Gonzal. ad regul. 8. §. 3. Proæmial. num. 38. Adden. ad Gregor. decis. 341. litt. A. infine, & decis. 364. sub num. 6.*

Benè verum est, quòd impedimentum
3 præstitum capturæ possessionis non potest operari, quòd illa habeatur pro capta, quoties Archiepiscopus non fecit ostensionem Litterarum Apostolicarum Capitulo ad effectum ei notificandi, quòd illæ erant expeditæ, & per ipsum non stabat, quo minus adipisceretur possessionem Archiepiscopatus, sine qua circumstantia non procedit regula, quòd propter impedimentum possessio habeatur pro capta, ut probat *Rota apud Garz. de Benefic. par. 5. cap. 4. num. 262. vers. Et Domini dixerunt.*

Quod ampliatur etiam si ex tali Civili
4 captura possessionis oriatur præjudicium Tertii, qui directè non impedivit; quia tali Casu conditio capturæ possessionis habetur pro impleta, non quidem in odium impedientis, sed potius favore impediti, ne patiatur jacturam sui Iuris sine culpa, & facto proprio, *Rota in Burgen. Canonicatus 8. Julii 1584. coram Bubalo impress. apud Garz. de Benefic. par. 5. cap. 4. num. 262. Bartol. in L. in testamento 31. ff. de condit. & demonstrat. Text. in L. Si Titius statuas ff. de condit. & demonstrat. Corneus in L. 1. Cod. de instit. & substit. n. 18.* cùm sit iniquum, quòd alteri ex facto,
5 & culpa Tertii fiat præjudicium, cùm nemo jacturam sui Iuris patiatur ex culpa, & delicto alterius *L. eleganter ff. de dolo, Rota decis. 135. numer. 39. par. 16. Recent.*

ARGUMENTUM.

Uno ex Patronis non præsentante, cæteris præsentantibus, vox illius favore cujus augeatur?

SUMMARIUM.

1 *Jus accrescendi habet locum inter Patronos re, & verbis conjunctos; & num. 3.*
2 *Aliquibus Patronis non præsentantibus, cæteris præsentantibus, an vox non præsentantium augeatur præsentantibus?*
4 *Natura conjunctionis est, ut conjuncti constituant unum Corpus, uniusque Personæ vice fungantur.*
5 *Ordo affectionis, ut disparitatem operetur, itaut unus præferendus sit alteri in successione, & substitutione, ex quibus æstimari debeat? & numero 6.*
7 *Præsentatus à majori parte Patronorum est instituendus.*
8 *Consanguineus solùm in paritate, & non in disparitate vocum est præferendus Extraneo.*

CASUS IX.

COlella, & Bartholomæus Pantoliano renovarunt anno 1554. fundationem Juris patronatus Cappellæ Sanctæ Crucis, reservantes de communi consensu pro se, eorumque hæredibus, & successoribus quibuscumque Jus præsentandi. Et cùm hæredes, & successores Colellæ nunc existentes, & descendentes à Joanne ejus filio sint Aloysius, Clara, & Theresia, hæredes verò, & successores Bartholomæi nunc existentes ex parte Camilli ejus filii sint Cæsar, & Lucretia; Ex parte Marci Antonii ejusdem Bartholomæi pariter filii

sint

sint Bartholomæus Iunior, Matthæus, Isabella, & Theresia; ad ipsos spectat Ius præsentandi, itaut una medietas vocum sit penes hæredes, & successores Colellæ, alia verò medietas sit penes hæredes, & successores Bartholomæi. Sed quia hæredes dicti Bartholomæi divisi sunt in duas lineas, quarum unam constituunt Camillus, aliam Marcus Antonius, eorumque descendentes respectivè; inde eriam medietas vocum spectans ad hæredes dicti Bartholomæi divisa est in duas partes, quarum una spectat ad Camillum, ejusque descendentes, alia verò ad Bartholomæum, ejusque pariter successores.

Vacante dicta Cappella Sanctæ Crucis Aloysius, Clara, & Theresia hæredes Colellæ, & habentes integram medietatem vocum, præsentarunt ad illam Reverendissimum Cantorem Petrum de Schipano. Matthæus è contra, Isabella, & Theresia hæredes Bartholomæi ex parte Marci Antonii ejus filii habentes unam partem medietatis vocum præsentarunt Bartholomuæm abnepotem dicti Bartholomæi Senioris, Cæsar verò, & Lucretia hæredes ejusdem Bartholomæi Senioris ex parte Camilli ejus filii repræsentantes aliam partem medietate vocum, nullum præsentarunt. Hinc proponuntur præinserta dubia.

Primò. An in tali Casu habeat locum Jus accrescendi partem medietatis vocum spectantem ad Cæsarem, & Lucretiam nullum præsentantes? Et quatenùs affirmativè.

Secundò: Cujus favore habeat locum dictum Jus accrescendi? Super quibus dubiis consultus Dominus meus Patruus, quid pro veritate sentiret, ipse, ut essem versatus de modo consulendi in dubiis contingentibus, onus scribendi in hac Causa mihi imposuit, ac proinde re maturè discussa censebam, prout infra, de Jure respondendum.

Et quidem primum dubium affirmativè resolvendum dicebatur. Etenim Colella, & Bartholomæus Renovatores fundationis Jurispatronatus dictæ Cappellæ Sanctæ Crucis unanimi consensu, & una, eademque oratione reservarunt dictum Juspatronatus sibi ipsis, & eorum hæredibus, & Successoribus quibuscumque; omnes simul conjungendo sine ulla 1 distinctione inter hæredem unius, & hæredem alterius, in quo casu de Iure est, ut inter ipsos re, & verbis conjunctos, utpote eodem sermone, & ad eamdem rem vocatos, locum habeat Ius accrescendi, juxta *Text. in L. 1. in princ. §. Idem est ff. de Usufructu accres. L. Unica §. Ubi autem Legatarii Cod. de Caducit. tollen. §. Si eadem instit. de Legat. Vulp. tit. 24. instit. §. Si duobus Gloss. in L. Mulieri 73. in verb. Proderit ff. de condit. Bartol. in L. 1. in princip.* & alii *apud Bellon. de Iure accrescendi cap. 5. quæst. 36. num. 5.*

Maximè cùm deficiat in hæredibus Bartholomæi ex parte Camilli descen- 2 dentibus pro ea vice, utpote nullum præsentantibus, una pars medietatis vocum, in quo casu indubitatum est intrare Ius accrescendi dictam partem favore aliorum, qui ad nominationem, & præsentationem dictæ Cappellæ fuerunt uno, & eodem sermone vocati à dictis Renovatoribus, ut apud *Baldum in L. Hujusmodi 86. §. Si Titio, & Mevio in princ. not. & ibi, Castr. in fine, & Alex. in fine, ff. de leg. primo Ius. in Leg. unic. num. 28. C. Quando non pet. part. in L. Hac consultissima 21. §. Ex imperfecto num. 21. Cod. de Testam. in L. 1. num. 17. vers. 4. ff. de cond. indic. & in L. Si duobus 16. in princ. num. 2. ff. de legat. primo, & aliàs apud Bellon. de Jure accrescendi cap. 7. quæst. 37. num. 2.* Quòd procedit etiam si non agatur de linea finita, ut patet in Casu, de quo in *decis. 248. par. 16. Recent.*

Quoad secundum dubium videtur, quòd Pars medietatis vocum spectans ad Cæsarem, & Lucretiam hæredes Bartholomæi ex parte Camilli ejus filii, & nullum in hac vacatione præsentantes, augeri debeat favore Matthæi, Isabellæ, & Theresiæ hæredum ejusdem Bartholomæi, ex parte Marci Antonii ejus pariter filii, habentium aliam partem medietatis vocum, & præsentantium Bartholomæum, & non favore Aloysii, Claræ, & Theresiæ hæredum Colellę habentium integram medietatem vocum, & præsentantium dictum Dominum Petrum de Schipano.

Quia illi sunt magis propinqui, & consanguinei respectu dictorum hæredum Bartholomæi descendentium ex parte Camilli ejus filii, quàm sint hæredes Colellæ, & sic magis dilecti censentur à Bartholomæo, ejus hæredes descendentes à Marco Antonio ejus filio, quàm hæredes Colellæ ejus Fratris. Et quia hæc videtur esse mens Rotæ, *in Auximana Cappellæ decis. 248. par. 16. Recent.*

His tamen non obstantibus, verius censeo dictam partem medietatis vocum hæredum Bartholomæi descendentium à Camillo ejus filio pro æquali portione augeri debere in hoc Casu, tùm favore hæredum ejusdem Bartholomæi descendentium à Marco Antonio altero ejus filio habentium alteram partem medietatis vocum, tum favore hæredum Colellæ habentium integram medietatem vocum, ita ut quod dicta Pars medietatis vocum dividenda sit in tres quartas, seu portiones, & duæ quartæ augendæ sint favore hæredum Colellæ, utpote habentium integram medietatem vocum, & alia quarta dictæ partis augenda sit favore hæredum Bartholomæi descendentium à Marco Antonio, utpote habentium non integram medietatem, sed unam tantùm partem medietatis vocum.

Ratio est, quia Colella, & Bartholomæus Renovatores supradicti vocarunt una, & eadem oratione, seu sermone ad dictum Ius præsentandi omnes, & quoscumque eorum hæredes, & Successores, itaut nec Colella distinxit, seu separavit in ordine ad successionem Iuris præsentandi suos hæredes ab hæredibus Bartholomæi, nec Bartholomæus separavit suos ab hæredibus Colellæ, & sic conjunctim illos omnes instituerunt ad successionem Iuris præsentandi, juxta *L. Unic. §. His ita definitis, vers. Hæc ita tam variè, Cod. de eadem toll.* & scribunt *Petr. de Besut. in dicta L. Re conjuncti numer. 7. Donat. lib. 7. Comment. cap. 23. & Bellon. de Jure accresc. cap. 5. quæst. 28.*

3 Et propterea cum sint re, & verbis conjuncti, sine dubio intrare videtur jus accrescendi pro æquali portione inter omnes, juxta *L. Re conjuncti 59. ff. de Legat. 3. L. Triplici 142. ff. de verb. significat. Bellon. de Iure accresc. cap. 5. quæst. 20. Rota decis. 344. numer. 5. & 6. part. 11. Recent.*

Et natura hujusmodi conjunctionis est,

4 ut conjuncti constituant unum corpus, uniusque personæ vice fungantur *L. Planè 34. §. 1. ff. de leg. 1. & in dicta L. unic. §. His ita definitis, vers. Hæc ita tam variè Cod. de Cad. toll. Curt. Jun. consil. 22. numer. 8. & cons. 161. num. 4. vers. Confirmatur, Mantic. de Comm. ult. volunt. lib. 10. tit. 3. num. 8.* & alii *apud Bellon. in dicto cap. 5. quæst. 35. num. 1.* Idest idem capiant omnes, quod caperet unus, si solus ad rem, aut partem conjunctim relictam vocatus esset; Quo fit, ut aliis deficientibus, idem capere debeat unus, quod omnes essent accepturi, si concurrerent, scilicet, quia hæc est fictitii corporis natura, ut idem pauciores superstites consequantur, quod plures essent habituri, si supereressent. *Bellon. cap. 3. quæst. prima num. 17.*

Nec obstat, quòd hæredes Bartholomæi descendentes à Marco Antonio ejus Filio, utpotè sibi magis propinqui, & Consanguinei, sint magis dilecti à Bartholomæo, quàm hæredes Colellæ, ita ut in hoc Casu illis debeat augeri pars medietatis vocum spectans ad hæredes ejusdem Bartholomæi descendentes à Camillo altero ejus filio, & nullo modo hæredibus Colellæ, & illi præferendi sint istis.

5 Quoniam ordo affectionis, ut disparitatem operetur inter vocatos, itaut unus præferendus sit alteri in successione, & substitutione, non debet æstimari ex ipsius majoritate, vel minoritate. Quòd scilicet dictus Bartholomæus plus dilexerit suos hæredes, quàm hæredes Colellæ ejus Fratris, cùm etiam inter omninò pares talis majoritas, & minoritas affectionis esse possit. Puta inter Filios, & Filias. Immo inter ipsos met filios masculos, quòd scilicet Pater magis diligat filios, quàm filias, aut unos filios masculos, quàm alios filios masculos, & tamen isti in ordine, & Iure successivo sunt omninò pares, ut in *L. 1. & L. 12. tab. 14. Cod. de Legat. hæred. §. Cæterùm, Iust. de Leg. agn. succes. §. 1. vers. Differentia nulla, & §. Nullam Auth. de hæred.*

ab

ab inteſt. venien. collat. 9. cap. 1. §. Hoc autem de his, qui feud. dar. poſſ. Bellon. de Jure accreſc. cap. 5. quæſt. 26. num. 66.

6 Sed debet æſtimari ex prioritate, & poſterioritate juxta *Bellon.* & alios apud eum ubi ſupra, quòd ſcilicet Bartholomæus per prius dilexerit ſuos hæredes, & per poſterius hæredes ſui Fratris, quòd cum hoc in Caſu preſenti non verificetur, cùm Bartholomæus, quoad ſucceſſionem Juris præſentandi non diſtinxit ſuos hæredes ab hæredibus Colellę, ſed omnes conjunctim vocavit, certi Iuris eſt, ſi ex his unus deficiat, regulariter inter alios nullam conſiderari poſſe prælationem, ut in *dicta L. Unica his ita definitis, verſ. In his itaque Cod. de Cad. toll. Bartol. in L. Re conjuncti num.* 30. & alii apud *Bellon. dicto cap. 5. quæſt.* 45.

Supradicta deciſio Rotæ non applicatur, quia ibi non agitur de eodem modo, re, & verbo conjunctis, ut in caſu præſenti, ſed de diverſo modo conjunctis, cùm Camillus, & Philippus in eadem oratione, in qua etiam comprehenſi fuerunt Bonfilius, & ejus deſcendentes, ſpeciali copula fuerunt conjuncti, & uniti, ut ibi dicitur num. 8. Unde mirum non eſt ſi decedente Camillo abſque deſcendentibus, jus illius augeretur Philippo, & non Bonfilio, & ejus deſcendentibus.

His itaque veris exiſtentibus manifeſtè
7 ſequitur, quòd Reverendiſſimus Cantor de Schipano inſtituendus ſit in dicta Cappella Sanctæ Crucis, utpote præſentatus ab habentibus majorem partem vocum, nempe ab Aloyſio, Clara, & Thereſia Deſcendentibus à Colella, & habentibus integram medietatem vocum, & duas quartas, ſeu portiones partis medietatis vocum ſpectantis ad hæredes Bartholomæi deſcendentes à Camillo ejus filio *ad Text. in cap. Quoniam de Jurepatron. Zecch. de Benefic. & penſion. cap. 12. nu. 35. Lambert. de Jurepatr. lib. 2. par. 3. quæſt. 4. art. 1. 4. & 6.* & alii apud *Vivian. par. 2. lib. 12. cap. 8.* Non autem Bartholomæus utpote præſentatus ab habentibus minorem partem vocum, nempe à Matthæo, Iſabella, & Thereſia hæredibus Bartholomæi, Deſcendentibus à Marco Antonio ejus filio, habentibus ſolam unam partem medietatis vocum, & unam quartam dictæ partis dictorum hæredum; Licèt dictus Bartholomæus ſit conſanguineus
8 Bartholomæo Seniori, & Renovatori dictæ Fundationis, quia Conſanguineus ſolùm in paritate, & non in diſparitate vocum eſt præferendus extraneo, juxta *Rotam in Mediolanen. Juriſpatr. coram Paulutio impreſſa apud meum Advocatum Fitonium Diſcept. Eccleſ. 28. num. 8. & in Placentina Parochialis 16. Martii 1708. §. finali coram R. P. D. Anſaldo.*

ARGUMENTUM.

Ad validam præſentationem Perſonæ ad Dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis quid requiritur? Et de requiſitis in Promovendo ad hujuſmodi Dignitates.

SUMMARIUM.

1 *Promovendus ad Dignitates, quibus ineſt Cura Animarum, quæ requiſita habere debeat? Et quæ requirantur in promovendo ad Dignitates, quibus non ineſt Cura Animarum?*

2 *Dignitas Diaconalis, Archidiaconalis, & Eccleſia Parochialis habent annexam Curam Animarum.*

3 *Promovendus ad Dignitatem habentem annexam Curam Animarum debet habere vigeſimum quintum annum inceptum, licèt non completum, aliàs collatio eſt ipſo Iure nulla. Amplia, ut num. 4. Limita ut num. 5.*

6 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper ætate promovendum ad Dignitates curatas, ſed ſolus Papa ſuper ea diſpenſat.*

7 *Diſpenſatio circa defectum ætatis pro obtinendo Sacerdotio, an ſuffragetur pro obtinenda Dignitate habente annexam curam Animarum in Cathedrali, aut Collegiata?*

8 *Ætas 25. annorum, à quo tempore ſit computanda?*

9 *Ætas non incipit in utero Matris, ſed in Partu.*

10 *Promovendus ad Dignitates curatas,*

à

à quo tempore habere debeat ordinem Sacerdotalem?

11 *Non promotus ad ordinem, quem Beneficium requirit, non est ipso Iure absque monitione Beneficio privatus, sed limita in Ecclesiis Parochialibus.*

12 *Rector Ecclesiæ Parochialis non promotus intra annum ad Sacerdotium, ut privari possit dicta Ecclesia, quæ requirantur?*

13 *Rector Ecclesiæ Parochialis, si infra annum non fecit se promoveri ad Sacerdotium, an licitè possit retinere fructus Ecclesiæ, quos percepit durante anno?*

14 *Annus, infra quem Promotus ad Ecclesiam Parochialem promoveri debet ad Sacerdotium, à quo tempore sit annumerandus.*

15 *Ætas requisita ad Dignitates non curatas obtinendas juxta Tridentinum est vigesimus secundus annus completus, amplia, ut ibi.*

16 *Dictio* Præsertim *est implicativa.*

17 *Ætas 22. annorum requisita ad Dignitates non curatas, an sufficiat, si dictæ Dignitates habeant annexum ordinem Presbyteratus?*

18 *Patronus præsentare debet ad Dignitates curatas, & non curatas Personas habentes omnia requisita ad illas obtinendas.*

19 *Patronus si præsentaret personam non habentem sufficientem ætatem ad Dignitatem curatam, aut non curatam, an hujusmodi præsentatio esset valida?*

20 *Præsentatus, & provisus de Beneficiis curatis, aut de Canonicatibus intra duos menses emittere debet Professionem Fidei, & coram quo? Amplia ut num. 21. 22. & 23. limita, ut n. 24. 25. 26.*

27 *Professio Fidei Sede Episcopali vacante, coram quo fieri debeat ab obtinente Canonicatum, aut Beneficium curatum?*

28 *Non emittens Professionem Fidei intra duos menses, quos fructus amittat?*

29 *Non emittens Professionem Fidei intra duos menses, ne perdat fructus sui Beneficii, quid facere debeat?*

30 *Professio facta post duos menses non prodest ad quærendos fructus temporis præteriti.*

CASUS X.

VAcante Præpositura, aut Archipræsbyteratu, aut Diaconatu, aut Archidiaconatu, aut alia Dignitate de Iurepatronatus, ad hoc ut Patronus possit ad dictas Dignitates validè præsentare, hic necessarium duxi quærere quid requiratur.

Pro resolutione hujus quæstionis præ-
1 supponendum est, quòd promovendus ad Dignitates, Personatus, aut alia Beneficia, quibus inest Cura Animarum, debet habere ætatem saltem viginti quinque annorum, ordinem, integritatem morum, & doctrinam ad suum munus exercendum necessariam; etsi Dignitas, ad quam promovetur sit Archidiaconatus, ultra prædicta debet esse Magister in Theologia, aut Doctor, aut licentiatus in Iure Canonico; promovendus verò ad Dignitates, & Personatus, quibus non inest Cura Animarum, sufficit, quòd habeat ætatem non minorem viginti quinque annis, & ordinem Clericalem juxta *Text. in cap. Cum in cunctis §. Inferiora de Electione*, ibique *Abbas, Anan. Bald. num. 2. Butrius num. 1. & 3. Fagnan. num. 31. & juxta Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 12.*

Et quidem promovendus ad Dignita-
2 tes habentes annexam Curam Animarum, ut sunt Dignitas Diaconalis, Archidiaconalis, & Ecclesia Parochialis, juxta *Butr. in dicto cap. Cum injunctis in princip. ibique Fagnan. num. 31.* necessa-
3 riò tempore collationis debet habere vigesimum quintum annum, qui tamen sufficit, quòd sit inceptus, licèt non completus, aliàs collatio est ipso Iure nulla, *Text. in cap. Licet Canon. de elect. in 6. ibique gloss. verb. Licet, Abb. in dicto cap. Cum in cunctis num. 1.* Quòd procedit, sive
4 cura incumbens Dignitati sit fori Pœnitentialis, sive jurisdictionalis *Fagnan. dicto cap. Cum in cunctis num. 32.* Limitatur tamen in eo, qui promovetur ad hujusmodi Dignitates cum dispensatio-
5 ne circa defectum ætatis; potest namque quis cum dispensatione promoveri ad

Di-

Dignitates, & Personatus in Cathedralibus, quibus est annexa Cura Animarum in minori ætate *Glossa in dicto cap. Cum in Cunctis verb. Attigerit*. Quam dispen-
6 sationem non potest concedere Episcopus, nam *Text. in cap. Unico de ætat. & qualit. lib. 6.* permittit Episcopo dispensationem in Dignitatibus, & Personatibus non curatis, ergo secus in Curatis; sed solus Papa, qui potest dispensare cum Minore 25. annis, vel expressè, vel tacitè, conferendo sciens, & volens ei Dignitatem in Cathedrali habentem Curam Animarum *Abb. in dicto cap. Cum in Cunctis §. Inferiora de elect. num. 7. ibique Anan. numero 5.*

Sed si Papa dispenset, ut habens 20.
7 annos possit se promoveri ad Sacerdotium, quæritur, an hujusmodi dispensatio circa defectum ætatis pro obtinendo Sacerdotio suffragetur pro obtinenda Dignitate habente annexam Curam Animarum in Cathedrali, aut Collegiata? Respondeo negativè, quia habilitatus ad unum non est habilitatus ad aliud. *Anan. in dicto cap. Cum in Cunctis, num. 3.*

8 A quo autem tempore ætas 25. annorum sit computanda, an scilicet Conceptionis, an Nativitatis, vel Baptismi? Respondetur esse computanda à die Nativitatis, dum ætas nihil aliud est, quàm temporis mensura quædam à Nativitate usque ad obitum decurrens, juxta *Bald.*
9 *cons. 19. sub num. 3. lib. 5.* & non esse computandam à die Conceptionis, dum ætas non incipit in utero Matris, sed in Partu, nec à die Baptismi, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii, teste *Fagnano in dicto cap. Cum in cunctis num. 133. & seqq.*

Præter ætatem 25. annorum requiritur in promovendo ad Dignitates, & Personatus, quibus est annexa Cura Animarum,
10 ordo Sacerdotalis. Quæritur à quo tempore promovendus illum habere debeat?

Respondetur non esse necessarium, quòd habeat ordinem Sacerdotalem de tempore Promotionis, sed satis esse, quod postmodum promoveatur in proximis temporibus. Ratio est, quia annexio ordinis Sacerdotalis, quam habent Dignitates, & Beneficia curata est de Jure communi respectu aptitudinis, quia debet esse aptus ad illum ordinem, non verò est respectu actus; sed si dicta annexio ex speciali statuto, aut dispositione sit respectu actus, scilicet si detur aliquod statutum, aut dispositio, quòd non conferatur Beneficium curatum, nisi actualiter constituto in Sacerdotio, tunc requiritur, quòd promovendus habeat dictum ordinem de tempore Promotionis *Abbas in dicto cap. Cum in Cunctis, ubi supra num. 1. & 10. in fine, ibique Anan. ante num. 1. Butrius num. 4. & 5.*

Sed si non facit se promoveri ad ordinem, quem Beneficium requirit, non est
11 ipso Jure Beneficio privatus, nec debet privari sine monitione. Quod tamen limitatur in Ecclesiis Parochialibus non Collegiatis, ubi incontinenti est privatus absque ulla monitione, qui non facit se intra annum promoveri in Sacerdotem. *Text. in cap. Licet Canon. de Elect. in 6. Abb. in dicto cap. Cum in Cunctis num. 2. ibique Butr. num. 6.*

Et hic nota, quòd ad hoc ut Rector Ecclesiæ Parochialis non promotus intra
12 annum ad Sacerdotium, privari possit dicta Ecclesia, requiritur, quòd annus integer sit completus, sed iste annus non currit justè impedito, scilicet vel propter Infirmitatem, vel propter absentiam proprii Episcopi, vel eo quia non potuit habere Commendatitias, vel eo quia Episcopus noluit eum ordinare, hæ enim sunt justæ Causæ, quæ eum excusabunt *Text. in cap. Commissa de elect. in 6. ibique Gloss. Verbo justo impedimento.* Requiritur etiam ipsum citari, & facere pronunciari illum privatum, nam si hoc ommisso fiat collatio, ipse postea veniens, & de justo impedimento, vel dispensatione fidem faciens, collationem cassari faciet. *Gloss. ubi suprà.*

Sed si Rector Ecclesiæ Parochialis infra
13 annum non fecit se promoveri ad Sacerdotium, utrum licitè possit retinere fructus Ecclesiæ, quos percepit durante anno? Respondetur, quòd iste, si in principio, quando fuit institutus, non habebat intentionem, ut promoveretur ad Sacerdotium infra annum, sed solùm ut perciperet fructus, tunc tenetur ad restitutionem fructuum, si verò habebat intentionem se promovendi ad Sacerdotium infra annum, sed ex aliqua causa superveniente

non

non vult promoveri, quia fortè ejus frater antiquior vult promoveri, & ipse vult remanere in seculo, non tenetur ad restitutionem fructuum *Gloss. 1. in dicto cap. Commissa, vide Barbosa ad Concil. hic numer. 41.*

A quo autem tempore annus, infra
14 quem Promotus ad Ecclesiam Parochialem promoveri debet ad Sacerdotium, annumerandus sit? Dico annumerandum esse à tempore adeptæ pacificæ possessionis, vel à tempore, quo potuit habere pacificam possessionem, & per se stetit juxta *Text. in cap. Cum ex eo de elect. in 6. ibique Gloss.*

Respectu verò Dignitatum, aut Personatuum, quibus nulla Cura imminet de Jure communi non invenitur expressè cautum, qua ætate debeat esse is, qui promovetur ad Dignitatem Curam Animarum non habentem juxta *Innocent. in cap. Præterea sub num. 1. de ætate, & qualitate*; Ideò Concilium Tridentinum *in dicta sess. 24. de Reformat. cap. 12.* respectu hujusmodi Dignitatum requirit ætatem annorum
15 22. & quidem, quòd vigesimus secundus annus sit completus, ut asserit *Fagnan. in cap. Cum in Cunctis de election. num. 37.* fuisse resolutum à Sacra Congregatione Concilii. Quod procedit, sive sint Dignitates Sæculares, sive Regulares, sive sint in Ecclesiis Cathedralibus, sive in Collegiatis: quia Concilium *in dicto cap. In §. Ad cæteras* disponit de Dignitatibus tam in Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis, ut patet tum ex initio illius decreti, ibi: *Cum Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus*: Dictio enim *Præsertim* cum sit implicativa, uti-
16 que implicat idem in Collegiatis, easque includit tum ponderando dictionem universalem quascumque, & ad cæteras *Fagnan. in dicto cap. Cum in Cunctis num. 112. & 48.*

Sed si hujusmodi Dignitates non habentes annexam Curam Animarum, habeant
17 annexum ordinem Presbyteratus, an respectu harum sufficiat ætas 22. annorum. Distinguendum est. Aut habent ordinem Presbyteratus annexum ex Privilegio, Fundatione, Statuto, vel consuetudine, & tunc ad eas obtinendas non sufficit ætas 22. annorum, sed oportet, ut provisus sit in tali ætate, ut infra annum possit in Presbyterum ordinari, & sic in 24. inchoato. Aut habent ordinem Presbyteratus annexum de Iure communi, ut sunt Præpositura, Diaconatus, & Abbatia, & tunc sufficit ætas 22. annorum, & quòd obtinens illas se promoveat in proximis temporibus ad Presbyteratum. *Faguan. in dicto cap. Cum in Cunctis num. 43.*

18 His præsuppositis; Patronus, ut ritè, & validè procedat, præsentare debet ad Dignitates habentes annexam Curam Animarum Personam habentem ætatem 25. anni saltem incæpti, & Ordinem Sacerdotalem, vel de tempore præsentationis; Si ordo Sacerdotalis sit annexus dictis Dignitatibus ex speciali Statuto, aut dispositione Fundatoris, vel satis est, quòd præsentet Personam, quæ postmodum promoveatur in proximis temporibus, si ordo Sacerdotalis sit annexus tantùm de Jure communi. Respectu verò Dignitatum, quibus non est annexa Cura Animarum, nec ordo Sacerdotalis ex speciali Statuto, & dispositione Fundatoris; Præsentare debet Personam habentem 22. annum completum; Sed si ordo Sacerdotalis sit annexus hujusmodi Dignitatibus ex speciali dispositione Fundatoris debet præsentare Personam in tali ætate, ut infra annum possit in Presbyterum ordinari, & sic in 24. inchoato.

Sed si præsentaret Personam non haben-
19 tem sufficientem ætatem ad dictas Dignitates, an hujusmodi præsentatio esset valida? Respondeo cum distinctione, aut Patronus præsentat scienter istam Personam non idoneam, & inhabilem, *absolutè*, & tunc præsentatio ista est nulla, nullumque habere potest effectum, aut præsentat conditionatè, scilicet sub spe habilitatis, aut dispensationis, ut licitum est fieri, juxta *Card. de Luca de Jurepat. disc. 45. num. 7. & disc. 64. num. 27.* & alios relatos infra *in cap. Quoniam Cas. num.* Et in hoc Casu superveniente habilitate, & obtenta dispensatione inhabilitatis intra quadrimestre, aut semestre præsentatio sic facta est valida. Et non obtenta dispensatione, potest Patronus alium præsentare intra eumdem terminum.

20 Præsentatus autem, & provisus de Beneficiis Curatis, & de Canonicatibus, &

Di-

Dignitatibus in Cathedralibus ad minus intra duos menses à die adeptæ possessionis debet emittere Professionem Fidei, cum hac distinctione, quòd Provisus de Beneficiis curatis extra Cathedralem debet emittere Professionem Fidei coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali; Provisus verò de eisdem Beneficiis in Cathedrali non solùm debet emittere coram Episcopo, aut ejus Vicario, sed etiam coram Capitulo sub pœna ammissionis fructuum juxta Constitutionem Pii IV. incipien. *Injunctum* in ordine la 114. & ex *Tridentino dicta sess. 24. cap. 12.* quam sequuntur. *Garz. de Benefic. par. 3. cap. 3. num. 1. Tamburin. de Jure, Abb. disp. 8. quæst. 3. tom. 1. num. 1.*

21 Quod ampliatur primò. Provisus de Beneficio curato, aut de Canonicatu, aut Dignitate in Cathedrali potest emittere hujus professionem Fidei non solùm per se ipsum, sed etiam per Procuratorem *Navarr. cons. 4. num. 2. de Summ. Trinit. Barbos. de Offic. & Potest. Paroch. cap. 4. num. 3.* Ratio est quia, neque Concilium Tridentinum, neque Constitutio Pii IV. utuntur verbis significantibus personalitatem, & propterea succedit regula; quicumque potest aliquid facere per semetipsum, potest illud facere per Procuratorem, juxta *Text. in cap. Potest quis de reg. Jur. in 6. Tamburin. de Jur. Abbat. disput. 8. quæst. 3. num. 12. tom. 1.*

Ampliatur secundò. Tenetur emittere
22 professionem Fidei, etiamsi illam semel emiserit in adeptione similis Parochialis, aut Canonicatus juxta resolutionem Sacræ Congregationis, quam refert *Garz. de Benefic. par. 3. cap. 3. num. 17. Tamburin. de Jure, Abbat. disput. 8. quæst. 3. num. 8. tomo 1.*

23 Ampliatur tertiò. Provisus de Beneficio curato potest emittere hujusmodi professionem Fidei coram Vicario, etiam Episcopo non impedito *Garz. ubi supra n. 23. Barbos. de Offic. & Potest. Paroch. part. 1. cap. 4. num. 2.*

Limitatur tamen propositio supradicta
24 primò; In Proviso de Cura Animarum habituali, qui non tenetur emittere professionem Fidei, quia de illa judicatur perinde ac si esset Beneficium simplex *Barbos. ubi supra num. 9.*

25 Limitatur secundò in Canonicis, seu Dignitatibus in Ecclesiis Collegiatis, qui non tenentur emittere professionem Fidei, nam Concilium solùm loquitur de Provisis de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus tam Secularibus, quàm Regularibus, & de Beneficiis Curatis, ut à Sacra Congregatione refert decisum *Garz. ubi supra num. 11.* Unde Provisi de portionibus, Cappellaniis, & Beneficiis inferioribus in Cathedralibus non tenentur emittere professionem Fidei *Garz. ubi supra num. 12. Barbos. ad Concil. dicto cap. 12. sess. 24. num. 25.*

Limitatur tertiò in Coadiutoribus Ca-
26 nonicorum, seu Dignitatum etiam perpetuis, & cum futura successione, qui non tenentur ad prædictam professionem Fidei, nisi cùm factus fuerit locus successioni, nam non sunt verè Canonici, seu Dignitates, nec pro talibus habendi viventibus coadiutis *Garz. de Benefic. dicta part. 3. cap. 3. num. 16.*

Positis his ampliationibus, & Limita-
27 tionibus, Quæritur primò. Sede Episcopali vacante, coram quo fieri debeat dicta Professio Fidei? Et respondetur fieri debere coram Vicario Capitulari, quia cùm jurisdictio Episcopalis administretur per Vicarium, magis per eum repræsentatur Episcopus, quàm per Capitulum *Garz. ubi supra num. 27.*

Quæritur secundò. Non emittens pro-
28 fessionem Fidei intra duos menses, quos fructus ammittat? Respondetur ammittere fructus postea decurrendos, non verò fructus decursos illis duobus mensibus *Barbos. ad Concil. ubi supra num. 32. Garz. de Benefic. dicta par. 3. cap. 3. num. 31.* Et licèt ammittat fructus postea decursos, non tamen ammittit distributiones, quia istæ dantur ratione Ministerii, & servitii Personalis, *Barbosa ubi supra num. 30.* Et ita censuit Sacra Congregatio Concilii teste *Gonzal. super regul. 8. Cancell. §. 7. proæm. num. 170.* quamvis contrarium sentiat *Rota decis. 157. numer. 1. tom. 2. Recent.* ubi dicit, quòd ante emissam professionem, juxta formam Concilii Tridentini fructus, & distributiones non debentur Canonico.

29 Provisus verò de Beneficio curato, aut Canonicatu, & Dignitate in Cathedrali,

qui non est professus intra duos menses ab adepta possessione, ne perdat fructus sui Beneficii, potest, & debet facere illam professionem post præfatos duos menses. Tum quia, qui jubetur facere aliquid intra certum tempus, videtur obligari ad duo, videlicet ad faciendum illud intra illud tempus si potest; & ad faciendum illud post lapsum temporis præstituti, quàm citò commodè facere poterit, etiamsi non potuit illud antea facere. Hujusmodi 30 professio facta post præfatos duos menses non prodest ad quærendos fructus temporis præteriti, sed sic ad quærendos temporis futuri, quia regulariter semel ipso Jure perdita, non quæruntur ipso Jure, quamvis æquitate posset juvari, qui per ignorantiam, incogitantiam, vel negligentiam Procuratoris id non fecit, qui tamen libenter fecisset, si fuisset monitus, vel venisset in mentem. *Navar. ubi supra num. 1. & 3. Barbos. ad Concil. ubi supra num. 22. Tamburin. de Jur. Abb. disput. 8. quæst. 3. num. 9.*

ARGUMENTUM.

An Patronus possit præsentare ad Beneficium vacans eum, qui est Irregularis ex homicidio. Et varia de Irregularitate hìc pertractantur.

SUMMARIUM.

1 *Irregularitas quid sit?*

2 *Homicida non potest promoveri ad Sacros Ordines, nec Beneficia Ecclesiastica obtinere?*

3 *Committens homicidium voluntarium incurrit Irregularitatem. Amplia ut num. 4. 5. 6. Limita, ut num. 9. 10.*

7 *Consulens, ut quis morti se exponat pro honore Christi, aut pro fide non est Irregularis.*

8 *Inquisitores hæreticæ pravitatis pronunciantes aliquem hæreticum morti tradendum, non sunt Irregulares.*

11 *Irregularitas proveniens ex homicidio voluntario, an sit de Iure Divino?*

12 *Committens homicidium casuale est Irregularis, sed declara, ut num. 13.*

14 *Facienti actum permissum non imputatur id, quod sequitur ex illo.*

15 *Medicus faciendo licitè suum officium, si ægrotus moriatur, non incurrit Irregularitatem.*

16 *Qui fecit fenestram in Domo, de qua aliquis sponte se præcipitavit, non est Irregularis.*

17 *Qui dant operam rei licitæ, ex qua casu sequatur homicidium, non sunt Irregulares, & numer. 18. usque ad 21.*

22 *Committens casu homicidium, si dabat operam rei licitæ, sed non adhibuit diligentiam, quam debuit, est Irregularis.*

23 *Committens casu homicidium, si dabat operam rei illicitæ, est Irregularis, sed limita ut num. 24. & 25. & 57.*

26 *Qui dant operam rei illicitæ, ex qua casu sequatur homicidium, an sint Irregulares? & num. 28. 29. 30. 33. 34. usque ad 37.*

27 *Irregularitas ex sola voluntate non contrahitur.*

31 *In dubio facti homicidii censendus est quis Irregularis.*

32 *Infamia delicti, etiam non data culpa facit quem Irregularem.*

Committens homicidium ex necessitate, aut defensione propriæ Personæ est Irregularis. Amplia ut num. 39. limita ut num. 40.

41 *Patrouus si præsentet Irregularem scienter, & absolutè ad Beneficium Ecclesiasticum præsentatio est nulla, secus si eum præsentet conditionatè.*

42 *Patronus potest præsentare ad Beneficium merè laicale, aut Legatum Pium, Irregularem.*

43 *Irregularitati provenienti ex homicidio voluntario non solet dispensari, provenienti ex homicidio casuali solet dispensari, sed cum maxima difficultate, ut num. 44. provenienti verò ex necessitate inevitabili, solet facilè dispensari, ut num. 45. & num. 63. & 64.*

46 *Lædens supercilium oculi an sit Irregularis? & num. 47.*

48 *Irre-*

48 *Irregularitas incurritur, si oculus fuerit erutus.*

49 *Auctor rixæ, aut concitans proprium germanum ad homicidium patrandum est Irregularis, & num. 50. amplia, ut num. 51.*

52 *Vulnerans aliquem, si iste post multos dies moriatur, an sit Irregularis? & num. 53. 54.*

55 *Vagans nocturno tempore cum Canentibus, & psallentibus, si ab uno ex eis committatur homicidium, an sit Irregularis? & num. 56.*

56 *Irregularitas ex homicidio contrahitur solùm ab iis, qui sunt causa homicidii, vel physica, vel moralis.*

58 *Si Clerico leviter rixante cum Laico, frater Clerici Laicum in eadem rixa occiderit, non per hoc Clericus Irregularitatem incurrit.*

59 *Non impediens homicidium, incurrit Irregularitatem, quando illud impedire tenetur ex justitia, secus si solùm ex Charitate.*

60 *Si quis respondeat uni ex Hominibus ab eo missis, ut opportuna occuparet loca ad capiendos Homines facinorosos, his verbis:* Voi altri sapete quello dovete fare alli furbi: *Si aliquis ex eis interficiatur, an sit Irregularis? & num. 61. & 62.*

65 *Homicidium provenire causâ defensionis, ex quo præsumatur?*

66 *Attento magni temporis decursu à die perpatrati homicidii concedi solet dispensatio ab Irregularitate, ut pluribus ostenditur exemplis, num. 67.*

68 *Decretum Sacri Concilii Tridentini cap. 7. sess. 24. excludens voluntarium homicidam à spe obtinendi dispensationem, an habeat locum in eo, qui ante homicidium ad Sacros Ordines jam erat promotus?*

69 *Excedens moderamen inculpatæ tutelæ ad defensionem propriæ vitæ, non incurrit Irregularitatem indispensabilem.*

CASUS XI.

PAtronus vacante Beneficio A. præsentavit, ad illud Titium Irregularem propter homicidium ab eo commissum duodecim ab hinc annis quæritur, an hujusmodi præsentatio sit valida?

1 Ante quam ad resolutionem hujus quæstionis deveniam, operæ pretium duxi hìc nonnulla de Irregularitate proveniente ex Homicidio differere. Irregularitas est Canonicum impedimentum ex facto, & defectu proveniens, quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & eis ministrare juxta *Covarr. var. resol. tom. 1. de Irregularit. tom. 1. part. 1. numer. 1.* & dicitur quis Irregularis, eò quia extra regulam aliorum est positus. *Vitalin. in Clement. Si furiosus de Homicid. num. 63.* Ommissa hìc explicatione Irregularitatis provenientis ex defectu, de ea agemus Irregularitate, quæ ex facto procedit, scilicet ex homicidio, cùm hæc in praxi sæpissimè contingat.

2 Concilium Tridentinum *sess. 14. de Reformat. cap. 7.* disponit quòd Homicida sit Irregularis, & non possit promoveri ad Sacros Ordines, nec Beneficia Ecclesiastica obtinere, ibi: *Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per Insidias, ab Altari avelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi Curam non habeant Animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vìm vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam Sacrorum Ordinum, & Altaris Ministerium, & Beneficia quæcumque, ac Dignitates, Jure quodammodò dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex Causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi Causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit:* Ex qua conciliari dispositione tres deduco propositiones, quibus cum suis ampliationibus, & limitationibus tota hujusmodi Irregularitatis materia explicatur.

3 Prima propositio: *Committens homicidium voluntarium incurrit Irregularitatem:* Quam propositionem probat, etiam

Text. in cap. Si quis de Homicid. ibique Butrius num. 1. & in cap. Sicut dignum nu. 26. & seqq. & in cap. Ad Audientiam num. 4. de Homicid. Et hoc est verum, sive necetur Christianus, sive etiam Paganus, vel Saracenus.

Amplia propositionem; quòd non solùm committens homicidium voluntarium, sed etiam mutilans membrum est 4 Irregularis, ut docet *Text. in cap. Is, qui de Homicid. in 6. ibique Geminian. num. 2.* ubi dicit, quòd quoad pœnam Irregularitatis paria sunt aliquem interficere, vel membris mutilare, *& in Clement. Si furiosus ibique Gloss. de Homicid.* Si talis tamen fuerit mutilatio, quòd inde facta fuerit separatio membri, nam si quis verberet aliquem in tantùm, quòd reddat membrum inutile, non propter hoc efficitur Irregularis, nisi fiat detruncatio alicujus membri; sicuti non est Irregularis ille, qui amputat alteri digitum ea ratione, quia digitus non est membrum, sed officium membri, juxta *Gloss. in dicto cap. Is, qui.*

Item amplia sive homicidium committatur palam, sive occultè, cum hac tamen 5 differentia, quòd committens homicidium occultum potest administrare in ordinibus jam susceptis, sed post actam pœnitentiam. *Text. in cap. Quæsitum est de tempor. ordin. Abb. in cap. De cætero de Homicid. num. 2.*

Amplia etiam, sive homicidium committatur facto, sive consilio, aut præcepto, consulens enim alicujus mortem est 6 Irregularis, juxta *Gloss. in cap. Sicut dignum de Homicid. verb. Consilium.* Et si sit Clericus, qui præstet consilium Homicidæ non solùm est Irregularis, sed etiam non debet legere lectiones, & cantare responsoria, separatè in Choro, juxta *Text. in dicto cap. Sicut dignum §. Clericos, ibique Anan. num. 1. Fagnan. num. 1.*

Quòd tamen non procedit in eo, qui 7 alicui consulit, ut indubitatæ morti se exponat pro nomine, sive honore Christi, aut pro fide, aut pro statu Ecclesiæ, iste enim non fit Irregularis, licet exinde sequatur mors, & sic dederit causam proximam homicidio; Argum. *Text. in cap. Sicut Quidam quæst. 1.* ubi disponitur, quòd debeamus usque ad Animam, & Sanguinem confirmare, quod prædicatum est à Domino, & ab Apostolis; & sicut Christus mortem pro nobis subiit, ita & nos pro eo subire debemus, & alios, ut subeant consulere possumus. Et hac ratione excusari possunt ab Irregularitate

8 Inquisitores hæreticæ pravitatis pronunciantes aliquem hæreticum, licèt sciant eum propter hoc morti tradendum, ut optimè *Fagnan. in dicto cap. De cætero numer. 26. de Homicid.* Et Sancti Martyres pro Christo Sanguinem effuderunt, & aliis verbo, & exemplo, ut effunderent pro Christo suggesserunt. *Butr. in cap. Ad Audientiam de Homicid. num. 13. in fine, ibique Abb. num. 5. in fine.*

Limitatur tamen Propositio in Furioso, 9 qui licet occidat, & velit occidere, adhuc non est Irregularis, quia ad istud velle movetur, & provocatur furore, non autem ex libertate sui animi, juxta *Clement. Si furiosus de Homicid. ibique Vitalin. num. 13.*

Limitatur etiam in eo, qui committit 10 homicidium ante Baptismum; committens enim homicidium ante Baptismum non est Irregularis, quia in Baptismo deletur peccatum, & omnis sequela peccati *Gloss. in cap. Deinde dist. 26. verb. Inter peccata ibique Archidiac. in fin. Abb. in cap. Presbyterum de Homicid. num. 2. ibique Anan. num. 4. Butr. num. 4.* Et patet in D. Paulo, qui ante Baptismum fuit homicida, & tamen postea factus est Apostolus *Act. 10.*

Sed cùm Irregularitas provenire possit ex homicidio absque ullo peccato, ut quando Judex pronunciat justè, quem occidendum; Ego distinguerem unâ cum Anania *in dicto cap. Presbyterum num. 4. ibique Butr. num. 4.* Aut Irregularitas fundatur super peccato, & tunc propter supradictam rationem, tollitur per Baptismum, aut non fundatur super peccato, & tunc non potest tolli per Baptismum, quia tunc Irregularitas non potest esse sequela peccati.

11 Hujusmodi autem Irregularitas proveniens ex homicidio voluntario non solùm est de Jure Canonico, sed etiam de Jure Divino, dum Dominus dixit David Prophetæ: *Non ædificabis mihi templum, quia Vir Sanguinis es:* ut expressè docent *Abb.*

in

in cap. Ad Audientiam num. 2. & Butr. in cap. Si quis de Homicid. num. 3. Et licèt contrarium sentiat *Covarr. var. resol. tomo 1. de Irregular. par. 1. num. 2.* Sententiam tamen *Abbatis* puto veriorem, nec ei est contrarius Innocentius loco ab eo citato, dum iste ibi dicit Irregularitatem esse de Jure positivo; quòd dictum compossibile est, cum eo, quòd Irregularitas sit etiam de Jure Divino, dum id, quod est de Jure positivo, potest etiam esse de Jure Divino.

12 Secunda Propositio: *Committens homicidium casuale est Irregularis*: Hanc assertionem confirmat *Text. in cap. Presbyterum de Homicid. ibique Abb. num. 2. Anan. num. 1. Butr. num. 1. Barbos. num. 1.*

13 Declara tamen hujusmodi conclusionem; Committens casu homicidium, aut dabat operam rei licitæ, aut non? Si dabat operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam, quam potuit, & debuit non est Irregularis, juxta *Text. in cap. Dilectus de Homicid.* ubi ab Innocentio III. imponitur Episcopo Lingon. non impedire, quo minùs Divina possit Officia celebrare Cappellanus ille, qui ascendit Equum, qui fractis habenis dum curreret, festinanter arbitrio proprio incidit in Puerum, illumque interfecit procul abjecto Cappellano, ibique *Abb. num. 1. & 4. Anan. numer. 1. Butr. numer. 1. Barbos. num. 1.* Ratio est,

14 quia facienti actum permissum non imputatur id, quod sequitur ex illo. *Gemin. in cap. Prælatis de Homicid. in 6. numer. 3.* Idem disponitur *in cap. Ex litteris, & in cap. Significasti il primo Cod. tit. ibique Abb. num. 1.*

15 Et sic Medicus faciendo licitè, & debitè suum officium, si Ægrotus moriatur non incurrit Irregularitatem, juxta *Vitalin. in Clement. Si furiosus de Homicid. numer. 82.* ubi dat rationem differentiæ inter Medicum, & Judicem, cur scilicet primus non incurrat Irregularitatem, secus verò secundus, nimirum quia Medicus facit hoc ad conservationem cæterorum membrorum, ubi unum mutilat, sed Judex facit ad denigrationem aliorum membrorum, & sic quasi ex voluntate alius procedit, alius quasi ex necessitate.

16 Qui fecit fenestram in Domo, de qua aliquis sponte se præcipitavit, non est Irregularis, qui armatus accedit ad Neptem Adulteram, cum animo non occidendi Adulterum, sed eum cogendi cum illa contrahere, si Adulter metu se præcipitaverit, non est Irregularis, juxta *Gloss. in cap. De cætero de Homicid. in verb. Causam dedisse, ibique Abb. Butr. Fagnan. num. 12. & 15.*

17 Qui facit instantiam apud Regem pro remedio facinorum, si jussu Regis malefactores interficiantur, non est Irregularis, juxta *Fagnan. ubi supra num. 15.*

Clericus conquerens de malefactoribus coram Judice Seculari, si illi interficiantur non est Irregularis, sicuti non est Irregularis Judex Ecclesiasticus tradens Clericum degradatum Curiæ seculari, dummodo protestetur se ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendere, juxta *Textus in cap. Prælatis de Homicid. ibique Gemin. numer. 5.* sed si aliud habeant in corde, ita ut illa protestatio sit ficta, & non proveniens ex corde sincero, est Irregularis occultus *Gemin. ubi supra num. 6.*

19 Episcopus, & quicumque alius Prælatus Jurisdictionem temporalem obtinens, si homicidio ab aliquibus in Jurisdictione suâ commisso, Ballivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut veritatem inquirens justitiam exequatur, Irregularis non efficitur, licèt pœna Sanguinis inferatur, juxta *Text. in cap. Episcopus nè Cler. vel Monach. lib. 6.*

Princeps, qui legem condidit sub pœna 20 mortis non efficitur Irregularis, si legis auctoritate, aliqui ultimo supplicio affecti fuerint. *Fagnan. in dicto cap. De cætero de Homicid. num. 16. & seqq.*

Videns aliquem vulnerari, & occidi, 21 valens homicidium impedire, non impedivit non incurrit Irregularitatem; si proximum solùm ratione Charitatis tenebatur defendere; secus se illum defendere tenebatur etiam ratione Justitiæ, ut contingit in Filiis, Famulis, Uxore, Subditis, publicis Officialibus, qui respectivè tenentur defendere Patrem, Patronum, Maritum, Principem &c. etiam cum periculo propriæ vitæ, non tamen manifesto, sed ubi defensio sibi possibilis saltem videatur, agendo quidquid verbo facto agere possunt, ut mors impediatur. *Barbosa*

in

in cap. Sicut Dignum de Homicid. num. 19.

Ratio autem. Quare isti omnes non incurrant Irregularitatem, etiam si ex eorum operibus casu sequatur homicidium est illa, quam superiùs innui in declaratione huius secundæ assertionis; scilicet, quia dabant operam rei licitæ, & non erant causa proxima homicidii.

22 Si verò committens casu homicidium dabat operam rei licitæ, sed non adhibuit diligentiam, quam debuit est Irregularis, juxta dispositionem *Text. in cap. Presbyterum de Homicid. ibique Abb. numer.* 1. *Anan. num.* 1. *Butr. num.* 4. *Barbos. numer.* 1. *& in cap. Ad Audientiam de Homicid. ibique Abb. num.* 1. *Butr. num.* 1. *Barbos. num.* 1.

23 Aut committens casu homicidium non dabat operam rei licitæ, sed illicitæ, & tunc sive adhibuit diligentiam, sive non, imputatur, & est Irregularis, juxta *Text. in cap. Continebatur de Homicid. ibique Butr. num.* 1. *Abb. num.* 1. *Anan. num.* 1. *Barbos. num.* 5.

24 Limita tamen in furioso, aut Infante, qui si occidant aliquem, vel mutilent membrum hominis, etiam si dent operam rei illicitæ, non incurrunt Irregularitatem, juxta *Clement. Si furiosus de Homicid. ibique Gloss. Vitalin. num.* 1. Ea ratione, quia furiosus, & Infans propriè non delinquunt, dum delictum non fit sine animo delinquendi, & in primo adest casûs infelicitas, in alio consilii ægestas, & sic velut per omnia homicidæ casuales non sunt Irregulares, nec egent dispensatione, secus de Impubere proximo Pubertati, quia in eo cadit delictum, juxta *Gloss. in dicto cap. Si furiosus, ibique Vitalin. num.* 41. *versic. Ratio finalis*.

Idem est in dormiente, qui si occidat
25 aliquem ense, baculo &c. non est Irregularis, juxta *dictam Clement. Si furiosus, ibique Vitalin. num.* 23. quia in isto nulla adest culpa, nec culposa voluntas. Sed si aliquis poneret in lecto puerulum secum ad dormiendum, si dormiendo se volvat per lectum, & puerulum opprimat, crederem illum esse Irregularem, quia ex voluntate dedit operam rei illicitæ, scilicet ponendo illum puerulum in lecto secum ad dormiendum, & ita videtur sentire idem *Vitalin. ubi supra*, dum dicit solùm in primo casu excusari dormientem ab Irregularitate.

26 Quapropter ex hoc sequitur, quod qui dat ab bibendum pocula amatoria alicui fœminæ; si hæc sumendo dicta pocula moriatur, licèt præter intentionem dantis est Irregularis. *Gloss. in cap. Si aliquis de Homicid. verb. Ut Homicida, ibique Butr. num.* 3.

Et hìc nota: quòd qui causa explendæ libidinis, aut propter paupertatem, ratione cujus non potest alere sobolem, aut ex odio, nimirum ut succedat fortè ab intestato, aut instituatur ab illo decedente sine filiis, vel forsan ut Uxor sterilis sit invisa Marito, dat sortilegia, seu malias, vel venena ad bibendum, ad hoc ne soboles nascatur, non est Irregularis, quia Irregularitas non contrahitur, nisi actu ho-
27 mo interficiatur; ex sola enim voluntate non est quis Irregularis, juxta *Text. in cap. Si aliquis de Homicid. ibique Abb. n.* 1. *& seqq. Anan. num.* 5. *Butr. num.* 2. ubi dicit, quòd licèt sint paria hominem occidere, vel nasci impedire, quoad pœnam corporalem, & spiritualem, tamen non sunt paria, quoad pœnam Irregularitatis, *Barbos. in dicto cap. Si aliquis num.* 3.

28 Percutiens Mulierem, quæ facit abortum eo formato est homicida occasionaliter, & incurrit Irregularitatem. *Butr. in dicto cap. Si aliquis de Homicid. num.* 2.

Clericus vadens unà cum aliis ad ali-
29 quem occidendum, licèt ipse non apponat manum, si tamen homicidium fit per alios, efficitur Irregularis; *Anan. in cap. Sicut dignum*, §. *Clericos de Homicid. in fine*.

30 Qui accinxit gladium ad necandum Fideles, & sæpe interfuit Bellis, non interfecit tamen, sed per eum non stetit, est Irregularis propter ambiguum duplicitatis. *Text. in cap. Si quis dist.* 51. *ibique*
31 *Gloss. verb. Militaverit*. In dubio enim facti homicidii censendus est quis Irregularis, & quidem quoad privationem suscipiendi ordines, ac in illis ministrandi, non verò quoad alias pœnas, quæ à Judice imponi solent pro Irregularitate contracta, qualis est privatio beneficii, quia pœna ordinaria statuta delicto certo, non est imponenda delicto dubio. *Barbos. in cap. Ad Audientiam de Homicid. num.* 2. *&*

seq.

32 *seq.* Immo scandalum solum, & infamia delicti, etiam non data culpa facit quem Irregularem. *Anan. Butr. num.* 1. *Barbos. num.* 1. *in cap. Ex litteris de Homicid.*

Clericus faciens rixam, & exercens il-
33 licitum, si ab ejus amicis, seu consanguineis supervenientibus fuit aliquis interfectus, est Irregularis; secus ubi Clericus non fuit in culpa exercendo rixam, & prohibente, & causam non dante homicidio, juxta *Text. in cap. Petrus de Homicid. ibique Abb. num.* 1.

34 Qui vulneravit aliquem, qui mortuus est, licèt ignoretur, ex illo vulnere est Irregularis. Qui habet animum occidendi, & processit ad actum, licèt non lethaliter percusserit, sed ex aliorum percussionibus, percussus interiit, est censendus Irregularis. Qui lethaliter non percussit, tamen propter illud vulnus non potuit fugere, & ideò ab aliis fuit occisus, est Irregularis, *Text. in cap. Significasti de Homicid. ibique Abbas numer.* 1. *usque ad* 11.

Qui mandat aliquem verberari, licèt
35 expresse inhibeat, ne occidat ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, Irregularis efficitur, si Mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. *Textus est expressus in cap. Is, qui de Homicid. in* 6. *ibique Gemin. num.* 1. *& seq.* Sed si Mandatarius non occidat, sed occidatur, mandans incurrit Irregularitatem propter rationem dicti Textûs, qui, mandando in culpa fuit, & hoc evenire posse, debebat cogitare *Gemin. ubi supra num.* 4.

Qui dat gladium furioso, ut occidat se,
36 vel alium; Qui permittit extrahi arma de Domo sua ad occisionem, aut præbet Domum, ut ibi fiat colloquium, vel tractatus de occidendo, & sequatur homicidium; Qui deponit in causâ sanguinis sequuta morte; Qui profert sententiam sanguinis, si exinde sequuta sit mors, est Irregularis, ut docet *Anan. in cap. De cætero de Homicid. num.* 1. §. *Nota*, quòd hic loquitur, *ibique Fagnan. numer.* 7. *& seq. Abb. in cap. Dilectus de Homicid. numero* 3.

Interveniens homicidio animando per-
37 cussores, vel quid simile etiam si ipse non percusserit, est Irregularis. *Barbos. in cap. De cætero de Homicid. num.* 6. Ratio autem, quare isti omnes incurrant Irregularitatem est, quia dabant operam rei illicitæ, & causam proximam, ex qua sequutum est homicidium.

Tertia propositio: *Committens homici-*
38 *dium ex necessitate, & sic defensione propriæ Personæ, est Irregularis*: Cum hac tamen distinctione, quòd si necessitas fuit evitabilis, ad ordines non potest promoveri, nisi cum dispensatione; Si verò fuit inevitabilis, sine omni dispensatione potest in ordine habito ministrare, ad alios ordines tamen non potest ascendere sine dispensatione. Hanc propositionem firmat etiam *Glos. in cap. Sicut dignum*, §. *Clericus de Homicid. verb. Consilium*, *ibique Butr. num.* 28. *Anania in cap. Interfecisti de Homicid. num.* 10. *sed juxta Clementinam Si furiosus de Homicid.* si necessitas fuit inevitabilis, nullam incurrit Irregularitatem, nec quoad ordines susceptos, nec quoad suscipiendos. Ratio est, quia necessitas non habet legem, & prima charitas incipit à se ipso, & quia omnia Jura clamant vim vi licitè repellendam, secus autem in defendente alienam personam, etiam conjunctam, aut proprias personas, *Vitalin. in dicta Clement. Si furiosus numer.* 33. *&* 42.

Amplia propositionem etiam in eo, qui
39 aliter non poterat evadere mutilationem, nisi etiam evaderet suum Invasorem. Si enim Invasor volebat eum mutilare, & aliter arctatus fuerit invasus, quòd non poterat evadere illam mutilationem, nisi ipse se defenderet, & defendendo mutilaverit, non est Irregularis, & si forsan casu se defendendo, occiderit, est excusatus, nec incurrit Irregularitatem, quoniam ut non mutilaretur, habuerit necessariò se defendere; sed si animosè eum occidit, valens eum repellere sola mutilatione, non esset excusatus; Ratio est, quia tunc evadere poterat mutilationem suam aliter quàm occidendo. *Vitalin. in dicta Clement. Si furiosus num.* 34.

Limita tamen propositionem in condem-
40 nato ad mortem, qui justè est invasus per officialem, aut alium ministrum Justitiæ; Iste enim si ut evadat mortem sibi imminentem officialem Invasorem occidat, vel mutilet, est Irregularis. Ratio est, quia in ipso Actu Invasionis non imminebat

bat ei mors proveniens immediatè ex ipsa Invasione. *Vitalin. ubi supra num.* 85.

Posita hujusmodi notitia Irregularitatis provenientis ex homicidio; Descendo nunc ad resolutionem quæstionis cum distinctio-
41 ne; Aut Patronus præsentavit Titium Irregularem scienter, & absolutè ad Beneficium A, & tunc illa præsentatio est nulla; Ea ratione, quia sicuti Irregulari non potest conferri Beneficium Ecclesiasticum, ita ut si ei illud conferatur, collatio sit nulla, ita nec potest ipse sic absolutè præsentari, ut docent *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 4. Vivian. eodem tract. lib. 6. cap. 4. numer. 4. & cap. 5. numer. 36. Garz. de Benefic. par. 7. cap. 11. num. 1. & seqq.* Immo pro ea vice, Patronus, qui sic præsentavit Irregularem, privatur Jure præsentandi alium; justum est enim ut perdant Privilegium illi, qui eo abutuntur. *Gloss. in cap. Quoniam de Jurepatr. verb. Abutuntur.* Quod dicitur de Irregulari, dic etiam de Excommunicato, Suspenso, Interdicto, aut Degradato, cùm etiam isti nequeant ad Beneficium Ecclesiasticum absolutè præsentari. *Lambertin. ubi supra art. 1. 2. & 3. & 5.* Aut Patronus præsentavit Irregularem conditionatè, scilicet sub spe obtinendæ dispensationis, & tunc, ea obtenta præsentatio est valida, *Card. Anton. de Luca, ad Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 6. §. 1. numer. 7. & de Linea Legal. par. 1. artic. 24. num.* 10.

42 Sed si Beneficium non esset Ecclesiasticum, sed merè laicale, aut Legatum Pium, an Patronus possit præsentare ad illud Irregularem? Respondeo affirmativè, quia Concilium Tridentinum solùm prohibet, Irregularem obtinere Beneficia, aut officia Ecclesiastica, non verò Beneficia merè Laicalia, aut Legata Pia.

Irregularitati autem provenienti ex ho-
43 micidio voluntario, non solet dispensari, nec unquam vidi à Congregatione Concilii dispensatum; Sed tamen potest Papa dispensare, quia Lex Divina hoc sibi permittit, juxta *num.* 25. ubi duplici homicidio per Nepotem Aaron commisso mandavit Dominus: *Ecce do ci pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus paratum Sacerdotium sempiternum*: quod docent etiam *Abbas in dicto cap. Ad Audientiam num. 4. Butr. in cap. Sicut Dignum num. 27. & in cap. Continebatur n. 4. de Homicid.*

Irregularitas autem proveniens ex ho-
44 micidio casuali non est indispensabilis; Ad hanc enim inducendam non sufficit indistinctè dedisse operam rei illicitæ, aut causam proximam homicidio, sed oportet, ut homicidium sit in se volitum, ut optimè *Fagnan. in dicto cap. De cætero de Homicid. num.* 27. Sed est dispensabilis, & de facto dispensatur à Sacra Congregatione Concilii, sed cum maxima difficultate, dum Ego vidi in praxi, Sacram Congregationem dispensare, cum homicida casuali, sed post lapsum aliquando duodecim, & aliquando etiam sexdecim annorum. Et si Irregularitas proveniat ex homicidio casuali occulto potest in ea Episcopus dispensare, secus si proveniat ex homicidio voluntario occulto. *Barbos. ad Concil. hìc num. 8. & 10.* & expressè statuitur ab eodem *Concil. sess. 24. cap. 6.*

45 Irregularitati verò provenienti ex necessitate inevitabili solet Sacra Congregatio Concilii facilè dispensare; dummodò probetur, quòd quis non poterat evadere mortem, aut mutilationem, nisi occideret, aut mutilaret Invasorem.

Et ut videatur, quando Sacra Congregatio Concilii dispenset, & quando non super Irregularitate proveniente ex homicidio, nonnullos hîc subjicio casus agitatos in eadem Sacra Congregatione, super quibus meum pandidi votum, dum studebam apud R. P. D. Petram Secretarium.

Primò. Suborta verbali contentione inter Sacerdotem Gabrielem de Gabrielis, & Dominicum q. Andreæ super quadam parva quantitate frumenti ab ipso Gabriele debita Cappellano Curato Ecclesiæ Loci de Pugliano, ac quibusdam ad invicem contumeliosis verbis prolatis, idem Sacerdos Gabriel in ipso calore rixæ adortus Dominicum, ejus sinistrum supercilium cultro per obliquum transfixit; Ex quo vulnere licèt Dominicus convaluerit, tamen sinistri oculi virtutem, & usum taliter amisit, ut quamvis aliquales fermè exiguos lucis radios excipiat; attamen, ut experimento compertum est, nequit clauso dextero oculo, objectorum qualitatem, & quantitatem agnoscere. Quapropter

propter idem Sacerdos Gabriel dubitans se incursum in Irregularitatem petiit à Sacra Congregatione declarari.

Primò. An ipse incurrerit in Irregularitatem? Et quatenus affirmativè.

Secundò. An dispensatio sit concedenda?

Eminentissimi autem PP. ad primum
46 respondêrunt *negativè*, ut videre est in *Feretrana Irregularitatis* 5. *Maii* 1708. Quæ responsio, eâ, quæ par est fulget Justitiâ; Cùm enim Sacerdos Gabriel oculum non eruerit, sed tantùm læserit supercilium, à quo vulnere patiens oculi virtutem ferè amiserit, elicitur non incurrisse Irregularitatem; Ista enim nunquam contrahitur, nisi expressè à Jure imposita fuerit. *Soccin. in cap. Ad Audientiam de Homicid. num.* 16. *Dian. par.* 4. *tract.* 2. *de Irregularit. resol.* 26. Et sic cùm non concurrat mutilatio membri, ob quam Irregularitas fuit inducta, juxta *Text. in cap. Is, qui de Homicid. in* 6. *& in Clement. Si furiosus, ibique Gloss. de Homicid.* idem Gabriel dici non potest Irregularis.

47 Et licèt *Silvester*, & alii relati à Majolo de Irregularitate *lib.* 5. *cap.* 50. *num.* 4. *&* 5. doceant incurri, scilicet Irregularitatem ab eo, qui alterius oculum ne dum eruerit, sed solùm elusçaverit, ac debilitaverit ex eo, quòd adhuc membrum dicatur mutilatum, quando est redditum inefficax ad obeundas proprias functiones; Nihilominùs contraria opinio crebriori, & solidiori Doctorum calculo confirmatur, ut requiratur, ut membrum prorsus abscindatur, aliter numquam poterit dici mutilatum, & truncum, ut juxta *Abbatem in cap. De Diacono, qui Cler. vel voven. Castropal. de Censur. tom.* 6. *disput.* 6. *punct.* 15. §. 1. *Bonaccin. tom.* 1. *disput.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 8. *numer.* 7. *Panimoll. decis.* 89. *Nicol. lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *numer.* 14.

Ratio autem prædictorum est, quia membrum debilitatum, & inutile adhuc deservit ad ornatum corporis, nec definit esse membrum. *Text. in Canon. Sicut urgeri* 1.
48 *quæst.* 1. Itaut incurratur Irregularitas tantùm, si membrum fuerit abscissum, & oculus erutus; Quam distinctionem jam olim approbavit Sacra Congregatio in *Altamuræ* 18. *Aprilis* 1671. *& in Senogallien. Irregularitatis* 30. *Aprilis* 1695.

49 Secundò. Verbalis alteratio nata fuit inter Sacerdotem Felicem Antonium Parochum loci Moriconis, & Michaelem Pennellam super quarumdam olivarum collectione sistentium in quodam Oliveto dicti loci Moriconis, quas eorum quilibet respectivè ad se pertinere contendebat; Cùmque Michael protestatus fuerit se ad olivas colligendas, sequenti die processurum; Parochus eidem respondit: *Domani ci vedremo su all'olive, se tu vai &c.* In sequenti itaque die Antonius Pennella Germanus Michaelis nonnullas operarias fœminas collecturas olivas conduxit ad præfatum locum, quo cùm pariter perrexerit Parochus ipse unâ cum Josepho ejus Germano; suscitata fuit acrior rixa, ita ut Parochus jecerit, sed inaniter securis manubrium, quod deferebat in Antonium, qui exinde profectus, mox rediit unâ cum Michaele suo Germano, qui denuò operarias excitavit ad Olivarum collectionem. Sed Parochus eas iterum propulsavit: Ex quo Michael securis ictum in Parochum jaculatus fuit, ex quo in manu vulneratus remansit idem Parochus, & prorsùs inde discessit; Paulò post supervenit illuc Gregorius Pennella similiter Germanus dicti Michaelis, qui renovato certamine, sarculum, quem gestabat, in prænominatum Josephum Parochi Fratrem direxit; Qui tamen ictum avertendo gladio, quo armatus erat, Gregorium in gutture feriit, ex quo statim in mortem obivit. Quo stante idem Parochus recursum habuit ad Sacram Congregationem pro absolutione ab Irregularitate, in quam incursum se dubitabat ex homicidio patrato ab ejus fratre, ubi proposita, & examinata fuerunt sequentia dubia.

Primò. An dictus Parochus incurrerit in Irregularitatem? Et quatenùs affirmativè.

Secundò. An sit absolvendus? in Casu &c.

Et ad primum affirmativè respondendum videtur. Quamvis enim vera in se ipsa sit in materia homicidii regula tradita, in *Can. Si quatuor apud Gratian.* 23. *quæst.* 8. Quod nimirum nulla culpa teneat eum, qui nec auxilio, nec consilio cooperator fuerit occisori, ea nihilominus nullimodè suffragari videtur supradicto Parocho, quo

minùs Irregularitatis notam effugiat. Et-
50 enim ex facti serie comprobatur Parochum ipsum fuisse principalem rixæ Auctorem, immo re ipsa concitasse proprium Germanum ad homicidium patrandum, in quibus terminis communiter Doctores volunt Irregularitatem incurri. *Suar. de Censur. disput. 44. sect. 3. num. 31. & disput. 35. sect. 3. num. 9. Bonaccin. tom. 1. de Irregularit. disput. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 28.*

Is enim fuit primus motor totius contentionis; Primò per illa verba provocatoria, pridiè quam occisio evenerit: *Domani ci vedremo &c.* Et deinde factis exequendo dicta per accessum ad locum destinatum, associatus à Germano gladio armato. Ubi rursus primus rixam excitavit acriorem per projectionem manubii securis in Antonium Pennellam occisi Germanum; Ex quo manifestavit proprium animum nocendi, & consequenter culpabilem, ut ad rem differit *Fagnan. in cap. De cætero num. 16. de Homicid.*

Et quamvis ipse non occiderit, sufficit tamen pro incursu Irregularitatis, ut occisio evenerit ex sua concitatione. Nec juvat dicere, quòd homicidium sequutum fuerit, post quam Parochus vulneratus è loco abiit; nam satis est, ut ejus concitatio, seu cooperatio præcesserit occisionem, prout notat *Gibalin. de Irregularit. cap. 4. consect. 9. num. 20. versic. Quod igitur*, & quòd præbuerit Causam influxivam & ordinatam ad occisionem, ut observat *Fagnan. loco dicto.*

Sacra autem Congregatio *in Aprutina Irregularitatis* 15. *Decembris* 1708. resolvit esse dispensandum ad cautelam.

Tertiò. Franciscus Calucci in decimo
52 tertio ætatis suæ anno constitutus, & tempore, quo idem una cum Eutitio Ciavatti coetaneo ludebat, vulneravit eundem Eutizium cultro in latere dextero, qui à tunc temporis Chirurgo curatus per spatium decem dierum circiter è Domo discessit, & ambulans, & cibans se Uvis, & fructibus usque ad vigesimum diem, post receptum vulnus, à quo erat penitus resanatus; maligna febri præventus in trigesimo primo die, ex hac ad meliorem vitam migravit causa dicti vulneris; Fabricato à Gubernatore processu, fuit per Chirurghum data relatio sine periculo vitæ, & sequuto obitu dicti Eutitii fuit per Medicum, & duos Chirurghos ad hoc specialiter vocatos recognitum Cadaver antedicti Eutitii, qui secundùm eorum Peritiam attestati fuerunt prædictum Eutitium febri maligna obiisse; Quare postea dictus Franciscus à Gubernatore fuit absolutus. Cupiens nunc idem Franciscus ad sacros Ordines promoveri, supplicavit declarari.

Primò. An incurrerit in Irregularitatem? Et quatenus affirmativè.

Secundò. An sit dispensandus?

53 Quibus dubiis examinatis. Ad primum videtur respondendum affirmativè. Etenim non dubitatur de Franciscì culpa in infligendo vulnere occasione ludi, morte subinde vulnerati sequuta. Nihil obstante excusatione, quòd obitus acciderit ex alio morbo supervento, paucis diebus post resanatum vulnus, nam id nullimodè probari videtur, ut par est, ex Actis desuper constructis in Curia Laicali, sicque delictum est clarum, & exceptio turbida, cùm nec minùs constet de existentia Actorum.

Adhuc tamen ex quibusdam fidibus exhibitis, nihil evincitur, cùm supponatur vnlneratum decem diebus post vulnus incidisse in febrim, ex qua obiit, cum cæteroquin terminus pro securitate vulnerum protendatur usque ad 40. dies, ut docet *Zacchias quæst. Medic. Legal. lib. 5. tit. 2. quæst. 5.* Unde semper urget præsumptio, quòd vulneratus ex accepto vulnere decesserit, ut advertit idem Auctor *ibidem quæst. 3. num. 3.* Unde cum in præsenti agatur de dubio facti semper est judicandus Irregularis tam in foro interno, quàm externo. *Text. in cap. Ad Audientiam, & cap. Significasti de Homicid. Bonaccin. tom. 1. de Irregular. disp. 7. quæst. 1. par. 4. num. 3. Panimoll. tom. 2. decis. 89. num. 14. & 15.*

His tamen non obstantibus contrarium,
54 puto verius, dum constat in facto, & ex sententia absolutoria Gubernatoris, causam mortis Eutitii non fuisse vulnus illatum à prædicto Francisco, sed febrim malignam causatam ex commestione Uvarum, & fructuum. Et ita resolvit Sacra Congregatio *in Hortana Irregularitatis* 15. *Junii* 1709.

Quar-

55 Quartò. Sacerdos Andreas Ravizzottus sub prima noctis vigilia cum altero ejusdem Cognato fortuitò occurrit, & se associavit quibusdam musicas gratulationes Nobilibus fœminis agentibus, Inter procedendum verò, cum nonnulli festivum hunc Comitatum ludificarent, & sibilis prosequerentur, prædictus Ravizzottus à suscepta rixa abducere primùm contendit Antonium Portium, aliosque qui hujusmodi injuriam prosequi intendebant, iis tamen non acquiescentibus, & ipse ad Januam cujusdam Domus processit, in qua Irrisores sese receperant, atque hispanico idiomate cum ipsis fari cœpit, à quibus tandem vulnus in facie reportavit; Ita sauciatus supradictus Ravizzotus à comitatu abscessit; Verùm tamen Antonius Portius unus ex Sociis ictu brevioris sclopi quemdam Morenam unum ex Irrisoribus interfecit. Ob hujusmodi homicidium ab Antonio Portio patratum, idem Sacerdos Ravizzottus Irregularitatis incursum pertimescens, à Divinis peragendis se abstinuit, & recursum habuit ad Sacram Congregationem Concilii, ubi propositis sequentibus dubiis.

Primò. An Sacerdos Andreas Ravizzottus incurrerit Irregularitatem in Casu &c. & quatenus affirmativè.

Secundò. An sit locus dispensationi in Casu &c.

Negativè ad primum respondendum
56esse dicebam. Quoniam Irregularitas ex homicidio contrahitur solùm ab iis, qui sunt causa homicidii vel physica, vel moralis, sive mediata, sive immediata. *Text. in cap. Si quis Viduam 50. dist. cap. Henricus in fine, de Cler. pugnant. in Duello, cap. Sicut dignum, §. ultim. de Homicid. Fagnan. in cap. De cætero num. 7. eodem tit.*

Præfatus Andreas Ravizzottus non fuit causa physica homicidii Morenæ, sed Antonius Portius, immo vulneratus jam à rixa recesserat, tempore explosionis sclopuli, quo Morena fuit sauciatus, ut ex depositione Testium, & ex relatione Episcopi; nec fuit causa moralis, quia nec consilium, nec opem, nec præceptum dedit, nec ulla verba dixit, ex quibus induci potuissent Socii ad vulnerandum Morenam, ideoque ratione causæ, nullatenus Irregularis est judicandus *Text. in cap. Significasti il secondo de Homicid. & Abb. in cap. Petrus eodem tit. Pignatell. consult. 71. num. 3. tom. 9.*

Nec incurrit Irregularitatem ratione rei
57illicitæ, nempe vagationis cum canentibus, & psallentibus, cui operam dedit; Nam tunc ratione rei illicitæ, ex qua sequatur casuale homicidium incurritur Irregularitas, quando actus ille illicitus est ordinatus sua propria natura ad læsionem, vel homicidium, aut ubi res illicita est periculosa, & ex illa frequenter mors sequatur, non verò ubi res illicita nullatenus est inductiva homicidii, nec est prohibita ratione periculi homicidii, juxta *Soccin. in cap. Ad Audientiam num. 49. de Homicid. Fagnan. in cap. De cætero eodem titul. num. 16. Pignatell. consult. 11. num. 11. tomo 9. Panimoll. decis. 89. annot. 5. numer. 12.*

Supradicta vagatio, cui incumbit Ravizzottus non fuit ab eo ordinata ad homicidium, nec ex natura sua est inductiva homicidii, nec est prohibita ratione homicidii, sed quia est contra Clericalem
58modestiam, sicuti si Clerico leviter rixante cum Laico; Frater Clerici Laicum in eadem rixa occiderit, non per hoc Clericus Irregularitatem incurrerit. *Pignatell. consult. 71. num. ultim. tomo 9.*

Nec Ravizzottus incurrit in Irregularitatem, ex quo non impediit percussionem Morenæ, quia non fuit amplius in statu illius prosecutionem impedire, nam in facie vulneratus à conflictu recessit, nec tenebatur ex Justitia impedire, nec potestatem habebat supra rixantes; Tunc enim
59non impediens homicidium incurrit Irregularitatem; Quandò illud impedire tenetur ex Justitia; nam tunc dicitur causa moralis homicidii *Text. in Can. Non inferenda, Can. Qui potest 23. quæst. 3.* Vel quando non impediens potestatem haberet supra rixantes *Can. facientis dist. 86. Bordon. controv. Moral. 42. num. 9.* secus si ex Charitate solùm, nam tunc Irregularitas non incurritur. *Text. in Canon. Si quatuor Homines 23. quæst. 8. Pignatell. consult. 71. num. 7.*

Eminentissimi autem PP. *die 16. Julii 1712. in Novarien. prætensæ Irregularitatis*, responderunt ad utrumque du-

bium: *Esse dispensandum ad cautelam*.

60 Quintò. Cum ad locum Alberiæ accesserint non nulli facinorosi homines, Sacerdos Dominicus Bozzini Præpositus Alberiæ, ad quem pertinet Jure feudi Jurisdictio temporalis ejusdem loci, die decima Martii 1709. convocavit plures ejus subditos, ut Armati Carceribus manciparent dictos facinorosos, inter quos convocatos, extitit Sacerdos Joannes Dominicus Bozzinus Nepos Præpositi, & alter Sacerdos Joannes Baptista Barnus, qui quidem in executionem præfati mandati, in diversos locos, se diviserunt absconditi, & præsertim dicti Sacerdotes Bozzinus, & Barnus Armis igneis onusti, intraverunt Domum cujusdam Cappellani Varni; Sed cum Bozzinus prædictus Nedos Præpositi aperuisset fenestram, ac eos vidisset in via stantes, ictum sclopi explosit. Exindeque vulneratus Dominicus Ridella, unus ex dictis facinorosis obiit. Porrò in processu adesse videtur aliqua discrepantia, an priùs illatus fuerit ictus sclopi ex dictis Hominibus versus fenestram. Constat etiam tempore homicidii Præpositum non extitisse in Domo Varni, sed in ejus propria, nec non eumdem convocasse homines armatos, sub Atrio Domus Parochialis sic eos allocutum: *Havete le vostre Armi bene aggiustate, se non l'havete aggiustate, aggiustatele, vi sono quì in Casa di Giacomo Belforte due furbi, Voi altri andarete alli Posti, ove vi metterà qui mio Nepote, e quando sarete alli Posti, Io manderò a dire alli detti, che venghino priggione*: Cui unus Convocatorum replicando: *Se fuggissero*? Præpositus ait: *Se fuggissero, Voi altri sapete quello dovete fare alli furbi*: & alteri Subdenti: *Ma Signor Preposto, che gli diamo, gli diamo*: Explicanda sunt ejus verba: *Intendendosi Archibugiate*: Præpositus replicavit: *Vi torno a dire, che Voi altri sapete, quello dovete fare con li furbi, orsù andate con mio Nipote, che vi metterà alli Posti*: Quodque cum fuerit eidem Nepoti suggestum melius fore pulsare Campanam ad Armorum signum, ait, finem Patrui esse carcerationem, ut se liberaret à perturbationibus eorum, quodque pulsando Campanam, fugam arriperent. Tandem idem Præpositus deponit, dixisse hominibus Armatis ab eo convocatis: *Sono questi furbi, io non voglio, che Voi siate offesi, ne pure nella pelle del minimo deto della mano, ne che offendiate loro, ma solo, che prendiate li Posti, che poi li manderò a dire, che mandino l'Armi, e che poi vengano a costituirsi priggione, & uno de Convocati disse, se fuggissero; Soggionse un' altro. E con li furbi non sapete, come si fa. Io replicai, che con li furbi non sapete quello si fà; Io hò detto bastantemente quello voglio facciate*: Hinc Præpositus dubitans se incurrisse in Irregularitatem pro serenitate propriæ conscientiæ recursum habuit ad Sacram Congregationem, ubi disputatis infrascriptis dubiis.

Primò. An Dominicus Bozzini Præpositus Parochialis Ecclesiæ loci Alberiæ incurrerit Irregularitatem in Casu &c. Et quatenus affirmativè.

Secundò. An sit dispensandus: Responsum fuit *die 2. Maii 1711. in Derthonen. prætensæ Irregularitatis*. Ad primum affirmativè, ad secundum negativè.

Sed reproposita Causa 17. *Junii* 1713. sub dubio: *An sit standum, vel recedendum à decisis in Casu &c.*? Recedendum esse à decisis, & Dominicum Bozzinum Præpositum dispensandum esse ad cautelam, credebam respondendum. Ex responsione enim facta per Præpositum uni ex Hominibus ab eo Missis, ut opportuna occuparent Loca ad capiendos quosdam homines facinorosos, & Bannitos in ejus feudo existentes, Interroganti, quòd esset faciendum, si illi aufugissent, cui respondit; *Se fugissero, Voi altri sapete quello dovete fare alli furbi*: Ex hac inquam responsione, cum sit æquivoca, & congruè referri possit in eum sensum, ut eis fugientibus, ipsi viam præoccuparent, inferrent terrorem, insequerentur &c. non potest determinatè deduci mandatum aliquod ad occidendum Dominicum Ridella, immo cum dicta responsio clarè, & apertè mandatum non importet, ita est interpretanda, ut mandatum excludat, & delictum, *Menoch. cons. 283. num. 5. & seqq. lib. 3. Mascard. de probation. conclus. 866. num. 14.* Maximè cum eis dixerit: *Io non voglio, che siate offesi &c. ne che offendiate loro*, quæ verba excludunt intentionem, & mandatum occidendi.

Et licèt mittendo dictos Homines, ut occuparent opportuna loca ad capiendos dictos facinorosos dederit causam proximam homicidio, non propterea Præpositus incurrit in Irregularitatem indispensabilem, ad hanc enim incurrendam oportet, ut homicidium sit in se volitum, ut optimè advertit *Fagnan. in cap. De cætero de Homicid. num.* 27. Adeoque dignus est dispensatione eo magis quià pacem obtinuit ab omnibus proximioribus occisi sub ea expressione; *Che detto Signor Prepoſto è Innocente del detto Omicidio, e che queſto è ſtato Caſuale: Mandoſ. in prax. Signaturæ tit. abſolut. & rehabilit. ad Homicid. verſ. Et quòd facilius pareatur, Corrad. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 19. Et est Vir optimis moribus, Religione, Pietate imbutus, ut ex attestationibus exhibitis, quibus qualitatibus concurrentibus, concedi solet dispensatio, *Gloſſ. in Can. Cum conſtitueret diſt.* 50. *Antonell. de Jur. & oner. Cleric. lib.* 1. *par.* 4. *cap.* 43. *num.* 1. *& ſeqq.*

His tamen non obstantibus Sacra Con-
62 gregatio eodem *die* 17. *Junii* 1713. respondit ad primum In Decisis, ad secundum Dilata, & supplicet, concordato Fisco.

Sextò. Julius Barnaba Vicecomes Sacerdos, & Canonicus Insignis Collegiatæ Sancti Stephani, iteratis precibus sub diebus scilicet 12. *Decembris* 1699. 21. *Maii* 1701. & 27. *Martii* 1705. gratiam dispensationis ab Irregularitate expostulavit; Placuit tamen Eminentissimis PP. illam denegare, non ex quo Casus esset indispensabilis, sed ex eo, quòd effluxerit breve tempus à die patrati homicidii, ut mentem Sacræ Congregationis communicando, declaravit R. P. D. Nuptius tunc temporis Secretarius.

Cum igitur hodie decurrat decimus octavus annus, quòd idem Canonicus Vicecomes duplicem patitur pœnam ex causa prædictæ Irregularitatis, scilicet privationem celebrandi Sacrificium, & amissionem omnium fructuum sui Canonicatus, ideò facti seriem noviter exponens, humillimas renovat preces pro obtinenda petita dispensatione.

Die igitur 24. *Decembris* 1695. Cum præfatus Canonicus Vicecomes se conferebat apud Curatum Vacciani ad Sacramentalem perficiendam Confessionem, ut depromitur ex depositione Testis Fiscalis *proc. fol.* 44. ratificata in illius constituto *fol.* 98. obviam habuit Franciscum Rolandum, qui iter occupando prætendebat præcedentiam, quòdque dictus Canonicus Vicecomes partem viæ luto conspersam calcaret, suborta exinde rixa super præmissis, prædictus Rolandus aggrediendo eumdem Canonicum, & saxa in eum projiciendo, illius caput mortali vulnere percussit, nec satiato furore animo efferato alios vibrabat lapides, & in illius vitam irruere conabatur, adeo quòd dictus Canonicus lethali vulnere affectus, justa ira commotus, & in discrimine vitæ constitutus, cultro tribus ictibus dictum Rolandum repercussit, ex quibus post biduum vitam cum morte commutavit, ut ex depositione Testis Fiscalis.

Suppositа hac facti serie proposito dubio: *An sit locus dispensationi ab Irregularitate in Caſu &c.* scribens in hac Causa ex Commissione Domini mei Patrui pro D. Julio Barnaba Vicecomite affirmativè respondendum dicebam. Quoniam non
63 versamur in Casu Irregularitatis provenientis ex homicidio simpliciter, & directè voluntario, quæ juxta dispositionem Conciliarem *cap.* 7. *ſeſſ.* 24. *de Reformat.* est indispensabilis, utpote procedens non solùm de Jure Canonico, sed etiam de Jure Divino, dum Dominus dixit David Prophetæ: *Non ædificabis mihi templum, quia vir ſanguinis es*: Ut expresè docent *Abb. in cap. Ad Audientiam num.* 2. *& Butr. in cap. Si quis num.* 3. *de Homicid.*

64 Sed sumus in terminis Irregularitatis provenientis ex homicidio casuali, sed indirectè, & secundum quid voluntario, aut ex necessitate, & ad defensam propriæ vitæ commisso, dum Canonicus Vicecomes, ut supra comprobavimus, se conferens apud Curatum Vacciani, animo perficiendi Sacramentalem confessionem, casu incidit in Franciscum Rolandum, qui iter occupando prætendens præcedentiam concitavit, & fuit primus Motor totius contentionis, & homicidii, tum per illa verba: *Ti do la Tara per quello, che tu ſei &c. Sete Galanthuomo alla voſtra foggia.* Tum factis, quia saxa in Canonicum projiciendo, illius caput mortali vulnere per-

percussit, qui justâ irâ motus videns Rolandum vim facere in ejus vitam irruendi: Statim ne iteratis ictibus lapidum extinctus permaneret ab auctore rixæ, cultro dictum Rolandum tribus ictibus repercus-
65 sit. Unde ex quo præfatus Canonicus fuit insultatus à dicto Rolando, præsumitur, eum interfeciſſe causa suæ defensionis. *Alex. de Nevo conſ. 92. num. 3.* & ex necessitate, adeoque meretur dispensationem ab Irregularitate incursa. Ratio est, quia hujusmodi homicidia cum non sint ex proposito directo, ac formali, non sunt simpliciter, & perfectè voluntaria, sed veluti mixta ex voluntario, & casuali *Text. in Clement. unic. de Homicid. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 39. num. 52. & 63. Lezzan. in Summ. quæst. regular. tom. 2. verb. Irregularitas num. 69. Antonell. de Jur. Cleric. lib. 1. part. 4. cap. 45. num. 21. Navarr. conſ. 8. lib. 5. de Homicid. Farinacc. in Fragment. prax. Crim. in tract. de Immunit. par. 2. num. 475. & ſeq. fol. mihi 98. Ricc. deciſ. 930.* ubi expendendo præallegatum decretum conciliare firmat, quòd sit dispensandus Homicida, quamvis homicidium esset evitabile ex causa defensionis, cum ad hoc ut quis ab homicidio excusetur, sufficiat, quòd probabiliter dubitet, ne Adversarius eum repercutiat. *Innocent. in cap. Si verò, verſic. Reddat, & Joannes Andreas, & Card. de Sent. excomm. Alex. de Nevo conſil. 92. num. 6.*

Animadvertendo præsertim, quòd Canonicus Vicecomes vulneravit Rolandum tribus ictibus cultri, quibus vulneribus postea iste decessit, non ut superiùs dixi per industriam, & præmeditatè, sed calore iracundiæ, & in pura rixa, nec fuit auctor rixę, sed provocatus, & ab eo tempore à Ministerio Altaris se abstinuit, & obtinuit pacem à Parentibus, & Consanguineis Defuncti, concordavitque cum Fisco, atque idem Canonicus aliàs est bonæ conditionis, & famæ, & post delictum semper laudabiliter vixit, ut ex litteris
66 testimonialibus Ordinarii in Segretaria exhibitis, Quibus omnibus attentis, nec non attento tanti temporis scilicet 18. annorum decursu à die perpetrati homicidii, itaut illius memoria in loco sit ferè obliterata, concedi solet hujusmodi dispensatio ab Irregularitate, ut de stylo hujus Sacræ Congregationis testatur *Fagnan. in cap. Henricus de Cler. pugn. in Duell. n. 35. & ſeq.*

67 Et ita practicatum fuit *in Cremonen. Irregularitatis* 24. *Januarii* 1671. ubi dispensatus fuit Irregularis, qui in 14. anno occidit parvo cultro Præfectum Religionis Somaschæ Collegii verberantem? *& in Veliterna* 28. *Junii* 1704. ubi post sex annos absolutus fuit Clericus pro aliis Ordinibus Sacris, qui 12. anno cultro parvo ad aptandos calamos alium Puerum interfecit sibi lapidibus infensum. *Et in Parmen. Irregularitatis* 27. *Januarii* 1703. ubi Irregularis promotus fuit dispensatus, quia necaverat causa honoris Sororis post 13. annos.

Quod procedit etiam in fortioribus terminis, scilicet dato etiam per hypothesim, quòd perageretur de homicidio voluntario; nam præponderandum est, quòd versamur in Sacerdote ante homicidium ad Sacros Ordines jam promoto, in quo Casu formiter disputato dubio, coram Summo Pontifice in particulari Congregatione plurium Eminentiss. Cardinalium: *An Decretum Sacri Concilii Tridentini cap. 7. seſſ. 24. Excludens voluntarium homicidam à ſpe obtinendi dispenſationem vindicet ſibi locum in eo, qui ante homicidium ad Sacros Ordines jam erat promotus*: Decisum fuit ab eodem Sacro Concilio non includi promotum, eumdemque non esse repellendum ab obtinendo gratiam dispensationis; Et quidem summa ratione, quia aliàs promotus nescitur, quid ageret, cum nec ministrare possit, nec retrocedere liceat. *Fagnan. in cap. Henricus de Cler. pugn. in Duell. num. 24. & ſeqq.*

Non obstat, quòd præfatus Canonicus Vicecomes excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, quia non excessit hujusmodi moderamen præmeditatè, sed ferè extra se calore rixæ, & quia ex hoc ipso, quòd illud excessit, incurrit Irregularitatem, aliàs non incurrisset, juxta *Gloss. in cap. Sicut dignum §. Clericus de Homicid. verb. Conſilium, ibique Butr. num. 28. Anan. in cap. Interfeciſti de Homicid. numer. 10. & juxta Clement. Si furioſus de Homicid. ibi-*
69 *que Vitalin. numer. 33.* Et quidem ex eo, quòd excesserit moderamen inculpatæ tutelæ

telæ, non incurrit in eam Irregularitatem, quæ sit indispensabilis *Toletan. lib. 1. cap. 80. numer. 9. Petr. Navarr. de Restitut. lib. 2. cap. 3. num. 366. & 367. Bonaccin. punct. 6. in prima propos. num. 3. in fine, Sayr. de Censur. lib. 7. num. 22.* ad hanc enim inducendam non sufficit indistinctè dedisse operam rei illicitæ, aut causam proximam homicidio, sed oportet, ut homicidium sit in se volitum, ut optimè *Fagnan. in cap. De cætero de Homicid. num. 27.*

ARGUMENTUM.

Præsentatio Eunuchi, seu Castrati ad Beneficium, an sit valida. Et qui possint, & qui non possint præsentari ad Beneficia de Jurepatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Castratio quotuplex sit?*
2 *Præsentatio Castrati involuntariè, & ex necessitate, facta absolutè absque spe dispensationis est valida; secus Castrati voluntariè nulla superveniente causa.*
3 *Se Castrans, aut consentiens Castrationi ob vocem conservandam, aut ob vocis suavitatem an sit Irregularis? & num. 4. & 5.*
6 *Nemo est Dominus membrorum suorum.*
7 *Præsentatio illius, qui se castravit ob conservandam vocem absolutè, & absque spe dispensationis facta, est nulla.*
8 *Præsentari non possunt ad Beneficia Sacerdotalia corpore vitiati, qui ad ordines promoveri non valent. An autem præsentari possit Ermafroditus? aut laborans morbo caduco; Vide ut ibi.*
9 *Præsentari potest Clericus primæ tonsuræ, dummodo hoc non requirat majorem ordinem, etiamsi non incedat in habitu, & tonsura.*
10 *Clericus Conjugatus, Mulier, illegitimè natus, Bigamus, Invitus, Episcopus præsentari non possunt ad Beneficia Ecclesiastica.*
11 *Beneficiatus ad unum Beneficium patronatum potest ad aliud præsentari, sed limita, ut ibi.*
12 *Peregrinus præsentari non potest, sed limita, ut ibi.*
13 *Apostatæ præsentari non possunt ad Beneficia Ecclesiastica; nec alii, de quibus num. 14.*

CASUS XII.

PAtronus vacante Beneficio A, præsentavit ad illud absolutè, & absque conditione dispensationis ab Irregularitate Titium castratum quæritur, an hujusmodi præsentatio sit valida?

1 Sciendum est, quòd Castratio, alia est involuntaria, & proveniens ex necessitate, ut si quis per insidias Eunuchus factus sit, vel ita natus, vel in persecutione ei virilia imputata sint, vel qui nolens, aut ignoranter abscinditur, ut est ille, qui in cunabilis sectus fuit *Gloss. in cap. Ex parte de corpore vitiatis, ibique Abb. num. 2.*

Et alia voluntaria, & hæc est duplex, scilicet voluntaria absque ulla causa, ut si quis ex indignatione abscissus est, vel abscindi se fecit; Et voluntaria ex causa superveniente, scilicet ob infirmitatem, ob sanitatem conservandam, ob evitandam lepram, aut alium morbum juxta *Gloss. in cap. Ex parte il primo, verb. Abscinderit, & in cap. Ex parte il secondo, verbo Infirmitas, & juxta Text. in cap. Si quis per ægritudinem, si quis à Medicis dist. 55.*

2 Hoc præsuppositio si Titius fuerit Castratus involuntariè, & ex necessitate, præsentatio de se facta ad dictum Beneficium absolutè, & absque spe dispensationis est valida, quia in hoc casu non est Irregularis, juxta *Text. in cap. Ex parte de corpore vitiatis, ibique Doctores omnes.* Si verò Titius fuerit castratus voluntariè, & tunc si fuerit Castratus voluntariè, justa superveniente causa, dicta præsentatio de se facta est valida; dum ipse in hoc casu non est Irregularis; Si autem voluntariè nulla superveniente causa sibi abscinderit virilia, vel procuraverit, ut ab alio abscinderentur, præsentatio prædicta absolute de se facta est nulla, dum in hoc casu

su Titius est Irregularis, quia quasi homicida sui ipsius judicatur, & quia præsumitur, quòd omne turpe in alium faceret, quia hoc in se ipso ausus est attentare, & quia nemo est Dominus membrorum suorum, juxta *Text. in cap. Si quis abscideri dist.* 55. *ibique Barbos. num.* 1. *& seqq. Gloss. in cap. Ex parte, verb. Abscideri, ibique Abb. num.* 5. *Gonzal. num.* 3. *Gibalin. de Irregular. par.* 4. *corollar.* 4. §. *dico* 3. *&* §. *dico* 4. *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 12.

3 Sed si quis se castraret, aut consentiret castrationi ob vocem conservandam, aut ob vocis suavitatem ad Concentus Sacros, an sit Irregularis?

Julius Caponus *discept.* 222. *num.* 74. 4 *tom.* 3. defendit abscindentem virilia, aut consentienti abscissioni ad finem conservandi vocem non esse Irregularem; & movetur ab ea ratione, scilicet, quia talis est Irregularitas, quæ provenit ex delicto, sed Irregularitas ex delicto non incurritur sine peccato mortali, & castratio ad conservandam vocem fit sine peccato mortali; Ergo consentiens actui licito nullum peccatum incurrit neque Irregularitatem.

Hujusmodi sententiam *Caponi* puto om- 5 nino falsam, utpote contrariam tum dispositioni Juris, tum praxi. Etenim quoties quis voluntarie se abscindit, aut consentit abscissioni virilium, incurrit in Irregularitatem, juxta *Text. in dicto cap. Ex parte de corpore vitiatis*, ibi: *Sanè cum secundum Statuta Nicæni Concilii illi ad Clericatus ordinem prohibeantur accedere, & si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui se ipsos sani abscideri, vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur.* Sed qui se castrat, aut castrationi consentit ob conservandam vocem, voluntariè hoc facit. Ergo qui se castrat, aut castrationi consentit ob conservandam vocem incurrit in Irregularitatem.

Quod comprobatur *ex cap. Si quis pro ægritudine distinct.* 55. juxta hunc *Text.* ille, qui se castravit, seu permisit sponte se castrari, ut caste viveret est Irregularis, ibi: *Si quis autem sanus &c. Propter abscissionem plasmati à Deo corporis existimans posse à se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium*; Ergo à fortiori ille, qui se castravit ob conservandam vocem erit Irregularis, dum majus bonum est conservare castitatem, quàm conservare vocem.

Ratio autem supradicta *Caponi* est omnino insubsistens; licèt enim conservare castitatem sit magnum bonum, tamen se castrare ob conservationem castitatis est peccatum; Ergo à pari licèt conservare vocem ob concentus Sacros sit aliquod bonum, tamen se castrare ob hujusmodi conservationem vocis, erit peccatum; nam si ad conservandam continentiam, & vitandum damnum spirituale hujusmodi castratio non permittitur, quantò magis ob servandam vocem, ob evitandam inopiam, aut lucrum temporale captandum prohiberi debet? Et ratio; quare abscissio virilium ad utrumque finem facta, sit peccatum, est quam deduximus supra *ex Gloss. in dicto cap. Ex parte, verb. Abscideri*, nimirum quia nemo est Dominus mem- 6 brorum suorum. Et ita tenent *Barbos. in cap. Si quis abscideri dist.* 55. *Lug. d'isp.* 10. *num.* 21. Et alii quos refert *Gonzal. in dicto cap. Ex parte num.* 5. *propè finem*.

Est etiam sententia *Caponi* contraria praxi, quia videmus omnes, qui se castraverint ob conservandam vocem, si velint promoveri ad Sacros Ordines obtinent in Dataria dispensationem, quam obtinere non esset necessarium, si non essent Irregulares.

7 Ex quibus deducitur, quòd si Patronus præsentaret ad Beneficium Sacerdotale eum, qui se castravit ad conservandam vocem absolute, & absque spe dispensationis, ejus præsentatio esset nulla, quia cùm taliter castratus absque dispensatione valeat promoveri ad ordines, non potest præsentari, *Lambertin. de Jurepatron. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 7. *art.* 12. *& quæst.* 10. *art.* 1. *num.* 2.

Et hîc quærendum duxi, qui possint, & qui non possint ad Beneficium de Jurepatronatus præsentari? Per trigesimos articulos numerat *Lambertin. de Jurepatronatus lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 7. eos, qui possint, & qui non possint præsentari ad Beneficia ad quem me remitto, & solùm nonnullos, hîc breviter refero.

8 Omnes corpore vitiati, qui ad ordines promoveri non possunt, nec præsentari valent,

lent, & sic carens manu, naso, monoculus, giboſus, habens maculam in oculo, quæ inducat magnam deformitatem præſentari non poſſunt abſolutè abſque ſpe diſpenſationis; Nec Ermaphroditus, in quo uterque ſexus æqualis eſt, aut fœmineus prævaleat, aut etiamſi emineat ſexus virilis; Aut ex muliere factus ſit vir, dummodò res ſit nota, & publica, ſecus autem ſi ſit occulta, quia eſt Irregularis, *Gibal. de Irregul. par.* 4. *conſect.* 6. §. *Dico in primis, & ſequent.* & ob eamdem rationem, nempe quia eſt Irregularis, neque laborans morbo caduco præſentari poteſt, *Gibalin. ubi ſupra conſectar.* 8. *num.* 21.

9 Clericus primæ tonſuræ poteſt ad Beneficium præſentari, dummodo hoc ex ſui natura, vel ex Lege fundationis non requirat majorem ordinem; quòd amplio etiamſi non incedat in habitu, & tonſura; Licèt enim Clerici non incedentes in habitu, & tonſura ipſo Jure privati cenſeantur Beneficiis vigore Conſtitutionis Sixti V. quæ eſt trigeſima *in Bullar. & in nov. ædit.* 92. Tamen cautum non reperitur Clericum incedentem in habitu Laicali eſſe inhabilem ad obtinendam præſentationem; Sed potiùs contrarium deſumitur *Clement.* 2. *de Vita, & honeſt. Cleric.* ubi Clerici Beneficiati ſuſpenduntur per ſex menſes à perceptione fructuum; Non Beneficiati autem in Sacris tamen conſtituti per id tempus redduntur inhabiles ad Eccleſiaſtica Beneficia; ſed de Clericis ſimpliciter incedentibus in habitu Laicali, nihil fuit ſancitum; Ergo iſti præſentari poſſunt ad Beneficia Eccleſiaſtica; Dummodo aſſumant poſtea habitum Clericalem, ut in his terminis docet *Rota dec.* 592. *per tot. par.* 4. *tom.* 1. *Recent.*

Clericus conjugatus non poteſt præſen-
10 otari ad Beneficium Eccleſiaſticum, niſi ex diſpenſatione, & Patronis volentibus, nec mulier, nec ſervi Infideles, nec illegitimè nati abſque diſpenſatione, nec Bigami, nec invitus, nec Epiſcopi, præſentari poſſunt ad Beneficium, quia promotione ad Epiſcopatum vacant priora Beneficia, *Card. de Luca de Benefic. par.* 1. *diſc.* 4. *n.* 9. ubi quòd etiam vacant penſiones, *Buratt. deciſ.* 464. *num.* 9.

11 Beneficiatus ad unum Beneficium Patronatum poteſt ad aliud præſentari, niſi Lex fundationis aliud diſpoſuerit, & ſi Beneficia non ſint incompatibilia.

12 Peregrinus præſentari non poteſt, niſi ſit de illa Diæceſi, vel niſi venerit cum litteris commendatitiis ſui Epiſcopi; nec præſentari poteſt, ſi inſtitutio ſpectet ad Prælatum inferiorem, ea ratione, quia inferiores Prælati ſine Diæceſanorum conſenſu in Eccleſiis ſuis Peregrinos non poſſunt inſtituere, juxta *Text: in cap. Te nobis de Cler. Peregrinis; ibique Abb. Barboſ.* ut legi poteſt apud *Lambertin. ubi ſupra.*

Apoſtatæ præſentari non poſſunt ad Be-
13 neficia Eccleſiaſtica, ita ut ſi præſententur, præſentatio eſt nulla, & Patroni ea vice privantur jure præſentandi alios juxta Conſtitutionem Pauli IV; *ſa* 14. *incipien. Per quam* §. 4. *in Bullar. nov. Lezzan. in Summa Regul. cap.* 11. *num.* 28. *tom.* 1.

Denique Hæreticus, Sciſmaticus, Si-
14 moniacus, Perjurus niſi pæniteat, Infamis infamia Juris, vel facti, niſi fuerit ab Infamia liberatus, Sodomita, Concubinarius notorius per ſententiam, vel per Confeſſionem ſponte factam, Uſurarius manifeſtus, Falſificans, vel per ſe, vel per alios Litteras Apoſtolicas, Hiſtrio, Scurra, vel Buffonus præſentari non poſſunt ad Beneficia Eccleſiaſtica; ut habetur apud *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 9. *fere per tot.*

ARGUMENTUM.

Præſentatio facta de Laico eſt nulla, etiamſi Laicus petat poſtea Clericari; Clericatus namque requiritur de tempore præſentationis.

SUMMARIUM.

1 *Laicus poteſt nominari, immo etiam præſentari ſub conditione Clericatus, non autem abſolutè ad Beneficium Eccleſiaſticum, & num.* 28.

2 *Præſentatio facta de Laico eſt nulla, etiamſi poſt factam præſentationem Clericatum ſuſceperit; & quid ſi exhibendo nominationem expoſtulaverit ſe promoveri ad Clericatum? num.* 3. *&* 30. *&* 31.

4 *Patronus in aliquibus caſibus validè*

procedere potest ad præsentationem Laici. Et num. 5. & 6.

7 *Mandante Testatore, ut in paritate vocum ille electus remaneat, qui primo loco est nominatus, an hoc servandum sit, si primo loco nominatus non habeat ætatem conciliarem?*

8 *Præsentantibus aliquibus inhabilem, cæteris verò habilem, totum Jus præsentandi in præsentantibus habilem consolidatur, & num. 27.*

9 *Fundator potest velle, ut ad Beneficium præsentetur minor 14. annorum, non obstante dispositione conciliari.*

10 *Ratio cur Concilium Tridentinum requirat ætatem 14. annorum pro obtinendis Beneficiis simplicibus.*

11 *Beneficia fundata post Concilium Tridentinum requirunt ætatem 14. annorum, nisi certis, & convincentibus probationibus, contraria voluntas fundatoris probetur. Secus si essent fundata ante Concilium, ut num. 13.*

12 *Testator potius cum Statuto, quàm cum Jure communi per eum correcto, se conformare præsumitur.*

14 *Si in erectione Beneficii post Concilium disponatur, quòd præsentetur quicumque Clericus, præsentari non potest Clericus, qui sit minor 14. annorum, Amplia, ut num. 15.*

16 *Voluntas Fundatoris, ut præsentari possit ad Beneficium minor 14. annorum, an deduci valeat à subsidiaria admissione Laicorum de Familia, aut extraneorum post totalem defectum Clericorum de Familia, & num. 17.*

18 *A' Jurepatronatus activo arguitur ad interpretationem Jurispatronatus passivi, itaut, quod in uno fuit dispositum, censeatur etiam volitum in altero.*

19 *Magis idoneus in paritate vocum præferendus est minus idoneo.*

20 *Habilitatus per dispensationem, an præferendus sit in paritate vocum ei, qui sit de Jure habilis.*

21 *Dispensatio à defectu ætatis reportata à præsentato inhabili absque expressione compræsentati habilis est nulla.*

22 *Dispensatio à defectu ætatis, quando retrotrahi possit ad tempus præsentationis?*

23 *Habilitas requisita in Beneficiato, quo tempore concurrere debeat?*

24 *Qualitas adjecta verbo intelligi debet secundum tempus verbi, & de tempore verbi necesse est, ut interveniat.*

25 *Habilitas requisita in Beneficiato ab Homine, & non à lege, concurrere debet in ipso actu præsentationis.*

26 *Ultimus status attenditur ad effectum reportandi institutionem.*

29 *Instrumentum conceptum per verba præsentationem præferentia resolvitur in meram nominationem, si non exhibeatur coram habente instituere.*

32 *Episcopus, an, & quando possit habilitare præsentatum incapacem ad Beneficium existente altero præsentato capaci.*

33 *Ultimus status attenditur ad effectum cognoscendi, an Beneficium sit Sacerdotale.*

CASUS XIII.

1 PAtronus præsentavit Laicum ad Beneficium vacans, qui statim adeptus est Clericatum, quæritur, an illa præsentatio sit valida.

Studens in hoc Casu ex Commissione mei Præceptoris in eo scribentis negativè respondendum dicebam, quia licèt Laicus possit nominari, immo etiam præsentari sub conditione Clericatus, juxta *Rotam coram Pæn. decis. 4. & 12.* & fuit plene decisum *in Melevitana Beneficiorum 10. Junii 1712. coram R. P. D. Aldrovando, §. Pro Remotione inferius legen. numer. 26.* tamen non potest præsentari absolutè, utpote incapax Beneficii, & præsentatio facta de incapaci substineri non potest juxta firmata *per Ricc. in prax. par. 1. resol. 151. per tot. Pax Jordan. tom. 2. lucubr. lib. 1. tit. 7. num. 573. Garz. ubi proximè n. 31.*

2 *Buratt. decis. 22. num. 22.* Quod procedit etiam si post factam præsentationem, Clericatum susceperit; Clericatus enim subsequens etiam de proximo retrotrahi non potest ad tempus præsentationis, in quo requiritur capacitas, & habilitas præsentati, quia mediante præsentatione acquiritur Jus ab Beneficium, ut bene ostendit *Garz. de Benefic. par. 7. cap. 1. numer. 31.*

Lam-

Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. par. 1. qu. 7. art. 7. num. 7. & art. 29. num. 4. & art. 2. num. 16. Sanchez cons. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 73. num. 2. Pax Jordan. tom. 2. lucubrat. lib. 10. tit. 7. n. 573. Rota decis. 147. num. 14. post Vivian. de Jurepatr. & coram Buratt. decis. 21. num. 21. Castropal. oper. Moral. tract. 13. de Benefic. disput. 2. punct. 7. num. 1.

Non obstat, quòd Laicus præsentatus
3 tempore, quo exhibuit nominationem coram ordinario, simul expostulaverit se promoveri ad Clericatum, ideòque quemadmodum licitum est Patronis præsentare Laicum sub conditione futuri Clericatus, ita etiam permissum sit nominato facere præsentationem suæ nominationis coram Ordinario cum Instantia, & petitione Clericatus, per quam videtur, quòd actus censeatur expletus nunc pro tunc, postquam adeptus fuerit Clericatum. Ut bene notat *Rotam in dicta Melevitana Beneficiorum*, §. *Nec dicatur*.

Pro remotione enim objecti distinguo plures casus, in quibus vacante Beneficio de Jurepatronatus ritè, & rectè procedere valent Patroni, qui desiderant aliquem Laicum præsentare; Pro ut distinguit idem meus Præceptor *in Tract. de Controv. Patron. alleg. tom.* 2. qui loquitur his præcisis verbis, nempe,

Primus est, ubi petunt coram Ordina-
4 rio superfederi usque ad ultimum diem quadrimestris, ut præsentandus assequi possit debitam capacitatem E. G. Clericatum, dispensationem ab ætate &c. & hoc casu ordinarius superfedere tenetur, ut advertit *Card. de Luca de Jurepatronatus disc.* 45. *num.* 7. *Cirill. quæst. Jur. cap.* 93. *num.* 28.

5 Secundus est ubi per Epistolam, vel Instrumentum simpliciter nominant præsentandum, qui est Laicus, & tradunt illi actum nominationis, & tunc nominatus non debet exhibere superiori nominationem, nisi priùs adepto Clericatu, & tunc factus Clericus potest illam exhibere, tunc enim verificatur, quòd de tempore præsentationis sit Clericus, hoc est illud, quod dicunt Doctores, quòd possit nominari Laicus, dummodo tamen sit Clericus tempore præsentationis, sive exhibita nominationis coram ordinario, ut ait *Rota coram Pæn. dicta decis.* 4. *num.* 4. & *dec.* 12. *num.* 4. & *decis.* 147. *num.* 15. & *seqq. post Vivian. de Jurepat. Garz. de Benefic. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 32. *Lotter. de re Benefic. lib.* 2.
6 *quæst.* 47. *num.* 94.

Tertius casus est ubi Patroni non nominant, sed verè, & realiter præsentant Laicum coram ordinario, & tali casu est quæstio inter Doctores, an possit fieri præsentatio sub conditione futuri Clericatus? Etenim *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 28. & *seqq.* firmat posse Laicum præsentati sub conditione Clericatus expressa, vel tacita, sed opinionem *Garzia* tanquam insubsistentem refellit latè *Ventrigl. in prax. part.* 2. *annot.* 7. *numer.* 12. Veritas est, quòd possit præsentari Laicus non quidem sub tacita, sed solùm sub expressa conditione futuri Clericatus, nempe mediante clausula: *Si, & post quam fuerit promotus ad Clericatum*: ut est sententia Sacræ Rotæ, apud *Vivian. de Jurepatr. decis.* 147. *num.* 19. *Card. de Luca de Jurepatr. disc.* 45. *num.* 7. *Barbos. de potest. Episcop. alleg.* 72. *num.* 78. Ea ratione, quòd conditio suspendit actum præsentationis, quæ solùm fieri dicitur, post quam accessit Clericatus, qui tali casu retrotrahitur ad ipsam diem præsentationis, dummodo superveniat durante termino Juris, ut explicat *Rota in Volaterana Beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Nec valuit coram R. P. D. Crispo, quæ inferius legi potest num.* 7.

Nullus ex his casibus hactenus distinctis applicatur ad casum nostrum, dum Patronus non præsentavit sub conditione, sed coram ordinario exhibuit per manus Præsentati Instrumentum nominationis, quod nullam continet conditionem, aut præservativam.

R. P. D.

CRISPO

Volaterrana Beneficii.

Veneris 7. Decembris 1708.

7 CUm Eques Pompejus de Birellis in fundatione Beneficii decreverit, ut eveniente illius vacatione, illi de Familia, quibus Jus nominandi reservaverat, deberent Domi ipsius Fundatoris insimul congregati per scrutinium secretum, juxta eorum ætatis majoritatem nominationem explere, ad hoc, ut personæ habiles potuissent scrutinio subjici, tribuendo prælationem Clericis de Familia quatenus habiles reperirentur ad Beneficium assequendum, providendo ulteriùs, ut in suffragiorum paritate ille electus remaneret, qui primo loco nominatus extitisset.

Per obitum primo nominati à Fundatore nominationi præfatæ locus evenit, in qua ex quatuor Patronis, in quibus de eo tempore Juspatronatus residebat, à Seniore Patrono nominatus fuit Joseph Bonaccursius de Birellis in anno decimotertio ætatis suæ tunc constitutus, ab altero verò Patrono in ordine succedente, Antonius Franciscus de Birellis vigesimum annum agens, atque cùm successivè nominare debentes unus primo nominato adhęsisset, alter verò secundo: Hæc suffragiorum scisura ansam præbuit inter præsentatos acerrimæ in Ecclesiasticis Hetruriæ Tribunalibus dimicationi; Cùm etsi Joseph tanquam primo nominatus juxta fundationis legem in paritate vocum electus diceretur, attamen destitutus comparebat capacitate ætatis, uti minor 14. annorum, quibus *Sacrum Concilium Tridentinum* expressè interdixit Beneficia Ecclesiastica, licèt simplicia posse conferri. Antonius Franciscus verò cum conciliarem ætatem fuisset etiam supergressus, capax inde apparebat ad institutionem obtinendam. Dissona tamen in re hac emanarunt judicia; cum Ordinarius, cui uti instituere debenti, primo loco controversia decidenda exposita fuerat, superventa etiam dispensatione Apostolica super ætate favore Josephi, illum instituendum esse demandaverit, denegando executionem litterarum Apostolicarum super derogatione medietatis vocum, quæ per Antonium Franciscum fuerant reportatæ; Attamen Archiepiscopus Senarum, cui per Breve extiterat causa commissa, non trepidavit in successiva instantia, revocando præcedens judicatum, pronunciare, quòd Beneficium esset adjudicandum Antonio Francisco. Cùm in hac interse pugnantium Sententiarum discordia, contentio ad nostri Tribunalis judicium fuerit delata; Proposui dubium: *Cui esset adjudicandum Beneficium controversum*, & DD. innitendo *regulæ* de non conferendis Beneficiis Clericis in minori ætate 14. annorum constitutis stabilitæ per *Sacrum Concilium Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 6.* non dubitarunt hodie respondere, *Beneficium esse adjudicandum Antonio Francisco.*

8 Nulla siquidem emersit hæsitatio, quòd in ipso concurrant omnes qualitates per Fundatorem exoptatæ ad effectum assequendi controversum Beneficium, cum sit de genere vocato, Clericali munere insignitus, ac constitutus supra ætatem necessariam, quam *Jus novum conciliare* pro Beneficiatis exposcit. Joseph verò licèt pariter sit de eodem genere vocato, & ad sui favorem in Patronorum discordia enumeret suffragium Senioris, quod ipsi in vocum paritate, ita Fundatore demandante, prælationem tribuere valeret, attamen etsi in vocum statera præponderet, incapax tamen emergit ob defectum legitimæ ætatis 14. annorum volitæ à *Concilio Tridentino* pro Beneficiatis, exinde insurgit, ut etiamsi tamquam primo nominatus diceretur præsentatus à majori parte Patronorum, adhuc ipsius præsentatio tanquam facta de inhabili, non sit attendenda, & proinde habenda, ac si facta non fuisset; Nominatio verò Antonii Francisci quamvis esset expleta per minorem partem, executionem tamen promereatur, cum totum Jus præsentandi in præsentantibus habilem, & capacem remanserit consolidatum, ad *Text. in cap. Dudum, & cap. Congregatum de election.* & in specie Juris patronatus

Bar-

Barbat. consil. 33. sub num. 9. & seq. lib. 2. Bellon. Jun. cons. 56. num. 4. Rocca disput. Jur. select. cap. 190. num. 20. & seqq. Panimoll. decis. 101. num. 13. & 14. Rota coram Cavaler. decis. 231. num. 2. coram Buratto decis. 680. num. 1. & in Recent. decis. 136. num. 14. & 15. par. 10. & dec. 354. num. 5. & seqq. par. 19.

Et quamvis ad incapacitatem Josephi dirimendam, ponderanda sub oculis DD. posita fuerint, quòd in Jurepatronatus, de quo agitur, cùm fuerint invitati omnes Clerici de Familia ad illius assequutionem, necessaria non foret illa ætas, quam pro Beneficiis simplicibus præscripserat *Concilium*, sed illa satisforet, quæ septennium excederet, ut ex *Jure communi Canonistarum* priùs statuerat doctrina; Eoque attento, quia Fundator omnes Clericos indistinctè vocando, non ad ætatem, sed ad Clericatum prospexerit, cum hæc generalis, & indistincta vocatio videatur pati non posse restrictionem ad Clericos habentes ætatem Conciliarem, sed eos omnes complecti, *quos Jus commune* capaces existimat. Hincque propterea cùm necessariæ admissioni ætatis, quam voluit *Concilium*, resistat ipsius Fundatoris litera, cessat hoc casu, & *Concilii* dispositio, quæ juxta *Interpretum* Sententiam communiter hodie admissam non substulit fundationis legem, itaut si colligatur, quòd 9 Fundator voluerit admitti Clericos, licèt minores 14. annorum, eo casu decretum *Concilii* hoc non impediat, ut per plurimos, rejecto *Riccio*, qui contrarium in judicando consuluerat, ut ipse fatetur *in decis. 23. part. 3.* dixerunt *Fagnan. in cap. Cum in cunctis num. 88. in fine de election. Vanespen. Jus Ecclesiast. universs. part. 2. tit. 19. num. 12. Murg. de Benefic. quæst. 3. num. 678. Novar. quæst. forens. par. prima quæst. 71. Corrad. prax. dispens. Apostol. lib. 4. cap. 1. num. 8. & seqq. Ventrigl. in praxi rer. notabil. par. 2. annot. 6. §. 1. numer. 6. Barbos. de potest. Episc. allegat. 60. num. 6. Panimoll. decis. 98. annot. 1. num. 22. Campanil. diverss. Jur. Canonic. rubr. 7. cap. 6. num. 2. ad finem, Rota coram Buratt. decis. 606. num. 5. & 6.*

10 Hæc tamen minimè operari valuerunt, ut in præsenti casu posset à nova *Concilii* dispositione recedi, atque *Juri communi* prius vigenti inhæreri: Æquissimum namque effulsit *Sacrosanctæ Synodi* decretum, in statuenda ætate 14. annorum pro obtinendis Beneficiis simplicibus, dum inconveniens prorsus videbatur, quòd cum Beneficiatus quadam legationis specie erga Deum fungatur, necnon etiam spirituale quoddam Matrimonium cum Ecclesia contrahat, talis esse debeat, qui adhuc pueritiam non evasit, nec pervenit ad ætatem discretam, qualis reputatur illa 14. annorum, ex qua ratione à Jure antiquo recedere voluisse *Concilium* explicavit *Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 49. num. 19. & 20.* quem refert, & sequitur *Ventrigl. in praxi rer. notabil. par. 2. annot. 6. §. 1. num. 2.* Sed etiam Concilium satisfacere voluit in parte *Concilio Colonienst* anni 1536. cujus Patres optabile sibi esse insinuarunt, ut ea ætate Ordines, & Beneficia conferrentur, quam *antiqui Canones* priusquam Beneficia ab Ordinibus essent separata, requirebant, totam rem ad futurum *Concilium* decidendam committendo, cui in parte non modica satisfaciens ultima *Synodus*, Ordinibus Sacris certam defixit ætatem, eamque etiam præscripsit Beneficiis Ecclesiasticis, & præcipue simplicibus, quòd ampliùs impuberibus non valerent conferri, sed solùm Clericis 14. annorum, ut dissertè probat *Tomassin. de Discipl. Eccles. circa Benefic. par. 1. lib. 2. num. 7.*

11 Hinc est, quòd *Concilii* dispositio non solùm tamquam laudabilis, sed etiam uti majus Ecclesiæ bonum, & servitium, concernens omnem favorem, latamque interpretationem promereatur, itaut dici valeat, quòd omnia Beneficia de Jurepatronatus post ipsius promulgationem fundata, in se insitam, & connatam præsumptionem habere videantur, quòd in præsentatione facienda semper voluerit Fundator præsentari Clericos habentes capacitatem, quam requirit *Concilium*, non verò impuberes, prout *Jus commune* permittebat juxta resolutionem Congregationis Concilii relatam per *Monacell. in Formul. tom. 2. tit. 15. form. 1. sub num. 13. tom. 2.* atque ad effectum eruendi contrariam voluntatem, quæ hodie habet in se resistentiam prædicti *Concilii*, insisti non possit in præsumptionibus, & conjecturis levibus, & æquivocis, sed ex probationibus certis,

&

& convincentibus hoc haberi debeat, quæ præseferant claram, & specialem, vel virtualem Fundatoris dispositionem, ut in his terminis docuerunt *Barbos. de Offic. & potest. Epis. alleg. 60. sub num. 77. vers. Poterit igitur circa med. Pyrr. Corrad. in praxi Benefic. lib. 4. cap. 6. numer. 24. Ventrigl. prax. Ecclesiast. par. 2. annot. 6. §. 1. n. 6.* ibique *Carol. Anton. de Luc. in addit. nu. 4. & 5. Adden. ad Pamphil. decis. 54. num. 18. & 19. Rota coram Durano decis. 228. numer. 8.*

Juridica quoque ad id concurrente ratione, nam *Conciliaris sanctio* cum sit *Juris communis* correctoria, Fundatore simpliciter Clericos ad Beneficium invitante, omnis præsumptio militat, quòd circa eorum habilitatem voluerit potius se cum *Jure novissimo Conciliari*, quàm cum antiquo *Canonum* conformare, & consequenter exoptasse in iisdem Clericis ætatem ad minus 14. annorum per ea, quæ in similibus terminis per DD. traditum videmus, quòd indubia Testatorum dispositione semper ea sumenda venit interpretatio, quæ magis conformis est *Juri municipali*, non verò illa, quæ famulatur *Juri com-*
12 *muni*, cùm Testator potius cum Statuto, quàm cum *Jure communi* per eum correcto se conformasse præsumatur, *Decian. consil. 17. num. 51. lib. 1. Rim. consil. 246. numer. 49. & 50. Peregrin. consil. 44. num. 13. lib. 1. Altograd. consil. 47. num. 15. & 16. & consil. 95. num. 35. & 36. lib. 2. Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 7.*

Descendendo autem ad examen conje-
13 cturarum, quæ pro eruenda voluntate fundatoris adversativa dispositioni *Concilii* per Defensores Josephi fuerunt cumulatæ, nulla ex eos apparuit ita patens, ut valeret convincere fundatorem voluisse in Clericis ætatem à *Jure communi* traditam, & non illam à *Concilio* statutam; Ea quippe quæ consistit in vocatione indeffinita omnium Clericorum de Familia, quæ & si uti universalis, videretur, quòd pati nequeat restrictionem ad solos Clericos ætatem conciliarem habentes, sed omnes indistè licèt minores 14. annorum includat, attamen nullam videtur in se continere repugnantiam cum dispositione præfata *Concilii*, ita quod dici possit, quòd Fundator ab illo recedere voluerit, nam cùm agatur de fundatione expleta post *Concilium*, vocatio omnium Clericorum sumi debet juxta dispositionem ipsius *Concilii*, scilicet de iis omnibus Clericis in legitima ætate constitutis, quos solùm prædictum *Concilium* capaces Beneficii existimavit, non verò de aliis, qui eam legitimam ætatem non fuerunt assecuti, ea siquidem ratione, quòd post *Concilium* ad differentiam fundationum, quæ essent factæ ante *Concilium*, in quibus fortasse assumptum posset procedere, adhoc ut minores 14. annorum possint venire, præcisè opus est, quòd Fundator vocationi Clericorum adjecerit qualitatem, quæ convenire possit solùm Clericis in minori ætate constitutis, utpote si vocetur Puer, vel minor, vel quid simile, nam aliter si Clerici purè vocentur, semper intelligitur de Clericis, juxta *Concilium* Beneficii capacibus, ut distinguendo monent *Corrad. in praxi Benefic. lib. 4. cap. 6. numer. 24. Ventrigl. in prax. Ecclesiast. dicta part. 2. annotat. 6. num. 6. Card. de Luca de Benefic. disc. 95. num. 9. Rota coram Durano decis. 228. num. 8.* atque cum hac etiam distinctione pertransiit, *Barbos. in contrarium allegat. de Offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 60. sub num. 77. vers. Et ubi fundatio.* Et magis ad rem
14 descendendo præcisè ad casum, quando in erectione cautum reperitur, quòd præsentetur quicumque Clericus, quòd idem importat, ac omnes Clerici, juxta *Rotam decis. 353. numer. 2. in fine, part. 4. Recent. tom. 1.* quòd adhuc post *Concilium* præsentari non valeat Clericus, qui sit minor 14. annorum, in individuo tradiderunt *Ventrigl. in praxi loco alleg. num. 6. in fine, Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 161.* qui etiam affert resolutionem Congregationis Concilii emanatam de anno 1619. ac altera reperitur resolutio *Congregationis Concilii sub die 9. Septembris* 1702. in qua denegata fuit dispensatio Clerico de familia non habenti ætatem conciliarem in concursu cum Clerico consanguineo ætatem 14. annorum habente, licèt vocatus reperiretur quicumque Clericus.

Collimante præsertim ad id non obscu-
15 ra ipsius fundatoris dispositione, qui Clericos Familiæ nominandos voluit scrutinio subjici, rationem subdendo, *ad effetto, che possino essere squittinati tutti li Soggetti abili*,

abili, inhabilitas autem in Clericis Beneficii capacibus cùm alia cogitari non valeat quam illa, quæ resultat à defectu legitimæ ætatis conciliaris, perneceſſe infertur, quòd Clericos habiles cum voluerit, intellexit de iis, qui juxta *Concilium* reperiuntur in ætate legitima, & habili, dum post *Concilium* illi soli Clerici habiles reputantur, qui in ætate 14. annorum sunt constituti, *Adden. ad Pamph. decis.* 54. *num.* 19. *in fine*.

16 Minus hæc Fundatoris voluntas deprimi valet ex eo, quia in casu non existentiæ Clericorum, Fundator mandaverit nominari etiam Laicos de Familia, inde inferendo, quòd sicuti inhabilitas Laicorum ad Beneficia eidem obesse nequivit, quo minus illos vocaret, ita pariter præsumendum sit, quòd non obfuerit inhabilitas Clericorum respectivè ad *Concilii* disposition; Facilis enim occurrit responsio, quòd hæc conjectura non est efficax ad convincendam hanc necessariam consequentiam, quòd si Laici inhabiles fuerunt vocati, ita multò minus de inhabilitate Clericorum respectivè ad ætatem fuerit curatum, nam fundationis littera clara se offert in ea parte, in qua de Clericis loquitur, ubi præcisè disponit, quòd illi debeant esse habiles, & si Fundator etiam Laicos vocavit expresè circa illos disposuit, & si inhabiles ob defectum ordinis, vocando autem Clericos, illos habiles voluit, hinc cùm casus Laicorum, & alter Clericorum sint inter se distincti, & in unoquoque ex eis extiterit particulariter, & diversimodè provisum, ab uno, ad alterum non valet inferri: Tantò magis, quod Fundator invitando Laicos egit id, quod de *Jure* sibi permittebatur, non enim disposuit, quòd Laici possent ad Beneficium admitti, sed solùm indulsit, ut possent poni ad partitum, quod *per Sacros Canones* non legitur interdictum, cùm hæc non sit propriè præsentatio, sed simplex nominatio, nullum jus tribuens nominato, nec de Laicis fieri interdicta, cùm solummodò illi reperiantur de *Jure* inhabiles ad reportandam præsentationem, quando illa non consistit inter cancellos meræ nominationis, seu, ut vocat *Rota coram Pœnia decis.* 4. *num.* 7. cujusdam initii ad institutionem obtinendam, sed est propria præsentatio coram Ordinario, quæ dicitur quando sub illius oculis corporeis ponitur persona nominata ad effectum, ut possit videre, an sit idonea, & de eo tempore requiritur, quòd Laicus Ordine Clericali sit insignitus, adhoc, ut uti Beneficii capax, effectus, possit institutionem obtinere, ut cæteris omissis benè declarant *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 47. *numer.* 94. *Pirr. Corhad. in praxi Beneficiaria lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 30. & 31. *Antonell. de tempor. legal. lib.* 1. *cap.* 71. *Ventrigl. in praxi rer. Notabil. Eccles. par.* 2. *annot.* 7. *sub num.* 13. *Rota post Vivian. de Iurepatr. decis.* 147. *num.* 15. *& seqq.* & plenè *coram Pœnia decis.* 4. *& decis.* 12. *per totas*. Ex his descendit, quòd longè etiam inter se differant defectus Ordinis Clericalis cadens in Laico, & defectus legitimæ ætatis intercedens in Clerico, & ad effectum, de quo agitur, magis impeditiva dignoscitur inhabilitas Clerici respectu ætatis, quàm Laici respectu Ordinis; Laicus enim potest capacitatem assequi intra terminum Juris Patronis currens suscipiendo Clericatum; Clericus autem legitima ætate destitutus, habilitatem intra dictum tempus acquirere non valet, cùm ætatem legitimam complere non à se, sed à temporis Beneficio totaliter pendeat; ad tradita per *Ventrigl. in praxi for. Eccles. par.* 2. *annot.* 6. §. 1. *num.* 8.

17 Ejusdem pariter irrelevantiæ apparuit, & altera conjectura, promanans à subsidiaria admissione Extraneorum post totalem defectum Clericorum de Familia, quasi hæc præseferre possit admissibilitatem cujusvis Clerici de Familia, & si infra ætatem Conciliarem constituti, ex eo quia Extranei cum sint substituti post totalem deficientiam Clericorum de Sanguine, si soli Clerici annorum 14. essent admittendi eveniret, quòd adhuc existente Clerico minore 14. annorum de Genere vocato, contra voluntatem Fundatoris, Extranei præferrentur. Quoniam assumptum fortasse procedere valeret, si in substitutione extraneorum Fundator posuisset in conditione indistinctè omnes Clericos de Familia, itaut ne videatur prætulisse Clericis Familiæ Extraneos, à Fundatoris verisimili mente arguendo, viderentur non abborriti Clerici, licèt ætatem con-

conciliarem non assecuti, sed cùm solùm posuerit in conditione Clericos habiles, *mentrè ci siano Soggetti habili*, & habilitas de alio verificari non possit, quàm de ætate, hoc casu præclusus remanet aditus cuicumque interpretationi, quòd etiam ætate inhabiles voluerit, nam in claris nulla est admittenda interpretatio, quæ solùm in dispositione dubia locum occupat, ad *Text. in l. Ille, aut ille, ff. de Legat. 3.*

Nec videtur in his terminis applicabilis
17 resolutio Congregationis Concilii relata per *Ciarlin. lib. 2. controv. forens. cap. 53. num. 51.* quam etiam transcripsit *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. part. 3. allegat. 60. sub num. 77. circa finem*, ubi attenta consimili vocatione Clericorum de familia cum substitutione extraneorum in eorum defectum, *Congregatio* resolvit potuisse præsentari Clericum annorum decem; nam in eo casu Clerici non erant invitati, prout in præsenti cum qualitate habilitatis, nec etiam agebatur, ut hìc, in concursu alterius Clerici de Familia undequaque in legitima ætate constituti, in quibus sanè circumstantiis contrarium est judicandum.

Extraneæ etiam apparuerunt aliæ *Auctoritates* ad hujus rei comprobationem pariter adductæ, videlicet *Card. de Luca de Fideicommiss. disc. 8. num. 16. Rota decis. 290. num. 7. & decis. 399. num. 10. par. 13.* in quibus firmatur, quòd in Commendis, & si adinstar Beneficiorum Ecclesiasticorum venirent regulandæ, & in eis non habere locum dispositionem *Concilii* circa ætatem 14. annorum, cum in eorum casu non concurrerent particulares circumstantiæ casus, de quo nunc quæritur, in quo Fundator voluit Clericos habiles, qui casus est longè diversus, necnon in eis agebatur præcisè de Descendente à Fundatore destituto ætate Conciliari in concursu cum Extraneo substituto, & ex verisimili mente Fundatoris dictum fuit, quòd prælatio debita esset illi de Genere vocato, licèt non constituto in ætate capaci, quod nullatenus famulatur præsenti quæstioni, in qua disceptatio versatur non inter personam de Sanguine, & extraneum, sed inter duos Clericos de eadem Familia, contendentes super habilitate ætatis, cum unus habeat ætatem capacem, quam requirit *Concilium*, alter verò ad eam ætatem non pervenit, & hoc casu nulla concurrere potest verisimilis mens Fundatoris, quòd admitti voluerit Clericum ætatem conciliarem non habentem, ad exclusionem alterius de eodem Sanguine, qui habilitate ætatis polleat; quinimò in præsenti alia militare videtur verisimilis mens Fundatoris in contrarium, qui certè si viveret, & videret ambos Clericos de sua Familia æquali voce Patronorum electos, unum in ætate Conciliari constitutum, alterum verò Impuberem, sine dubio Beneficium conferri voluisset Clerico habili, & in ætate legitima Conciliari constituto.

Idque etiam suadente, quòd Fundator sicuti in paritate Vocum voluit, quòd nominato a Seniore Patrono deberetur Beneficium, si hanc majoris ætatis prælationem attendi voluit in Jurepatronatus activo, eamdem quoque prælationem dicendum venit, quòd servari voluerit in Jurepatronatus passivo, ut in concursu præferretur Clericus habens ætatem conciliarem, alteri dictam ætatem adhuc non attingenti, cùm optimum sit argumentum,
18 quòd deducitur à Jurepatronatus activo ad interpretationem Juris patronatus passivi, itaut quod in uno fuit dispositum, censeatur etiam volitum in altero, *Rota in Auximana Juris patron. 17. Junii 1701. §. Minusque coram R. P. D. meo Ansaldo, Interamnen. Juris patronatus 22. Martii 1706. §. Ulterius coram R. P. D. meo Scotto, Asten. Prioratus super Institutione 20. Januarii 1708. §. Maximè quia coram R. P. D. meo Lancetta, & in Hortana Beneficii 1. Julii 1708. §. Talisque intelligentia coram R. P. D. meo Priolo.*

Verùm quoque cum per Fundatorem reperiantur Cappellano, seu Beneficiato, imposita plura onera concernentia, tam Spiritualia, quàm Temporalia, quorum qualitas maturioris ætatis exigit consilium, ut illa per Josephum uti impuberem impleri, nisi mediante Tutore non valerent cùm impossibile dijudicetur, ut talis possit esse idoneus, qui nescit regere se ipsum, ex altera verò parte concurrat Antonius Franciscus, qui est de eadem Familia, ætate Senior, ac ad ea implenda aptus,

omni

omni *Jure* ipse præcisivè ab incapacitate
19 Josephi etiam ex hoc capite, uti magis idoneus veniret præferendus, per ea, quæ tradit *Panimoll. decis.* 101. *annotat.* 1. *numer.* 9.

Destituto Josepho ætate necessaria pro Beneficio assequendo, visum fuit eidem suffragare non potuisse, quòd se capacem ad illud ostenderit mediante Apostolica Dispensatione, quoad ætatem reportata de tempore petitæ, & obtentæ Institutionis coram Ordinario, cujus vigore remoto obstaculo incapacitatis, & habili effecto, tamquam primo nominato ex fundationis
20 lege debita sit prælatio. Omisso enim examine, an in hoc casu Joseph tamquam habilitatus per dispensationem possit præferri Antonio Francisco tamquam de Jure habili, cùm apud DD. in concursu Clerici habilis, & habilitati per dispensationem, prælatio legatur tributa illi, qui dispensatione non indiget, ut apud *Dec. consil.* 542. *num.* 1. *num.* 14. *Vivian. de Jurepatron. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 29. *& seqq. Panimoll. dicta decis.* 101. *annotat.* 1.
21 *numer.* 24. Hoc unum est certum, quòd dispensatio præfata reportata fuit, absque eo quod Papæ narratum extiterit, quòd Cappellania erat debita certo Generi personarum, & in ea à medietate Patronorum fuerat præsentatus Antonius Franciscus constitutus in ætate legitima, cui propterea ex Fundatoris dispositione uti passivè vocato, fuerat usque à die vacationis Beneficii, ac suæ comparitionis coram Ordinario Jus quæsitum, quæ sanè si Papæ fuissent narrata, dispensationem non indulsisset, vel difficilius, quòd operatur, ut litteræ dispensationis tali modo reportatæ inefficaces, & nullæ remaneant ob subreptionis vitium in eis insitum, ut ex *Gloss. in cap. Ad Audientiam il* 2. *de rescript. Felin. in cap. Super litteris num.* 8. *vers. Exprimendæ sunt de rescript. Lotter. de re Benefic. lib.* 3. *quæst.* 11. *num.* 57. *Pirr. Conrad. in praxi dispens. lib.* 1. *cap.* 51. *num.* 12. *Rota post Tovr. de pact. futur. succes. decision.* 143. *num.* 4. *&* 5. & in nostris præcisis terminis *Conrad. prax. Benefic. lib.* 4. *cap.* 6. *numer.* 3. *Ventrigl. in praxi Eccles. part.* 2. *annot.* 6. §. 1. *num.* 8.

Nec valuit responsio, quòd ad effectum, ut in litteris, cadat subreptio, Jus Tertii debeat esse certum, & de præsenti, cui per dispositionem inferatur præjudicium. Antonius Franciscus verò tamquam secundò nominatus cùm non haberet nisi Jus incertum, & eventuale, quatenus primò nominatus intra quadrimestre per dispensationem non habilitaretur, hoc Jus uti merè accidentale, & involvens Jus quærendum, non verò quæsitum, non causet subreptionem. Constitit siquidem de Jure Antonii Francisci certo, & de præsenti, etenim eo ipso quòd Joseph uti inhabilis de medio removebatur, ex quo ejus præsentatio uti facta de inhabili corruebat, subintravit in Juribus primi præsentatio secundò nominati tamquam facta de habili, & capaci, itaut ab ipsomet principio totum Jus præsentationis in ipso radicatum sisteret, nec in suspenso ne quidem
22 temporis momento remanserit; Cùm eo dumtaxat casu Juris præfati suspensio oriri potuisset, quatenus præsentatio primi fuisset expleta cum præcisa conditione reportandi dispensationem super ætate, quæ conditionalis præsentatio præservat actum à nullitate, & operatur suspensionem præsentationis usque ad tempus reportatæ dispensationis, itaut subsequens dispensatio retrotrahatur ad tempus ipsum præsentationis, sed cùm præsentatio Josephi fuerit pura, & simpliciter absque ulla præservativa expleta, non potuit evitare nullitatem, & inducere hanc retrotractionem ad præsentationis tempus, juxta in his terminis animadversa per *Barbos. de Offic. & potest. Episcop. par.* 3. *allegat.* 60. *sub num.* 77. *Alphons. de Leone de offic. Cappellan. quæst.* 4. *par.* 6. *num.* 39. *&* 40. *Conrad. in praxi dispens. lib* 4. *cap.* 2. *num.* 14. *&* 15. *Vivian. de Jurepatr. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 19. *Squillant. de privileg. Cleric. cap.* 4. *numer.* 19. *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 3. *cap.* 6.

Sed præcisivè à subrogatione præfata adhuc Josepho reportata dispensatio super ætate non prodesset, nam cum habilitas, & idoneitas ad Beneficia Ecclesiastica juxta *Concilii sanctionem in sess.* 23. *de Reformat. cap.* 6. hodie præcisè consistat in ætate 14. annorum, habilitas hæc debet intervenire de tempore præsentationis factæ coram Ordinario, nam aliàs Patroni semper dicuntur inhabilem elegisse, & eorum præsentatio nullum effectum tribuere valeret:

cùm etsi inter DD. quæratur, utrum habilitas requisita in Beneficiato, dicendu-
23 sit respectu vacationis Beneficii, electionis, seu nominationis, vel respectu præsentationis, & videatur, quòd saltem in actu presentationis, quo persona sub Ordinarii oculis exhibetur, debeat concurrere, cùm ab eo tempore queratur Presentato jus ad Beneficium, & ille tenetur necessaria habilitate ornatus comparere, ut præceteris *Antonin. var. resolut. lib. 1. resolut. 19. numer. 1. Barbos. de Offic. & Potestat. Episcop. alleg. 72. par. 3. num. 76. & seqq. Garzias de Benefic. par. 7. cap. 1. num. 28. & seqq. Corrad. prax. Benefic. lib. 1. cap. 5. num. 104. & seqq. & lib. 4. cap. 6. num. 29. Lara. de Anniversar. & Cappell. lib. 2. cap. 9. num. 52. & seqq. Francesc. de Eccles. Cathed. cap. 28. num. 184. Rota post Vivian. de Jurepatron. decis. 147. à num. 14. usque ad 19. coram Pœnia decis. 4. à num. 6. ad 12. coram Buratto decis. 21. num. 19. & 20. in Recent. decis. 89. num. 10. & 11. par. 11.* & magis ad rem *decis. 636. num. 4. par. 19. tom. 2.*

Certè in casu presenti res omni difficultate carere videtur, nam cùm Fundator voluerit, ut contingente Cappellaniæ vacatione sub Scrutinio ponendi essent Clerici habiles, ac deinde absque ulterioris temporis protelatione Episcopo presentaretur Electus, qualitas habilitatis adjecta verbis Scrutinii, & Electionis presefert, quòd volita dicatur de eo tempore ex *Juris* regula, quòd qualitas adjecta verbo intelligi debeat secundùm tempus verbi,
24 ac de tempore verbi necesse sit, ut interveniat, de qua *Ciarlin. cap. 211. num. 27. & 28. Corrad. prax. Benefic. lib. 2. cap. 10. num. 105. & seqq. & 149. Rota coram Cavaler. decis. 231. num. 1. coram Dunoz. Jun. decis. 956. num. 9. & 10.*

Hinc cùm ex fundationis lege ætatis habilitas in ipso actu nominationis requisita dignoscatur ad id non est sufficiens, quòd Joseph aptitudine mediante dispensatione obtinenda habilis esse potuerit, cum habilitas actu esset requisita, ac in ipso momento nominationis debebat necessariò concurrere, nec proficiat si postea supervenerit. Eoque fortiùs, quòd prædicta habilitas nec minùs de tempore presentationis superventa reperitur, & regulare sit, quòd quando habilitas, requisita fuit
25 ab homine, & non à lege, vel consuetudine, necesse semper est, ut concurrat in ipso actu presentationis, nec ullo modo prodesse valeat aptitudo, ut benè distinguunt *Rocca disput. Jur. Select. cap. 190. numer. 16. & 17. Corrad. prax. Benefic. lib. 2. cap. 10. num. 85. & 86. Card. de Luca de Benefic. disc. 96. num. 19. Rota in Recent. decis. 496. num. 4. & 5. par. 1. & decis. 216. num. 5. par. 2. cum concordantibus.*

Et ita utraque &c.

R. P. D.

ALDROVANDO

Melevitana Beneficiorum.

Veneris 10. *Junii* 1712.

NOn abscedentes Domini à Judicio
26 Ordinarii Melevitani, & R. P. D. Cincii dixerunt hodie controversa quatuor Beneficia vacata sub die 22. Octobris 1708. per obitum Canonici Balsani esse adjudicanda Hieronymo Agius; ipse enim citra dubium fuit ad illa nominatus à majori parte Patronorum, qui ad formam ultimi Status existunt in quasi Possessione præsentandi, quòd regulariter attenditur ad reportandam Institutionem, ad *Text. in cap. Quoniam, ubi Gloss. in verb. Majoribus de Jurepatronat. Vivian. eodem Tractat. lib. 12. cap. 8. num. 1. Rota coram Celso decis. 85. num. 1. & in Recent. decis. 280. num. 1. part. 7. & in Abellina Jurispatronatus 18. Junii 1696. §. Siquidem coram Reverendissimo Molines Decano, & in Bononien. Beneficiorum de Castello 2. Maii proximè præteriti, §. Ex quatuor, coram R. P. D. meo Crispo.*

Quòd autem Hieronymus habeat majorem partem Patronorum, constat ex eo, quia ex duabus Vocibus, ad quas modò Iuspatronatus redactum est, ipse, mediante nominatione obtenta à suo Fratre, & Sororibus, habet integram vocem Helenæ Aviæ, quæ præsentavit in ultimo Statu Anni 1676. necnon etiam mediante nominatione habita à filiis Joannis

nis Petri Tonnæ consequutus est medietatem alterius vocis Vincentiæ ejusdem Joannis Petri Matris, quæ pariter in dicto Statu Anni 1676. præsentavit, cum itaque ex duabus vocibus Hieronymus obtinuerit unam cum dimidia alterius, de plano sequitur, cum eo concurrere non posse Ioannem Andream Marsigliam præsentatum à Io: Francisco Clinschiant, qui anno 1692. reportavit Donationem Iurispatronatus à Sperantia, ad quam tamquam filiam præfatæ Vincentiæ spectabat alia medietas hujus vocis: Quo stante Domini superfluum putarunt disserere de Viribus hujusce Donationis, licèt non deessent duo ex eis, qui existimabant, primam Donationem 1691. ab eadem Sperantia factam Franciscæ Matri ipsius Hieronymi esse præferendam, non obstante, quòd secunda fuerit ab Ordinarii consensu confirmata, quia ante istam confirmationem Franciscа jam instéterat coram Ordinario pro præstatione Consensus, qui cum non posset denegari, uti sine Causa protelatus, retrotrahendus erat etiam in præjudicium secundi Donatarii, ex *Lambertino de Jurepatr. lib. 1. part. 2. quæst. 1. artic. 21. Adden. ad Buratt. decis. 702. numer. 10. & ad decis. 46. num. 71. & 72. part. 9. Cardinalis de Luca de Jurepatronat. disc. 56. num. 12. Rota coram Mantica decis. 86. num. 6. & 7. & post Vivian. de Jurepatronatus decis. 151. num. 14. & in Recent. decis. 306. numer. 9. & 10. par. 11.* & latiùs *decis. 80. à num. 9. ad sequen par. 17.* & distinguendo admissum fuit in *decis. 25. num. 12. in Mantiss. ad Cardinalem de Luca de Jurepatronatus lib. 13.*

Omissa igitur hujusmodi inspectione tamquam non necessaria, & procedendo cum supposito, quòd Ioannes Andreas haberet medietatem dictæ vocis, non subsistere visum fuit assumptum ejus Defensorum, quòd nimirum Hieronymus tamquam Laicus de tempore præsentationis esset incapax assequendi hujusmodi Beneficia Ecclesiastica, & idcircò præferenda sit præsentatio ipsius Ioannis An-
27dreæ, licèt facta à minori parte Patronorum, dum in istis, qui legitimè præsentarunt capacem, consolidatum remansit pro ista vice totum Iuspatronatus, per ea, quæ docuerunt *Lambertin. de Jurepatronat. lib. 2. part. 1. quæst. 10. artic. 5. numre. 6. versic. Secundus Casus, & versic. Septimus est Casus, & lib. 2. par. 3. quæst. 4. artic. 5. num. 2. vers. Quia est ac sit, De Luca eodem Tract. disc. 43. numer. 11. Pax Iordan. lucubrat. lib. 10. tit. 7. num. 370. Vivian. de Iurepatronat. lib. 12. cap. 8. numer. 12. & 13. & in Regien. Iurispatronatus 16. Ianuarii 1708. §. Tantum autem, coram Reverendissimo Domino meo Molines, & in Leodien. Beneficii 25. Februarii 1707. §. Et nihilominus, coram R. P. D. meo Ansaldo, & in Volaterana Beneficii 7. Decembris 1708. §. Nulla siquidem, & §. Nec valuit, coram R. P. D. meo Crispo, & in Tarraconen. Beneficii 29. Ianuarii proximè præteriti, §. Prout etiam, coram R. P. D. meo Lancetta.*

Pro remotione namque objecti, in
28quo stabat Causæ difficultas, opportunum putarunt Domini duas præmittere in Iure receptissimas Propositiones, quarum prima est, quòd Patroni validè, ac legitimè *nominare* possunt Laicum, cum simplex nominatio sit designatio personæ postmodum Ordinario præsentandæ, & satis, superque est, quòd Nominatus, antequam labat tempus ad nominandum, se Clericali Tonsura initiari faciat, ita-ut de tempore ejus actualis præsentationis coram Ordinario Clericus existat, ut tradunt *Paris. de Resignat. lib. 4. quæst. 2. num. 5. & 6. Ricc. resolut. 161. per totam, Garzias de Benefic. par. 7. cap. 1. num. 32. & sequen. Vivian. de Iurepatronat. lib. 6. cap. 7. num. 50. par. 2. Rota post eundem decis. 148. num. 15. & sequen. & magistraliter coram Pania decis. 4. per tot. & decis. 12. sub num. 4. & in Recent. decis. 621. num. 22. par. 19. & in Farsen. Canonicatus 8. Iunii 1711. §. Postremò coram Reverendissimo Molines.* Altera verò est, quòd Patroni possunt *præsentare* Laicum coram Ordinario *sub conditione*, quòd clericetur, cùm in hoc Casu præsentatio collata videatur in tempus, quo Præsentatus erit capax per assequutionem Clericatus ante Institutionem, ex *Barbos. de Potestate Episcopi allegat. 72. num. 78. par. 3. Garzias de Benefic. dicto cap. primo num. 28. & 29. par. 7. De Luca de Iurepatronatus disc. 45. num. 7. & disc. 70. num. 18. Modern.*

dern. Roman. discept. 13. *num.* 45. *Rota post Vivian. de Iurepatronatus decis* 147. *num.* 19. & admisit *Rota in Volaterrana Beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Nec valuit coram R. P. D. meo Crispo*.

29 His in Iure sic se habentibus in concreto præsentis Casus mole sua ruebat objectum, quia Hieronymus Laicus non fuit actu præsentatus coram Ordinario à Patronis, sed Patroni illum simpliciter nominarunt per Instrumenta, quæ etsi concepta sint per verba præsentationem præseferentia, cùm tamen Patroni illa non exhibuerint coram Ordinario debente instituere, resolvuntur in meram nominationem, seu destinationem præsentandi, ut respondit *Rota in Romana Cappellaniæ* 25. *Novembris* 1707. §. *Verum hodie, confirmata* 3. *Februarii* 1708. §. *Quod enim, coram R. P. D. meo Scotto*; ipse verò Hieronymus hæc eadem Instrumenta continentia validam, & legitimam ejus nominationem attulit coram Ordinario, & instetit pro sua Institutione, non quidem purè, & simpliciter, sed prævia Ordinatione ad Clericalem Tonsuram, ibi: *Girolamo Oratore di V. S. Illustrissima espone trovarsi presentato da legitimi Padroni &c. come appariscе dalle quì colligate presentationi, e desiderando godere gl'effetti d'esse supplica compiacersi ordinarlo alla prima Tonsura, & ordinare, che sia servatis servandis instituito*: Quo circa, cùm præsentatio istius supplicis libelli sequuta fuerit intra tempus legitimum, & in ejus sequelam sub die 3. Februarii 1709. antequàm expiraret quadrimestre Hieronymus obtinuerit ab Ordinario Tonsuram Clericalem, inde sequitur, quòd ejus nominatio, successivaque præsentatio, & Institutio ritè, & rectè processerit, & de Iure valida extiterit ex præmissis, cùm de eo tempore Hieronymus necessariam habilitatem jam obtinuerit ex latè firmatis *in Volaterrana Beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Sed præcisivè, coram R. P. D. Crispo.*

Nec dicatur, quòd secunda præmissa
30 Conclusio non applicetur ad Casum, ex quo Doctores firmantes facultatem præsentandi Laicum sub conditione, *quatenus clericetur, & capax fiat*, loquantur de ipso Patrono, non autem de Nominato: cùm enim sit Propositio pariter indubitata, quòd Nominatus Virtute ipsius nominationis Constitutus censeatur Procurator ipsius Patroni, ejusque habere Mandatum ad exhibendam, & præsentandam suam nominationem coram Ordinario, *Zabarell. in cap. Finali num.* 4. *infine de Iurepatronatus*, *Lapus allegat.* 75. *num.* 6. *versic. Sufficiebat*, & *Lambertin. de Iurepatronat. par.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 4. *art.* 16. *sub num.* 1. & *sequen. versic. Et ideò decimo sexto*: Hinc fit, quòd illa facultas, quæ inest in Patrono, per eum transfundatur, & commissa præsumatur eidem Præsentato omni meliori modo, quo de Iure concedi poterat, & ad hoc præcisè, ut ejus præsentatio, seu nominatio plenum, & integrum suum effectum assequeretur cùmque talis effectus consequi non posset, nisi, & quatenus Nominatus fieret Clericus, per antecedens necessarium dicendum venit, quòd in eodem Mandato implicite inclusa remanserit illa facultas, qua ipse mandans potiebatur, quæ proinde bene potuit explicari ab Mandatario, per ea, quæ tradunt *Capyc. Latr. consultat.* 108. *num.* 11. & *sequent. Afflict. decis.* 340. *num.* 5. & *in Addit. post num.* 6. *De Luca de Camb. disc.* 13. *num.* 7.

31 Et hinc cessat exageratum inconveniens, quòd scilicet, hoc admisso, licitum fieret nominato corrigendi, & alterandi præsentationem simplicem, & puram Patroni, eamque reddere, conditionalem, quòdque nominatus hoc medio evaderet ambitiosus, & se ipsum præsentaret quòd à Iure non permittitur: Quoniam dicta conditio, seu qualitas Clericatus tamquam apposita in actu exhibitionis præsentationis pro assequendo Beneficio procedit potius ex tacita mente Patroni mandantis, qui efficaciter desideravit suam præsentationem effectum sortiri, unde tantum abest, quòd Mandatarius nominatus alteret, & corrigat, ut immo potiùs exequatur præcisam Patroni voluntatem; prout quoque nullum adest crimen ambitus, quia revera non ipse nominatus se ipsum præsentat, sed Patronus per litteras, seu per Instrumentum nominationis, juxta doctrinam *Lapi cons.* 75. quem sequitur *Lamber. de Iurepat. lib.* 2. *par.* 2. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 2. *fol.* 780.

Sen-

Senserunt Defensores Ioannis Andreæ difficultatem, ideoque impugnabant in facto, quòd Hieronymus suam nominationem, seu præsentationem coram Ordinario exhibuerit sub dicta conditione Clericatus, subsistentes, quòd Clericatum petierit solùm ad effectum obtinendæ Institutionis, non autem ad effectum reddendi conditionalem præsentationem Patronorum, quam supposuit puram, prout desumi posse dicebant ex actibus post factam dictam exhibitionem subsequutis, quales erant Instantia pro Immissione ad possessionem Beneficii, admissio ad faciendas aliquas probationes, nec non affixio Edictorum, quæ fieri non solet, nisi postquam est perfecta una præsentatio, ex traditis per *Lambertin. de Iurepatron. part. 2. lib. 2. quæst. 6. art. 17. numer. 2. & art. 17. num. 2. Vivian. lib. 9. cap. 1. num. 4. & 5.*

At frustra, quia Domini magis inhærentes substantiæ, quàm simplici verborum formalitati ex verbis Instantiæ factæ per Hieronymum superiùs relatis claram desumpserunt ejus voluntatem utendi præsentationibus obtentis pro eo tempore, quo, mediante Clericatu, habilis ad Beneficia effectus esset, ibi: *desiderando godere gl'effetti di esse presentazioni supplica compiacersi ordinarlo alla prima Tonsura*: Effectibus enim præsentationum gaudere non poterat, nisi, & quatenus Tonsuram assequeretur, eoque magis, quia Institutionem petiit *servatis de Iure servandis*: Unde benè infertur, ipsum non alio animo exhibuisse præsentationes Ordinario, quàm sub ea conditione, seu qualitate obtinendi Clericatum ante Institutionem, quemadmodum exigebat Iuris ordo, quem ipse voluit servari: Non urgentibus in contrarium actibus subsequutis, quia nulla auctoritate probatur, quòd ad illos deveniri non possit post factam à Patrono præsentationem conditionalem, quæ in suo genere est perfecta, & tamquam valida, & legitima à Iure admissa atque approbata, ex superiùs allegatis.

32 Postremò non urget, quòd lis fuerit in partibus inter ipsos præsentatos contestata; Ideoque non potuerit Ordinarius in præjudicium ipsius Ioannis Andreæ, cui fuerat Ius quæsitum ex præsentatione nulla Hieronymi incapacis illum habilitare mediante collatione Clericatus, ex deductis per *Lambertin. de Iurepatronatus lib. 2. par. prima, quæst. 10. art. 5. num. 6. Rota in Leodien. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Nec superventus, coram R. P. D. meo Lancetta, & in Volaterana Beneficii 28. Ianuarii 1709. §. Ex pluribus, coram R. P. D. meo Crispo*: Id enim rectè procederet, quando verè nominatio, seu præsentatio Hieronymi fuisset nulla tamquam facta sine ulla conditione Clericatus, in quibus terminis procedunt, & loquuntur relatæ auctoritates, secus autem, quando illius nominatio fuit valida, & subsistens, tamquam facta sub conditione, dum hoc casu Ius quæsitum dici non poterat Ioanni Andreæ donec, & quousque durabat quadrimestre, intra quod Hieronymus Laicus effici poterat Clericus, & habilis, ut probant *Card. de Luca de Iurepatr. discurs. 45. num. 8. & disc. 64. num. 28. & disc. 82. num. 5. alter de Luca de lin. Legal. art. 24. num. 4. & comprobat Modern. Roman. discept. Eccles. 13. à numero 40. ad 43.*

Vindicata ex his incapacitate Hieronymi ex defectu Clericatus, minus attendi promeruit ejus incapacitas quoad unum ex dictis Beneficiis nuncupatum del *Hayun* sub titulo Sanctæ Margaritæ ex defectu qualitatis Sacerdotalis, quę prætendebatur requiri ex fundatione anni 1465. Antonii de Nasis, ad quod Beneficium Ioannes Andreas fuit præsentatus à Ioanne Iosepho Caxar, ad quem spectat Iuspatronatus in dicta Fundatione reservatum, iuxta decisiones in *Melevitana Iurispatronatus* 1696. 1698. & 1702. *coram Reverendissimo Molines, R. P. D. Lancetta, & Eminentissimo dela Tremoille in Mantissa ad de Luc. de Iurepatronatus le 25. 26. & 27. lib. 13.*

Ultra quod enim observantia educta
33 ex ultimo statu anni 1676. ostendit hujusmodi Beneficium non esse Sacerdotale, sed obtineri posse etiam à simplici Clerico, qualis erat Balsanus defunctus, quòd sufficit ad obtinendam Institutionem ad terminos ultimi status, per *Text. in cap. Consultationibus de Iurepatronatus, Rota decis. 98. num. 4. & 5. coram Priolo*,

&

& in Mediolanen. Præposituræ 18. *Maii* 1695. §. *Moti, coram bon. mem. Muto*, & in terminis præcisis *in Melphicten. Beneficii* 26. *Iunii* 1711. §. *Atsi adhuc, coram Eminentissimo Domino meo Cardinali Priolo*: Prætensio erat omninò insubsistens, quia istud Beneficium Sanctæ Margaritæ non provenit à Fundatione dicti Antonii Nasi, de quo plenè doctum non fuit hucusque per Ioannem Andream, cum ad hujusmodi effectum satis non reputetur sola generalis denominatio *dell'Hayun* contradæ, in qua alia plura bona existunt ad alios spectantia *Bartol. in l. Demonstratio falsa numer.* 17. *de condit. & demonstrat. Riminald. Iunior. cons.* 36. *n.* 53. *Rota coram Andrea decis.* 61. *num.* 9. *& coram Emerix Iun. decis.* 49. *numer.* 3. *& decis.* 73. *num.* 13. *par.* 19. Attento præsertim, quòd Antonius de Nasis Beneficium erexit super ejus Viridario, & Terris Aratoriis, jussitque, ut illud conferretur tribus Sacerdotibus; Beneficium verò, de quo agitur, consistit in duabus tantùm ex tribus partibus unius Viridarii, & confertur uni, & non tribus personis, ex qua discrepantia benè arguitur diversitas inter utrumque, *Gratian. disceptat.* 790. *num.* 7. *Cyriac. tontroverſ.* 321. *num.* 8. *Rota coram Merlino decis.* 415. *num.* 5. *& decis.* 617. *num.* 6. *coram Emerix Iuniore.*

Et ita utraque &c.

ARGUMENTUM.

Præsentatio facta de Regulari ad Ecclesiam, seu Beneficium seculare, an sit nulla.

SUMMARIUM.

1 *Regularis, ut Regularis præsentari non potest ad Beneficium seculare, & num.* 8. *&* 9. *limita, ut num.* 6.
2 *De Iure communi Regularis poterat per Episcopum promoveri ad Ecclesiam Parochialem.*
3 *Priores leges ad posteriores trahuntur.*
4 *Regulares absque dispensatione Apostolica Beneficia secularia obtinere non possunt.*
5 *Officia Secularis, & Regularis non possunt in una, eademque persona collocari.*
7 *Referuntur resolutiones Sacræ Congregationis Concilii in Ratisbonen. Iuris præsentandi, & in Romana Cappellaniarum.*
10 *Observantia præsentandi, & instituendi Sacerdotes Seculares in perpetuum in Ecclesiis unitis Monasterio Regularium est attendenda; Amplia ut num.* 11.
12 *Differentia inter Beneficium perpetuum, & temporale.*
13 *Episcopus ex se nequit supprimere Ecclesias, ejusque titulos, & alteri unire, & incorporare.*
14 *Titulus est præsumibilis, quoties concurrit certa, & positiva observantia.*
15 *Constito de titulo expresso non valet allegari alter titulus præsumptus eidem expresse contrarius.*
16 *Privilegium per non usum præsumitur, vel revocatum, vel deperditum.*
17 *Privilegia, quoad amovibilitatem, & regularitatem Vicarii in Ecclesiis unitis Monasterio Regularium sunt per Tridentinum sublata.*

CASUS XIV.

VAcante Ecclesia Parochiali Sæculari de Iurepatronatus quorumdam Monacorum, isti præsentarunt ad illam Sacerdotem Regularem; Quo casu quæritur, an ad Beneficium Seculare dari solitum Secularibus præsentari possit Regularis?

1 In qua quæstione negativè respondendum de Iure censeo; Etenim habemus glossam *in Clementin. unic. de supplen. neglig. prælat. verb. Sæcularibus*, expressè prohibentem Regularis, ut Regularis, seu ut claustralis præsentari ad Beneficium Seculare, ibi: *Quod ad Ecclesiam, quæ consueverit regi per Seculares Clericos, Monachi Regularem præsentare non possunt.* Itaut præsentatio, & institutio de Regulari ut Claustrali factæ ad Ecclesiam Secularem sunt cassæ, & invalidæ. Quam glossam sequuntur etiam *Lambertin. de Iurepatr. lib.* 2. *parte prima, quæst.* 7.

quæst. 7. art. 19. num. 24. & art. 20. n. 1. & 6. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 34. num. 61.

2 Ratio autem est, quia licèt de Jure communi Regularis poterat promoveri ad Ecclesiam Parochialem per Episcopum, nec non etiam ad Dignitates Principales in Ecclesiis Collegiatis Secularibus, juxta *Text. in cap. Quod Dei timorem de Statu Monach. ibique Gloss. verb. Ecclesiarum Parochialium, Abb. num. 5. & 6.* Tamen 3 cùm priores leges ad posteriores trahantur, & per eas, quandoque vel declarentur, vel corrigantur, ut docemur à *Leg. Non est novum cum duobus seqq. ff. de legibus, L. fin. ff. de constit. Principum*, hodie Secularia Beneficia Secularibus, & Regularia Regularibus conferri debent, itaut 4 Regulares habere non possunt sine dispensatione Apostolica Beneficia Secularia, juxta *Text. in cap. Cum de Beneficio de præben. in 6.* & juxta dispositionem Concilii Tridentini *cap. 11. sess. 14. de Reform. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 7. num. 6. & 53.* ubi refert declarationem Sacræ Congregationis Concilii, *Garz. de Benefic. par. 7. cap. 10. num. 38.*

Quod quidem procedit optima ratione, dum cum Secularis, & Regularis sint 5 diversa officia, non possunt in una, eademque persona collocari prohibente Domino per Moysem: *Non arabis in Bove simul, & Asino*: Idest homines diversæ professionis in uno officio simul non sociabis, ut benè ratiocinatur. *Lambertin. de Iurepatr. dicto lib. 2. part: prima, quæst. 7. art. 21. num. 7. & 8.*

In casu verò necessitatis, scilicet in 6 casu, quo nullus Sacerdos Secularis in loco reperiatur; qui velit, aut possit obtineri Ecclesiam secularem, hoc limitatur, nam tunc sicuti per Episcopum potest dispensari, ut ibi ponatur Regularis; Ita etiam poterit ad illam idem Regularis præsentari, *Lambertin. de Iurepatronatu lib. 2. par. 1. art. 22. num. 4.*

Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in una *Ratisbonen. Iuris* 7 *præsentandi* 19. *Maii* 1708. ubi expositum fuit, quòd vacante Parochiali Ecclesia in Lauterbach, Abbas Monasterii Sancti Emerami Ordinis Sancti Benedicti, sub eo obtentu, quòd dicta Parochialis sub eodem titulo Sancti Emerami, quæ antea fuisse fertur de Jurepatronatus ejusdem Monasterii, ac ad eam præsentari consuevisset Presbyter Secularis, usque ab anno 1379. ordinaria auctoritate Conradi tunc Episcopi Ratisbonen. subsequuta approbatione facta à Cardinali Pileo, auctoritate Apostolica, plenariè unita, & incorporata fuerit eidem Monasterio, cum facultate præsentandi Presbyterum Regularem, jam præsentavit Consistorio Episcopali P. Joacchinum Millher, sed renuente eodem Consistorio hujusmodi præsentationem admittere, contendente fore præsentandum Presbyterum Secularem, sub motivo, quòd ab immemorabili pervigeat usus in eadem Parochiali præsentandi Presbyterum Secularem, uno dumtaxat excepto Cælestino Schroatznalder, quòd insuper incongrua sit Religiosorum extra septa Monasterii vita à communi Mensa, & regulari disciplina remotior, quòd tandem ea Diœcesis secularibus Presbyteris abundet, propositum fuit proinde dubium.

An præsentatio facta à P. Abbate Sancti Emerami ad Parochialem Ecclesiam Lauterbach. vacantem per obitum quondam Ioannis Ignatii Lickledarer de P. Ioachim Miller regulari sustineatur in Casu &c?

Cui Sacra Congregatio respondit: *Negativè, & amplius.*

Idem etiam resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione *in Romana Cappellaniarum prima Decembris* 1708. ubi expositum fuit, quòd Card. Corradus binas instituendas Cappellanias demandavit sequentibus verbis. *Amplius dispono, quòd instituantur à præfatis Eminentissimis DD. meis hujus Testamenti Executoribus duæ Cappellaniæ cum onere singulis Sacerdotibus celebrandi per se ipsos Missam quotidianam, alteram scilicet in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ Transpontinæ pro suffragio Animæ meæ, alteram verò in Ecclesia Sancti Gregorii pro suffragio Animarum Patris &c. Sacerdotes autem eligantur, & deputentur ab eisdem Eminentissimis DD. meis hujus Testamenti Executoribus, quandiu vixerint, & post eorum mortem à Superioribus Conventuum dictarum Ecclesiarum respectivè &c.*

Cum autem ex longeva observantia,

ut

ut dicitur semper ad dictas Cappellanias fuerint Deputati Presbyteri Seculares, nuper verò à præfatis Regularibus Superioribus prætensum fuerit ad easdem deputare Sacerdotes Regulares, hinc disputatum fuit: *An Cappellaniæ sint Seculares, & Sacerdotibus Secularibus conferendæ, seu potius Regulares in Casu &c.* & responsum fuit *affirmativè*, quoad primam, & *negativè* quoad secundam partem.

Cæterum licèt Regulares præsentari non possint ud Beneficia Secularia, possunt tamen præsentari, seu nominari, & assumi ad Cappellanias merè Laicales non erectas in titulum Beneficii, pro earum officiatura, etiamsi extent in Ecclesiis Secularibus, quia cum hujusmodi Cappellaniæ non dentur in titulum, sed habeantur tamquam celebrationes manuales, in eis non militat dispositio præfati *Textus in cap. Cum de Beneficio de præbend. in 6. juxta Pignatell. consult.* 80. *num.* 3. *cum seqq. tom.* 10. & benè *apud R. P. D. meum Petra in ejus eruditis Commentariis ad Constitut. VI. Gregorii XI. num.* 18. *& seqq. tom.* 4. *pag. mihi* 308. ubi testatur ita fuisse resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Militen. Cappellaniæ* 27. *Novemb.* 1694. *ad* 9. *&* 11. *Junii* 1695. *& prima Decembris* 1696.

Et ita etiam resolutum fuit à Sacra Rota *in Frisingen. Juris deputandi Curatos* 24. *Martii* 1713. *coram R. P. D. Ansaldo*, hîc impressa.

R. P. D.

ANSALDO

Frisingen. Juris deputandi Curatos.

Veneris 24. *Martii* 1713.

PEr duo fermè Secula Antistites Ecclesiæ Frisingen. assueverant authorizabiliter instituere nominatos, seu præsentatos penitus Seculares ad Ecclesiam Parochialem Sancti Stephani in *Greffelfing.* & hosce pariter in titulum, seu Rectoriam perpetuam, quando arrepta occasione cujusdam Vicarii, seu Æconomi ad prædictam Parochialem deputati sub anno 1704. Præpositus, & Conventus Sanctissimæ Deiparæ *in Rottembuech* Ordinis Regularis Divi Augustini, ad quos hujuscemodi facultas nominandi, seu præsentandi prænominatum Vicarium, seu Rectorem pertinere noscebatur, reassumpsere veterem prætensionem præsentandi ad eorum libitum Regularem, vel Secularem amovibiliter, vel in perpetuum, sed inutili Conatu, nam idem Ordinarius rejecit instantiam, & tandem de anno 1709. solemniter id in scriptis declaravit, prout in *Summario* ejusdem Episcopi, seu Promotoris *num.* 4. ne forsan (præcisivè etiam à fundamentis, de quibus infra) tam longævi temporis inconcussa observantia violaretur contra monitum Cælestini Tertii *in cap. Quod dilectio* 3. *de Consanguin. affinit.* ibi: *Consultiùs est multitudini, & observatæ consuetudini deferre, quàm aliud in dissensionem, & scandalum Populi novitate quadam adhibita statuere*; cui consonat dictum *S. Augustini* relat. *per Gonzal. in cap. Cum consuetudinis de consuetud. sub numer.* 3. ibi: *ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

Se se ab hac declaratione læsos existimantes præfati Præpositus, & Conventus, recursum habuere ad Tribunal A. C. ibique in vim litterarum *Pauli Secundi*, & *Alexandri Sexti* Summorum Pontificum reportarunt favorabiliter definiri, illis licere ad munus prædictæ Parochiæ nominare, nedum Regulares proprii Ordinis ad nutum amovibiles, sed etiam, quatenus luberet, Sacerdotes Seculares, vel pariformiter ad nutum amovibiles, vel in perpetuum; Sed supergresso certamine ad *Sacrum Auditorium* oppositum *Domini* resolverunt nempè: *esse nominandum, vel præsentandum Sacerdotem Secularem in perpetuum, & litteras Apostolicas non suffragari.*

8 Basis resolutionis in quadruplici evasit constabilita fundamento, omisso etenim pro nunc illo memoratæ duorum fermè Seculorum observantiæ, certum procul dubio in primis erat, quod, ad trutinam Juris, ejusque determinationem, in Cappellis,

pellis, & Ecclesiis quomodolibet unitis alicui Collegio, vel Monasterio, seu Cœnobio Regularium, Cappellanus, seu Vicarius debet esse Secularis, atque perpetuus, ita ad litteram decernente *Textu in cap. primo de Capell. Monachor. Monachor, & in cap. unic. eodem tit. in 6. & in cap. Extirpandæ §. Qui verò de præbend. Fagnan. in cap. Ex parte num. 11. de Offic. Vicar. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 33. sub num. 93. Rota decis. 758. num. 2. & seqq. par. primæ diverf. & latè in dec. 368. num. 2. & decis. 382. num. primo, coram Dunoz. Jun. & in Gerunden. Hebdomadariæ 5. Maii 1690. coram Ursino impress. adornat. Card. de Luca de Benefic. decis. 27. num. 14. & in Brixien. Jurisdictionis 27. Junii 1710. §. Quia cum coram Reverendissimo Kaunitz Episcopo Labacen.*

Juri communi secundariò conspirabat,
9 novumque præbebat fundamentum sic, ut suprà resolvendi penè uniformis Censura Sacrosancti *Concilii Tridentini* pariter in *sess. 7. de Reformat. cap. 7.* præscribentis, quòd hujusmodi Ecclesiæ, quæ reperiuntur unitæ Monasteriis debeant per Idoneos Vicarios, & arbitrio Episcopi perpetuos administrari, quemadmodum cum eadem sanctione *Concilii* procedentis concordi ore, seu calamo connotarunt *Tambur. de Jur. Abbat. par. 3. disput. 9. quæst. 18. & num. 2. Garz. de Benefic. part. 11. cap. 2. num. 4. & seqq. Ventrigl. in praxi annot. 20. §. 2. num. primo, Barbos. de Jur. Ecclesiast. Univers. lib. 3. cap. 6. num. 3. Card. de Luca in Annot. ad prælaudat. Concil. Trident. disc. 9. num. 6. Rot. decis. 368. num. 3. coram Dunoz. Jun. decis. 23. num. 34. coram Zarat.* & in prælegata *Brixien. Jurisdictionis §. Hucusque.*

10 Ac propterea dispositioni Juris, & insimul *Sacri Concilii* tertiò loco adjungendi supra memoratam observantiam, quæ ferè per spatium biscentum annorum practicata legebatur in *Summ. Episcopi numer. 2.* omnem ea submovebat ansam dubitandi, accipiendo eamdem observantiam etiam simpliciter uti interpretativam, & declarativam cujuslibet facti, vel Juris ambigui, cùm enim semper nominati, & præsentati fuerint, & respectivè approbati, ac instituti in perpetuum Sacerdotes dumtaxat Seculares absque ulla, vel minima interruptione, certè, prout fuerat inconcussè usque dum practicatum, ita stabiliendum, & practicandum erat inposterum, ut ad terminos ejusdem observantiæ simpliciter interpretativæ quotidie habemus per *Text. in cap. Cum dilectus de consuetud. & in leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus, & in leg. Quædam ff. de rebus dub.* cum concordan. plenè cumulat. *in dec. 80. num. 37. Inter hactenus in Urbe impress. coram Me*, & in specie unionis *Turicell. de Union. cap. 10. num. 18. cum tribus seqq. & cap. 11. num. 72. in fine, Rota decis. 61. num. 2. coram Dunozzet. Junior. & in Recent. decis. 59. num. 12. part. 10. decis. 48. numer. 23. part. 13.* cum aliis concordan. adductis *in decis. 218. num. 20. par. 18.*

Quin immo cum præfata observantia
11 foret dupliciter centenaria, hinc non tantùm operabatur in vim prædictæ interpretationis, & declarationis, sed ad effectum quoque exuberabat allegandi quemcunque titulum meliorem, ut nostri dicunt, de Mundo, nempè quòd vel adesset, vel supervenisset etiam contra antiquum statum, vel legem, aliqua concordia, vel aliqua nova lex, aut Constitutio præscribens, quòd etiam si de Jure, vel aliàs mediante privilegio per antea valuissent nominari, atque præsentari Vicarii amovibiles, & ad tempus, ac insimul regulares, imposterum tamen nominari, aut præsentari nequirent nisi veri Sacerdotes Seculares, atque in titulum perpetuum, sicuti in proposito centenariæ passim in omnibus materiis affirmarunt cumulati per *Card. de Luca de Regal. disc. 47. num. 8. & seq. & de Jurepatron. disc. 65. num. 4. per Panimoll. decis. 91. num. 8. & per Rot. decis. 750. numer. 2. part. 18. tom. 2. Recent.* cum aliis latè congestis *in Placentina Decimarum 16. Maii 1710. §. Postremò, & §. Certiùs coram Me, & in Reatina Jurispiscandi 13. Januarii ejusdem anni pariter, §. Quo verò coram Me*, & in specie de qua agitur plenè *Rota in decis. 218. numer. 21. part. 18. in Tarraconen. Parochialis 2. Maii 1698. coram Reverendissimo dell'Olmo Episcopo Conchen. cum aliis decisionibus abunde relatis in Gerunden. Parochialis, seu Rectoriæ de Vilobi 6. Junii ejusdem anni inter hactenus in Urbe impress. coram Me decis. 47. num. 11. decis. 30. num. 10. ad ornat. Card.*

de Luca super materia de Benefic. & in Tarraconen. Parochialis de Viambondino 15. Januarii 1706. §. Efficaciam pariter coram Me.

12 Complicato nexu triplicis hujus fundamenti, *Juris, Concilii, & observantiæ supra centenariæ*, non oportuisset ulterius progredi, sed & in idem adstipulabatur quarto loco ipsa met littera unionis, quæ de controversa Parochiali extitit ab Othone Episcopo Frisingen. celebrata de anno 1206. In quantum quippe observare fas erat in vera essentiali parte concessiva, nihil apparebat attributum per hanc unionem Monasterio præter merum fructum, redditum, & proventum ejusdem Parochialis, ut ibi: *Nos igitur desiderio, & spe tantæ remunerationis, & intuitu Pietatis Divinæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Rottembuech, & hominibus ibidem Deo servientibus in tantillo subvenimus, quod eis Ecclesiam in Greffelfingen cum omnibus sibi attinentibus pleno Jure tradidimus possidendam, & ad præbendam ejusdem Conventus, quantum exinde fieri poterit meliorandam*: ac propterea cum præmissa verba nullatenus importarent, aut præseferre possent de per se quidquam Spiritualitatis, vel Juris Ecclesiastici, ad summum includere valebant implicitè Jus merum præsentandi, seu nominandi Parocum, ex quo tale Jus nominandi, & præsentandi dicitur, & est in fructu, ut ajunt *Gloss. & Scribentes in cap. cum Bertoldus de re judicat. Lambert. de Iurepatr. par. 2. quæst. 10. art. 3. Vivian. eodem tractat. lib. 4. cap. 7. sub num. 8. vers. Secundo quia, & num. 9. Card. de Luca pariter de Iurepatr. disc. 41. num. 7. Garz. de Benefic. par. 5. cap. 9. numer. 22. & seqq. Castill. de usufruct. cap. 36. num. 35. Rota decis. 10. de Iurepatron. in nov. & decis. 140. numer. 5. coram Card. Mantic. & decis. 104. num. 9. coram Priol. ac decis. 102. num. 15. par. 11. Recent.*

Ast, quòd posset per inoppositum prætensam interpretationem subextendi ad liberam potestatem præsentandi Regularem, vel Secularem ad nutum, id utique tanquam contrarium præfinitioni prædicti Juris Canonici, & Conciliaris, non erat unquam cogitandum, cum genericæ concessiones nusquam amplectantur, quæ sunt contra Jus, & exigunt particularem, & præcisam expressionem ad tradita per *Adden. ad Buratt. decis. 704. num. 13. Rota decis. 386. num. 34. coram Bich. decis. 95. num. 4. post Tamburin. de Iur. Abbat. decis. 201. num. 3. par. 19. Recent. & in Placentina Decimarum 16. Mati 1710. §. Quodque coram Me.*

Evidentiùs autem, & præter omnem hæsitationem perspecta altera parte ejusdem concessionis moderativa, seu quatenus opus manifesta restrictiva, ut ibi: *Ita tamen quod Presbyter ibidem à Præposito Rottembuech institutus à nobis investiatur, & lege Diœcesana nobis, & Archipresbytero per omnia teneatur, & investitus non removeatur, nisi pro rationabili Causa coram Nobis, vel Archipresbytero nostro proposita, & probata*: Cum enim jam circa qualitatem Secularis, vel Regularis nihil dictum fuerit vel hîc, vel in tota Unionis carta, & de Jure, atque perspecta observantia supradicta nominandus foret Presbyter Secularis, profectò in ordine ad perpetuitatem nil magis prętensæ manualitati ex diametro repugnabat, quàm præfata apertissima restrictio ex prædictis verbis plusquàm dilucidè resultans: quoties enim dixit, ut investitus *non removeatur, nisi pro rationabili Causa coram nobis, vel Archipresbytero nostro proposita, & probata*, quonam modo poterat extorqueri, & subintendi appositus terminus manualitatis, & amovibilitatis ad nutum? Hæc enim est differentia inter Beneficium perpetuum, & temporale, sive ad nutum, ut quemadmodum in casu amovibilitatis ea practicari potest etiam sine causa, ita à contrario in casu perpetuitatis dari nequeat amotio nisi cum causa habili ad inducendam destitutionem per ea, quæ circa primam propositionem habentur ex doctrina *Cardinalis in Clementina prima §. Præmissa de supplend. negligent. Prælat. apud Gonzal. ad regul. 8. Gloss. 5. §. 6. num. 46. Card. de Luca de Benefic. discurs. 97. num. 6. Rota coram Buratt. decis. 346. num. 4. & decision. 382. pariter num. 4. ibique plenè Adden. decis. 15. num. 32. cum pluribus seqq. & decis. 52. num. 66. cum pluribus seqq. coram Peuting.* & quoad secundam præcisè est *Text. in cap. unic. de Cappell. Monach. in 6. vers. Cum debeant esse perpetui, Gloss. in cap. 2. §. Priores in verbo non mutentur*

de

de Stat. Monach. ibique Hoſtienſ. numer. 2. Butr. num. 20. Ioann. Andr. num. 12. Barboſ. num. 6. Lezzan. in ſumm. quæſt. Regul. tom. primo, par. 2. cap. 18. num. 20. Rota dicta deciſ. 52. num. 65. coram Peuting.

Prænoſcentes fortaſſe Defenſores Præpoſiti, & Monaſterii efficaciam hujuſmodi fundamentorum revera inexpugnabilium, acriorem vim conſtituebant in memoratis litteris Apoſtolicis *Pauli Secundi, & Alexandri Sexti*, per quas indulgeri prætendebatur Abbati Monaſterii *Staingaden.*, quòd licèt per antecedentes Abbates, ſeu Præpoſitos extitiſſent deputati, ſeu præſentati Seculares in perpetuum pro adminiſtratione controverſæ Curæ, nihilominus id eidem Monaſterio, ejuſque Superioribus nocere non deberet, quo minùs in poſterum Abbas, ſeu Præpoſitus valeret eamdem Eccleſiam regere, & gubernari facere, tam per prædictos Seculares, quàm per Regulares, ſive perpetuos, ſive amovibiles, & temporales, ideoque poſita adeò litterali conceſſione (etiam quatenùs de Jure dicendum foret contrarium) ſervanda forent hæc privilegia, & declarationes Supremæ Cathedræ Apoſtolicæ ex uno ore meritò affirmatis per *relatos à Card. de Luca de Iurepatronat. diſcurſ. 60. num. 19. & diſcurſ. 65. num. 33. & Rota deciſ. 74. num. 37. & deciſ. 82. numer. 57. inter hactenus in Urbe impreſſ. coram Me*, cum aliis congeſtis in illa *Nullius, ſeu Fulden. Iuriſdictionis ſuper bono Iure 27. Ianuarii 1713. §. Ac propterea pariter coram Me.*

Verùm ex ſimplici lectura ſtatim enituit, præfatas litteras ad normam *cap. ſuper Litteris de reſcript.* manifeſtiſſimè ſubreptas, & obreptas extitiſſe, & conſequutivo etiam vitio ineffectuationis ex parte poſt fore commaculatas, quando tamen ipſimet Summi Pontifices, & ſignanter *Paulus Secundus* (litteræ enim Alexandri Sexti noſcebantur eſſe merè confirmatoriæ) jam fuerat proteſtatus, quòd ſuper ſibi præſuppoſitis certam notitiam non habebat, ut ibi: *Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes*: unde multò magis locum ſibi vindicabat ſuſpicio ſubreptionis, vel obreptionis, quando loco aſſuetæ clauſulæ *ex certa ſcientia*: legebatur illa in totum oppoſita, de qua mox diximus, per ea quæ monuit *Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. Gloſſ. 36. nu. 36. Card. de Luca de Benefic. diſcurſ. 20. num. 8. Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæſt. 36. n. 19. Rota deciſ. 247. num. 22. part. 11. Recent.* & conſonant ulteriùs deducta *in Voto deciſivo per Me extenſo in illa Neapolitana Aſſignamenti, ſive commutationis voluntatis 23. Iulii 1712. §. Abſque eo quod; & in addit. ad deciſ. 82. num. 60. & 61. inter hactenus in Urbe impreſſ. coram Me*, & optimè *in deciſ. 148. numer. 20. part. 19. recent.*

Diximus quòd ex ſimplici lectura inevitabilis effulgebat obreptio, & ſubreptio, perſcrutando ſingulas partes, ejuſdem Brevis *Pauli Secundi*, cum quo cætera documenta, nempe exequutio eidem Brevi tradita, necnon confirmatio *Alexandri Sexti* ſucceſſivè corruebant; Siquidem ante omnia præſuppoſitum apparebat, quòd Eccleſia, de qua erat quæſtio ad ſenſum ſupplicationis porrectæ ex parte prædicti Præpoſiti, & Conventus ante 150. Annos Auctoritate Apoſtolica extitiſſet eidem Conventui unita, & incorporata, & tamen hujuſcemodi incorporatio nequaquam proveniebat à Sede Anoſtolica, ſed à mera traditione Orthonis Epiſcopi Friſingen., ideòque ſolùm hoc ipſum ſatis 13erat pro inferenda obreptione, dum neque de ſtricto Jure poteſt Epiſcopus ex ſe ſupprimere Eccleſias, ejuſque titulos, & alteri unire, & incorporare, ut latè fuit animadverſum in illa *Cracovien. Præpoſituræ, ſeu Parochialis 28. Iunii 1684. coram Cardinali Matthæio, & in alia Cracovien. Parochialis 4. Februarii, & 3. Aprilis 1705. coram bon. mem. Caffarello*, & tactum fuit in altera pariter *Cracovien. ſeu Sandomirien. Iuriſpatronatus ſuper Attentatis prima Iulii 1712. §. Eoque clarius coram Me*, ſicque labente hujuſmodi ſuppoſito, decidebat ipſa gratia eidem ſuppoſito innixa Teſte *Gloſſ. in leg. Mancipia verb. Avocandam Cod. de ſerv. fugitiv. Rota deciſ. 193. num. 2. coram Cardinali Cerr. & coram Celſo deciſ. 366. num. 7. coram Bich. deciſ. 255. num. 2. deciſ. 811. num. 11. coram Dunozzett. Iun. & in Aſculana Beneficii, ſeu Abbatiæ 6. Aprilis 1699. coram Me inter hactenus impreſſ. deciſ. 83. num. 6.*

Eoque ineluctabilius, quia continuativè idem Breve *Pauli Secundi* exponit sibi narratum extitisse, quòd in ipsa concessione, sive incorporatione attributa fuisset facultas Præposito in Casu vacationis *deputandi Canonicos ejusdem Monasterii dumtaxat* (sunt verba præcisa) *& ad ejus nutum ad Claustra revocandos*, quando ad tenorem unionis præcitatæ factæ ab Othone, nihil tale immaginabiliter continetur, & quando (præcisivè ab eadem concessione Othonis) nullam unionem, nedum Potestatem hanc, tribuerat Sedes Apostolica, sicque exposito contrario ejus, quod erat in rei veritate, dubitabile nullatenus amplius reddebatur, quin gratia prædicta *Pauli Secundi* cum omnibus consequutivis uti palam obrepta, labefactaretur, & caderet ad *Text. in cap. Super Litteris, & cap. Postulasti de rescript. Gotofred. in leg. Si quis obrepserit 29. ad leg. Cornel. de falsi*, ubi illud Divi Augustini dictum refert: *Juris est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit, quod impetravit*: *Dec. cons.* 148. *num.* 1. *versic. Secundò quia*, *Gratian: discept. forens.* 283. *num.* 20. & 21. *Ros. de Exequut. Litter. Apostolic. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. & *seqq. Rota decis.* 484. *num.* 7. *coram Buratt. decis.* 523. *num.* 34. *part.* 19. *tom.* 2. *Recent. & in Majoricen. Beneficii* 6. *Decembris* 1709. §. *Principale coram Me*.

Absque eò quod recurri forte valeret ad alium titulum præexistentem præter illum provenientem à concessione Othonis; quoniam, ultra quòd nullibi demonstrabatur, quomodo res se haberet de tempore antecedenti, itaut in his terminis
14 nequeat præsumi ullus titulus mediante quovis lapsu temporis, cum iste dumtaxat sit præsumibilis quoties concurrat certa, & positiva observantia ex collectis *Turricell. de rebus Eccles. non alienand. cap.* 14. *num.* 8. & *seqq. Garz. de Benefic. part.* 12. *cap.* 2, *num.* 179. cum aliis abunde cumulat. *per Rotam in decis.* 220. *n.* 22. *coram Otthobon. decis.* 267. *num.* 1. *coram Cavaler. decis.* 1169. *num.* 5. *coram Emerix Iun. & in Forolivien. Commendæ* 5. *Maii* 1706. §. *Quin obicem coram Reverendissimo Kaunitz Episcopo Labacen.*

Adhuc tamen cùm ipsemet Præpositus, ejusque Defensores solummodò produxerint, & exhibuerint titulum concessionis Episcopi Othonis, nequaquam idcircò
15 amplius fundari poterant in alio titulo præsumpto, qui nullatenus exhibebatur regulare etenim est, quòd ubi constet de titulo expresso, non valet allegari alter titulus præsumptus eidem expresso contrarius, prout in ordine ad primam conclusionem habetur apud *Ruheum in suis singular. de alien. rerum Eccies. observat.* 4. §. *Primo in fine*, & *observ.* 2. §. 2. *Garz. de Benef. dicta par.* 12. *dicto cap.* 2. *n.* 188. cum aliis latè cumulat. per *Turricell. de rebus Eccles. non alienan. dicto cap.* 14. *numer.* 26. *Rota decis.* 227, *num.* 17. & *seqq.* & *decis.* 262. *num.* 6. *coram Cerro*, & *decis.* 336. *num.* 30. *part.* 10. *Recent.* & respectu secundæ docet *Gloss. in cap. Veniens* 19. *verb. Renunciasse de præscript. Bartol. in leg. Pacta novissima num. primo Cod. de pact. Gonzal. ad Regul.* 8. *Gloss.* 53. *nu.* 57. *Rota decis.* 1204. *num.* 29. & *seqq. Signanter num.* 32. *coram Emerix Iunior.*

Inanis verò erat illa vis, quæ fieri videbatur super confirmatione generaliter facta Privilegiorum Monasterii à celebri *Cardinali Bessarione*, qui admodum elaboravit pro reunione Ecclesiæ Latinæ cum Græca, tuncque potiebatur facultate Legationis à Latere; Quoniam eadem Littera confirmationis manifestabat, quòd ipsa facta fuerat ad simplicem suppositionem, & Instantiam Præpositi, nec exhibitis, nec ostensis, multòque minus rimatis assertis Privilegiis præexistentibus, quin immo reticita ei fuerat vera unio proveniens à memorato Episcopo Othone prorsus adversativa iis, quæ confirmabantur, & quam confirmationem probabiliter si inspexisset insignis ille Cardinalis abnuisset ultrò subextendere, & tamen nemo scit, quòd ubi enarrata non fuit præcedens gratia attributa super eadem re, seu Negotio, secunda desuper concessa collabescit per defectum subreptionis, ut inquit *Corrad. in prax. dispensat. lib.* 8. *cap.* 5. *numer.* 42. & 43. *Tondut. resolut. Benefic. parte prima, cap.* 4. §. 4. *num.* 5. *Ros. de Execut. Litter. Apostolic. parte prima cap.* 5. *num.* 327. & 337. *Rota in Leodien. Canonicatus* 4. *Julii* 1698. *coram Me inter hactenus impress. decis.* 62. *num.* 13.

Coronabantur hæc omnia duplici, eaque

16que ulteriori ponderatione, una superiùs tacta, quòd nempe in omnem casum deficiebat observantia, immo ex præmissis militabat in oppositum per duo fermè Secula, deficiente autem, vel contraria existente observantia, vel cessat ex jam dictis omnis præsumptio Privilegii, aut saltem per non usum potius præsumitur, vel revocatum, vel deperditum ex quotidie animadversis per *Bartol. in Leg. fin. ff. de Constitut. Princip. ibique cæteri Scribentes, Suar. de Legibus lib. 8. cap. 34. num. 15. & 16. Noguerol. allegat. Jur. 39. num. 39. Mandos. de Privileg. ad instar Gloss. 11. numer. 22. Tractat. diversi.* cum aliis plena manu allegat. *per Rot. decis. 175. num. 8. & 9. & decis. 229. num. 3. & 4. coram san. mem. Alexandro Octavo*, & in nostris terminis eadem *Rota in Brixien. Jurisdictionis 27. Junii 1710. §. Huc usque versic. Nihilominus coram Reverendissimo Kaunitz Episcopo Labacen.*

Et secunda, quòd hæc privilegia, præ-
17cisivè ab Ordinibus Mendicantibus in proposito hujuscemodi unionum, quoad amovibilitatem, & regularitatem, extiterant radicitus avulsa, atque sublata per dispositionem *Sacri Concilii Tridentini* jam enunciatam *in dicto cap. 7. Reform. sess. 7.* ut testatur *Rota coram Dunozett. Jun. & coram Zarat. decis. 23. num. 34. versi. Ubi ait, & in prælaudata Brixien. Jurisdictionis dicto §. Huc usque sub initio, & ita declaratum fuisse per Sacram Congregationem Concilii* docet *Barbos. de Offic. & Potest. Episcopi allegat. 72. num. 190. & in suis Collectan. ad Concil. dicta sess. 7. cap. 7. num. 19.*

A primo itaque ad ultimum, explosis prædictis assertis Privilegiis, tot in unum concurrere visa sunt fundamenta, ut non nisi pro prædicta Secularitate, & perpetuitate respondendum esse Domini censuerint utraque.

ARGUMENTUM.

Stante Privilegio Pontificis, quòd Beneficia conferantur solis Personis oriundis alicujus Civitatis, & non Alienigenis, An in Beneficiis Patronatis possint Alienigenæ præsentari?

SUMMARIUM.

1 *Stante Privilegio Apostolico, quòd omnia Beneficia alicujus Civitatis conferantur solis ejus indigenis; Erectio Beneficii facta ab Ordinario pro alienigenis est nulla.*

2 *Stante Reservatione Jurispatronatus passivi favore eorum Civitatis, an præsentari possint Alienigenæ?*

3 *Verba*, aut aliorum locorum: *In Reservatione Jurispatronatus apposita, an intelligenda sint de quibuscumque Locis? & num. 4.*

CASUS XV.

STante Privilegio Apostolico, quòd omnia Beneficia alicujus Civitatis conferantur solis indigenis illius Civitatis, & nullatenus exteris, sive illa Beneficia sint libera, sive de Jurepatronatus Laicorum, & stante Reservatione Jurispatronatus passivi favore eorum dictæ Civitatis, aut aliorum Locorum; Quæritur an Erectio Beneficii facta ab Ordinario pro Alienigenis sit nulla? Et an possint præsentari Alienigenæ?

1 Respondeo quoad primum affirmativè; quia stante dicto Privilegio irritante omnes contrarias dispositiones derogando omnibus Statutis Ecclesiarum, aliisque sanctionibus etiam vim contractus habentibus derogatum censetur legibus adjectis ab ipso Ordinario in erectione Beneficii juxta *decis. 1. num. 2. versic. Secus verò Domini de Præben. in novis. Ferret. cons. 109. n. 5. & 6. lib. 1. Fælin. in tract. quando Litteræ Apostolicæ noceant Patron. num. 7. Lambert. de Jurepat. lib. 2. par. 3. quæst. 4. art. 10. n. 2. Pignatell. consult. 29. num. 14. tom. 4.*

Ad

2 Ad secundum respondeo Negativè, quia cùm dictum Privilegium non præjudicat Essentiæ Jurispatronatus, sed solùm præjudicat Juri, quod consuetudo tribuerat Patronis Laicis præsentandi, quem velint, inducendo Patronos ad illud, quòd dispoſuerat Jus commune *in cap. Hortamur dist.* 71. consequenter obligat præsentari solos indigenas, nisi Fundator reservasset Juspatronatus passivum pro suis consanguineis, qui essent alienigenæ. Ita *Lambert. de Iurepatr. lib.* 2. *par.* 1. *quæst.* 7. *art.* 24. *num.* 20.

3 Non obstat, quòd Fundator reservaverit Juspatronatus passivum favore eorum dictæ Civitatis, aut aliorum Locorum; Quia hæc ampliatio: *Aut aliorum locorum*: Non intelligitur de locis cujuscumque partis Mundi, sed solùm de locis existentibus intra Diœcesim illius Civitatis, in qua Fundator natus est, & condidit Testamentum *Gloss. in Leg.* 12. *verb. Provincia C. de præscript. long. temp. & in L. Decernimus in verb. Locum C. de Aquæduct. lib.* 10. *Alber. in dictionar. litt. L. vers. Locus aliquandò, Lambertin. de Iurepatronatus lib.* 2. *part. prima, quæst.* 7. *art.* 24. *sub num.* 6.

4 Quod ulteriùs probatur ex eo, quòd Fundator primo loco mandavit præsentandum esse unum de dicta Civitate; Unde sequentia verba: *Seu aliorum locorum* important loca ejusdem qualitatis, & identitatis, & præcedenter expressa, ac propterea si præcedenter expressit dictam Civitatem, ita etiam subsequenter intellexit de aliis locis ejusdem Civitatis, seu intra ejus Diœcesim circumfusis, non autem de exteris, aut sub aliena Diœcesi contentis, *Fælin. in cap. Sedes num.* 6. *vers. Dictio: Alius: de rescript. Honded. cons.* 7. *num.* 31. *Alberic. in Dictionar. verb. Alii Barbos. Diction.* 26. *num.* 9. *in fine, Rota decis.* 327. *num.* 7. *par.* 1. *recent.*

His rationibus Præceptor meus in una *Valentina Beneficii* in Rota scripsit, & obtinuit, quòd Fundatio Cappellaniæ cum Jurepatronatus passivo favore Clerici: *della Città di Valenza, o altri Luoghi*: intelligeretur de aliis locis existentibus tamen sub eodem Dominio Valentiæ ex natura verbi *Aliorum*, quæ est repetitiva similium, non autem diversorum ab expressis, ut videre est in ejus *Tractatu de Controv. Patron. alleg. tom.* 2. in qua Causa emanarunt Decisiones coram *Emerix Iun. decis.* 1241. & alia 17. *Febr.* 1696. *coram Reverendissimo dell'Olmo*; quæ erit impressa in ejusdem Præceptoris *Tractatu de Canonicis Lateranensibus cap.* 24. *in fine*; qui Tractatus hodie stat sub Revisoribus, & Typis dabitur Romæ.

ARGUMENTUM.

An Patronus de consensu Episcopi possit præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas.

SUMMARIUM.

1 *Patronus an possit immutare conditiones, & qualitates à Testatore in limine Fundationis appositas? & num.* 2.

3 *Patronus de consensu Episcopi non potest pro una vice præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas.*

4 *Qualitates in fundatione volitas solus Pontifex immutare potest.*

5 *Pontifex, urgentibus necessitate, aut utilitate, derogare solet qualitatibus in fundatione appositis.*

CASUS XVI.

VAcante Beneficio A. simplici de Jurepatronatus, & habente ex lege fundationis annexum ordinem Sacrum, & Sacerdotalem, Patronus de consensu Ordinarii præsentavit ad illud filium suum in ætate annorum 14. constitutum. Quæritur, an hujusmodi præsentatio facta de consensu Ordinarii sit valida?

1 Et videtur respondendum *Affirmativè*, quia Patronus de consensu Episcopi potest pro una vice præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas. *Rota decis.* 81. *numer.* 4. *coram Serafino*. Ratio est, quia Episcopus cum consensu Patroni potest ex justa Causa pro una vice tantùm alterare qualitates, & conditiones Beneficio ad-

adjectas dispensando cum Clerico circa ætatem, seu circa ordines, ut testantur *Fælin. in cap. Cum accessissent num. 19. vers. Secundò restringitur de constit. Abb. in cap. Præterea de ætat. & qualitat.*

2 Non obstat, quòd Patronus non possit immutare conditiones, & qualitates à Testatore in limine fundationis appositas. Quia licèt hoc procedat, quando solus Patronus, vel solus Episcopus vellet contra voluntatem, & dispositionem Testatoris venire, non observando qualitates, & conditiones in fundatione Beneficii adjectas, tamen quando Patronus unâ cum Episcopo hoc vellet facere, potest contra voluntatem, & dispositionem Testatoris venire, & qualitates adjectas, & annexas Beneficio immutare. *Bero cons. 5. num. 34. tom. 1.*

Sed his non obstantibus hodie, post Concilium Tridentinum, contrarium de
3 Jure procedit. Disponitur enim ab eodem Concilio *Sess. 25. de Reform. cap. 5.* quòd qualitatibus in Fundatione Beneficiorum appositis non derogetur, ibi: *Ratio postulat ut illis, quæ benè constituta sunt contrariis Ordinationibus non detrahatur; quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione &c. qualitates aliquæ requiruntur &c. eis non derogetur*: Unde Patronus etiam de consensu Ordinarii non poterat præsentare Filium suum non habentem qualitatem Sacerdotalem à Testatore volitam, ut docent *Garz. de Benefic. par. 7. cap. 1. nu. 99. & 111. & seqq. Barbos. ad Concil. ubi supra num. 3.*

Recurrendum est igitur in hoc, & simi-
4 libus Casibus ad Summum Pontificem à quo solo immutari possunt qualitates, & conditiones, quas Fundator in Beneficio instituit, per ea, quæ habentur in *Clement. Quia contingit in princ. de Relig. Domib. Imol. in cap. Nos quidem de Testamen.*

5 Et quidem S. Sedes urgentibus necessitate, ac utilitate derogare solet similibus qualitatibus, ut practicat cum vidi Studens apud R. P. D. Angideum S. Congregationis Concilii nunc Secretarium in *Pientina Laureæ Doctoralis*; ubi cum Fundator in limine Fundationis Primiceriatus, in Ecclesia Collegiata Sinalongę prohibuerit ne ullus ad dictam Dignitatem admittatur, qui non sit Doctor in Theologia, vel in utroque Jure, aut in Philosophia, & Doctoratus sit in aliquo publico Collegio, & non per privilegium; fuit de eo provisus à Sede Apostolica quidam Jo: Dominicus Petrocchi appósito Decreto in Litteris Apostolicis suscipiendi intra annum Lauream Doctoralem; sed præfatus Dominicus attentis Oneribus, & tenuitate reddituum ejusdem Primiceriatus supplicavit pro relaxatione dicti Decreti. Unde proposito dubio: *An sit locus relaxationi Decreti*: Sacra Congregatio agnoscens necessitatem dispensandi, & relaxandi prædictum Decretum ne Primiceriatus remaneret vacans, eo quia non aderat ullus qui vellet insigniri qualitate Doctorali, & cum, ea ad Dignitatem Primiceriatus aspirare respondit die 16. Maii 1716. *Affirmativè si Sanctissimo placuerit.*

ARGUMENTUM.

Reservato Jurepatronatus passivo favore Parochianorum Parochiæ A; an præsentatio ad Beneficium facta de eo, qui se transtulit ad habitandum in dicta Parochia absque translatione domicilii substineatur?

SUMMARIUM.

1 *Præsentatio ad Beneficium facta de eo, qui se transtulit ad habitandum in Ecclesia Patronali substinetur, quando Iuspatronatus fuit reservatum favore Parochianorum dictæ Ecclesiæ. Et quid si ille appositè ad effectum obtinendi præsentationem se transtulisset ad dictam Parochiam, & num. 3. Amplia ut num. 5.*

2 *Ad effectum, ut quis dicatur Parochianus non requiritur domicilium, sed sufficit simplex habitatio.*

4 *Potest quis se qualificare ad effectum consequendi Beneficium; & n. 7. & 14.*

6 *Qualitates actualis Doctoratus, aut actualis Lecturæ, & boni Testimonii requisitæ ad obtinendum Beneficium, ex quibus probentur? & n. 9. & n. 12. & 13. & 15. & 16.*

8 *Atte-*

8 *Attestationes negativæ, quandò concurrunt plures aliæ affirmativæ non sunt attendendæ.*

10 *Gratia Resignationis obtenta post mortem Resignantis, an, & quando sit nulla?*

11 *Papa non nisi exhonestate non aliàs admittit Resignationem, quàm ad commodum qualificati ad formam fundationis, aut Privilegii.*

CASUS XVII.

QUidam Fundator construxit, & dotavit de propriis Bonis Ecclesiam cum reservatione Jurispatronatus activi favore suorum, Juris verò Patronatus passivi favore Parochianorum Ecclesiæ Parochialis A; itaut disposuerit, quòd succedente vacatione Ecclesiæ Patronalis Patronus præsentare teneretur ad illam Sacerdotem bonæ conditionis, & famæ habitantem in Vicinia dictæ Ecclesiæ Parochialis A.

Vacante præfata Ecclesia Patronali fuit ad illam præsentatus à Patrono Titius, qui se transtulit ad habitandum in Domo ejus consanguinei existente in dicta Ecclesia Parochiali A. quæritur an hujusmodi præsentatio subsistineatur?

1 Affirmativè censeo respondendum. Etenim cùm Titius de tempore vacationis, & præsentationis habitaret intra limites Ecclesiæ Parochialis A. ritè, & rectè nominatus fuit à Patrono, dum qualitas *Parochiani*, aut habitationis satis est, quòd concurreret de tempore vacationis Ecclesiæ Patronalis, ut Titius esset capax passivæ præsentationis *Rot. decis.* 103. *numer.* 12. *par.* 15. *& decis.* 116. *num.* 13. 14. *par.* 16. *recent. & coram Pamphil. decis.* 54. *num.* 3. *& in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 10. *Decembris* 1710. §. *Descendendo coram Ansaldo.*

2 Non obstat, quòd ista habitatio Titii in Parochia A. fuerit accidentalis non animo ibi permanendi, ac proinde insufficiens ad faciendum illum Parochianum prædictæ Parochiæ A; Quoniam ad effectum, ut quis dicatur Parochianus non requiritur domicilium, quòd consistit in habitatione cum animo ibi perpetuò permanendi, sed sufficit simplex habitatio, quamvis habitans non habeat animum ibi perpetuò permanendi juxta *Amaya in Leg. Cives num.* 116. *Cod. de Incol. lib.* 10. ibi: *Quia sola habitatio constituit aliquem in Parochianum, & si non habeat animum, ibi perpetuò manendi. Federic. de Senis cons.* 254. *sub num.* 6. ibi: *Potest quis esse Parochianus &c. nec requiritur, quòd habeat animum ibi perpetuò standi verbi gratia &c. Si aliquis propter guerram fugit de Parochia ad Parochiam, & ibi se transtulit cum rebus, animo revertendi ad primam cessante guerra, num quid interim est Parochianus istius secundæ Parochiæ? utique &c. quoad Jus Parochiale non curamus de domicilio, sed de habitatione solùm: Vitalin. in Clement. Religiosi num.* 29. *de Privileg.* ibi: *Nota octavo secundùm glossam, quòd proprius Curatus dicitur omnium suorum Parochianorum, etiam si ad tempus habitent in Parochia illa, ut sunt Scholares, Familiares, Mercenarii, & hujusmodi similes Personæ: Fagnan. in cap. Significavit num.* 28. *& seq. de Paroch.* ibi: *Ad Jus Parochiale esse attendendam præsentem habitationem non domicilium, ideòque in eodem anno, quem effici posse Parochianum plurium Ecclesiarum, cùm non requiratur, ut habeat animum perpetuò habitandi, unde concludit eum qui propter Bellum, vel pestem fugit de Parochia in Parochiam, & eo se transtulit animo redeundi ad primam Bello cessante, censeri Parochianus secundæ quòd verissimum puto &c.*

Quid autem si Titius se transtulisset ad
3 habitandum in Ecclesia Parochiali A. appositè, & affectatè ad effectum obtinendi præsentationem ad præfatam Ecclesiam Patronalem, an ejus præsentatio esset valida? Et crederem affirmativè respondendum. Etenim translatio habitationis de una Parochia ad aliam non est prohibita, neque illicita etiam si habeat intuitum se qualificandi pro obtinendo legato, vel
4 elemosina dummodò tamen ibi permaneat cùm non sit in Jure prohibitum aliquem se qualificare ad effectum consequendi Beneficium, Dignitatem, vel Legatum absque eo, quòd hoc referri possit ad fraudem, ut decisum fuit à Sacra Rota *in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 13. *Decembris* 1709. §. *Minorem coram R. P. D. Lan-*

Lancetta, & 10. *Decembris* 1710. §. *Quo verò coram R. P. D. Ansaldo inferius legen.*

Eoque magis præsentatio Titii esset valida, si non concurreret alius de Parochia A, qui nominatus fuerit in discordia, & prætendat excludere illum, in hoc Casu enim faciliùs subsistineri deberet præsentatio Titii ex supradictis sufficienter qualificati ex firmatis per *Rotam in Camerinen. Beneficiatus* 2. *Iulii* 1708. §. 2. *coram Reverendissimo Domino Molines Decano*, & *in Bononien. Archidiaconatus* 2. *Julii* 1713. §. *Denique coram R. P. D. Scotto.*

Per has rationes studens ex commissione mei Præceptoris in *una Placentina* proposita in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium sub *die* 3. *Augusti* 1714. censebam. Quod stante fundatione, juxta quam Capitulum Metropolitanæ Placentinæ tenebatur distribuere dotem Puellis habitantibus in Vicinia, seu Parochia dictæ Ecclesiæ, valida foret nominatio Puellæ, quæ erat de aliena Parochia; sed imminente distributione Dotium se se transtulerat ad habitandum in Parochia ejusdem Metropolitanæ in domo ejus Consanguinei, juxta fundamenta, & auctoritates supra deductas. Verum Sac. Congregatio sub præfata die 3. Augusti contrarium resolvit respondendo nominationem Puellæ non subsistineri, tamquam non qualificatæ ad formam fundationis, quòd nempe esset de illis habitantibus in Parochia Ecclesiæ Metropolitanæ.

R. P. D.

LANCETTA

Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ.

Veneris 13. *Decembris* 1709.

CUm Matthias VVeipeler possessor Canonicatus primæ Gratiæ nuncupati habitualibus morbis detinetur, obtinuit à S. Sede admitti in suum Coadiutorem Jo: Henricum Moers, ad cujus favorem fuerunt etiam expeditæ Litteræ Apostolicæ, non attentis oppositionibus ex parte Capituli, & Universitatis Colonien. ad effectum impediendi Gratiam coram Eminentissimo Domino meo Prodatario deductis, quibus itidem propositis coram Reverendissimo Nuntio, cui præfatæ Litteræ fuerunt pro exequutione directæ, non potuit ipse dimoveri, quin ad illarum exequutionem deveniendum esse pronunciaret.

Verùm cùm adhuc difficultates sopitæ minimè remansissent, supradictus Matthias Coadiutus cupiens summoperè, quòd Jo: Henricus Canonicatum consequeretur, diverso Jure utens in ejus favorem illum resignavit in manibus Sanctissimi, à quo pariter resignatione admissa, fuerunt subinde Litteræ Apostolicæ expeditæ, nec non præfato Nuntio, ut supra directæ, qui non obstante præsentatione facta de persona Joannis Michaelis Ostman à Rectore, & Provisoribus Universitatis tanquam ad Canonicatum vacantem per obitum jam sequutum prænominati Matthiæ, & rejectis prætensionibus à Capitulo excitatis pronunciavit, illas esse exequendas.

A' quibus omnibus appellarunt tum Capitulum, tum Joannes Michael Ostman, propositâque Causa in Signatura Justitiæ emanavit rescriptum: *Quoad Coadiutoriam, parito Litteris arbitrio Rotæ, & quoad resignationem eidem Auditori Rotæ ex integro appositio sequestro*: in cujus rescripti sequelam commissâ mihi Causâ, cùm super Coadiutoria Joannes Henricus noluerit disceptare, dedi, Universitate tamen non comparente, unicum, & consuetum Dubium resignationem tantum respiciens: *An scilicet Litteræ Apostolicæ resignationis sint exequendæ? in casu &c.* super quo nulla capta resolutione sub die 13. Maii anni currentis, hodie Dominis placuit affirmativum responsum dare.

Cum enim enunciatæ Litteræ resignationis sint in omnibus justificatæ, quia de Clericatu, idoneitate non inquirendum, cùm Gratia fuerit concessa in forma gratiosa, ut aliis relatis firmavit *Rota in Augustana Canonicatus* 12. *Januarii* 1703. §. *Prætermissa*, & *coram Reverendissimo meo Decano*, & 19. *Januarii* 1705. §. *Quin*

dubitari, coram R. P. D. meo Omaña, de aliis verò qualitatibus ad formam Indultorum, quæ à Summis Pontificibus concessa fuerunt, plenè constiterit ex iis, quæ mox adducentur, inde sequitur, quòd debeant exequutioni demandari, uti ad *Text. in cap. Si quando, & cap. Super Literis, de rescript. Rota coram Merlino decis.* 192. *num.* 2. aliisque congestis *in alia simili Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ* 2. *Maii* 1701. §. *Iustitia verò, coram R. P. D. meo dell'Olmo.*

Et sanè in præfatis Indultis tria præcipuè exiguntur in persona Provisi. Primum scilicet versatur circa necessitatem actualis Doctoratus, vel Magisterii, de quo præcisè agitur in Indulto san. mem. Bonifatii IX. Secundum pariter circa actuale legendi, & docendi in Universitate Colonien. exercitium, ut in Indulto sa. me. Alexandri VI. Tertium denique respicit bonum Testimonium Rectoris, & Provisorum Universitatis reportandum ab eo, qui de hujusmodi Canonicatu vult provideri, & hoc ad tenorem Indulti sanctæ memoriæ Innocentii XII. quorum omnium prædictorum concursum verificari in præsenti casu visum est DD. dubitari non posse, quamvis nec etiam, cum agatur de resignatione in favorem alterius facta, adeò rigorosus qualitatum concursus exigatur, nec ad Justitiæ stateram, ex quo alius non concurrit, sint propria merita apponenda, sed sufficiat, ut Provisus propter qualitatum defectus indignus Gratiâ obtentâ non existat, ut practicari quoque solet in provisione Parochialium ad præscripta per *Sacrum Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* & ut notat *Barbos. ibidem n.* 21. *& seqq.*

6 Quantum enim attinet ad primum, exhibitæ fuerunt fides tàm Reverendissimi Nuntii, quàm Decani Universitatis, præter alias plurium Professorum testantium, quòd Joannes Henricus Laurea Doctorali insignitus fuerit de mense Septembris 1706 quibus attestationibus proculdubio est deferendum, tum ex præcellenti Dignitate unius ex eis, qui præsens fuit Doctoratui, tum ex quo sunt plures Professores, ac proinde de re ad proprium officium spectante deponentes, uti de prima est *Text. in Can. Nobilissimus dist.* 97. & de secunda omissis generalibus in specie firmat *Rota decis.* 427. *num.* 7. *part.* 18. *Recent.*

Respectu verò secundi respicientis actualem lecturam probatum extitit, quòd ille non solum nonnullas publicas Lectiones habuit ante obtentam gratiam resignationis, verùm etiam alias habere potuit attentis Notificationibus, seu Schedulis, in quibus cunctis patefaciebat tribus diebus in hebdomada publicè Cathedram fore ascensurum, atque gratis, & sine mercede Jus Canonicum interpretaturum, ut propterea plenam justificationem actualis exercitii in legendo per rei evidentiam resultare dicendum sit, quamvis etiam per accidens ob defectum Auditorum non legerit, sufficiens enim in casu, de quo agitur, reputari debet, eo quia illi non sit imputandum si per eum non stetit, quominus legendi munus adimpleverit, per *Text. in Leg. Dedi* 3., ubi etiam *Gloss. verb. Conditione, ff. de Condict. caus. dat. caus. non secut. & in L. Iure Civili*, ubi pariter *Gloss. ff. de Condit. & Demonstrat.*

Neque DD. movere potuit, quòd Indulta sint tantummodò intelligenda de Professoribus antiquis, & ordinariis, ac stipendiis Universitatis docentibus, quoniam si de illis tantùm Indulta verificanda essent, non haberetur finis à Summis Pontificibus exoptatus, augendi scilicet Lectorum numerum, qui nullum poterat sine hac Pontificia largitate incrementum suscipere, nam Universitas non habebat unde sumptus Lectoribus supervenientibus præstaret, relicta iisdem sola spe obtinendi hos Canonicatus, ut convincitur ex præfatis Indultis, & præcipuè ex illo Alexandri VI. qua sublata, ac nullo salario constituto Lectores profectò defecissent, cùm unusquisque Operarius dignus sit mercede sua juxta illud Evangelii *Lucæ cap.* 4. ut advertit etiam *Zacch. de Salar. in proæm. num.* 13.

Eoque fortiùs prædicta procedere dixerunt, quia casus non est de Universitate numerata, sed de illa, quæ nullum præfinitum Lectorum numerum habet, & in qua unicuique Doctori Jura interpretari volenti facultas Cathedram ascendendi conceditur, ut exinde libentius in eam deve-

deveniendum sit Sententiam, quòd Pontifices non tantùm respexerint labores præteritos, sed etiam futuros, additâ quoque pœnâ privationis in casu omissę lecturæ, & quòd potiùs voluerint providere istis Lectoribus, nullo stipendio militantibus, quàm aliis Salarium ab Universitate percipientibus ad effectum, ut magis, magisque Professorum numerus augeretur.

Accedente insuper altera animadversione, quòd pluries fuit quæstio anteactis temporibus excitata super necessitate actualis exercitii, itaut primo loco *in decisione* 89. *coram Ubago*, & *in Recent. decis.* 776. *par.* 18. & *coram bonæ memoriæ Muto in alia Colonien. Canonicatus* 17. *Feb.* 1696. dictum fuerit exercitium requiri dumtaxat per viam modi ex post quoque adimplendi, & licèt ex post fuerit ab huiusmodi opinione recessum *in Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ* 4. *Februarii* 1699. *confirmata* 15. *Iunii ejusdem Anni*, *coram R. P. D. meo Scotto*, in quibus firmatum fuit, necessarium esse actuale exercitium, tamen hoc utique certum est, quòd inutilis prorsus fuisset hujusmodi quæstio si Indulta solùm Doctoribus jam stipendiatis suffragari possent.

Et hæc omnia confirmantur ex subsequuta observantia, cùm inoleverit consuetudo conferendi consimiles Canonicatus etiam extraordinariis Professoribus, uti testatur Reverendissimus Nuntius, itaut ex ea saltem in casu dubio valeret deduci interpretatio Indultorum, ad firmata per *Rotam decis.* 39. *num.* 11. *par.* 2. *diverss. & coram Coccino decis.* 1546. *num.* 2. & cum aliis adductis *coram Emerix Iun. decis.* 367. *num.* 6.

Non attento, quòd præcipuè in Privilegio Alexandri VI. indultum sit, posse hujusmodi Canonicatus prætendi etiam à Professoribus actu legentibus, quibus tamen ex rationalibus causis per Rectorem, & Provisores, ne teneantur perpetuò, vel ad tempus legere, concessum fuerit, quoniam licèt dispensatio prædicta perpetua, vel temporalis procedere possit solùm circa Lectores ordinarios, & Salaria habentes, ex hoc non sequitur, omnimodam dispositionem esse restrictivè intelligendam de Lectoribus tantùm stipendiatis ex supra deductis, sed dicta dispensatio accipi debet correspectivè ad exercitium legendi volitum à Summis Pontificibus, adeout illi, qui sunt impediti, & dispensati habeantur pro actu legentibus, ne absque sua culpa præjudicium sentirent contra regulam *Text. in cap. Sine culpa* 23. *de Reg. Iur. in* 6. & *in L. Putator* 31. *ff. ad L. Aquil.*

Minorem pariter relevantiam involvere existimarunt Domini exceptionem, quòd Ioannes Henricus Doctoratum, & Lecturam affectaverit, necnon exercuerit propria auctoritate in fraudem Inductorum, quoniam ultra quod cùm hęc delictum sapiant, venirent concludenter probanda, prout ex *Text. in leg. Cum Pater* §. *Rogo*, *ff. de Legat.* 2. *Rota dec.* 132. *num.* 1. *coram Emerix Junior. & in Recent. decis.* 274. *numer.* 16. *part.* 9. id non potest dici factum propria auctoritate, quòd consequutivè ad graduationem, & admissionem præcedentem factum fuit, neque id in fraudem factum dici valet, quod fit ex licita industria ad effectum habendi aliquam qualitatem requisitam pro consecutione rei optatæ, uti quotidie videmus in iis, qui Tonsura initiantur, & alias qualitates acquirunt ad hoc, ut possint ad Beneficia Patronata præsentari, de quibus notant *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 47. *num.* 92. *& seqq. Garzias eodem Tractat. par.* 7. *cap. primo*, *num.* 35. *Cardinalis de Luca de Jurepatronat. discurs.* 49. *num.* 7. & in iis, qui Sacerdotali Charactere insigniuntur pro obtinendo Beneficio, quibus quoque de Iure tempus unius anni conceditur, ex *cap. Ei*, *cui* 29. *de Præben. in* 6. necnon in iis, qui ex Privilegio nanciscì valent Civilitatem ad effectum evadendi capaces Beneficiorum, uti colligitur ex *decisione* 73. *numer.* 8. & 9. *coram Cerro*, ac tandem in specie de illo, qui pro obtinendo Beneficio condecoratus fuerat Laurea Doctorali, habetur in *una Frisingen. Canonicatus* 4. *Iulii* 1692. §. *Neque obstat*, *coram Reverendissimo meo Decano*, confirmata 5. *Iulii* 1694. §. *Non obstat assumptum*, *coram R. P. D. meo Priolo.*

Prout nec etiam in nihilo admissæ fue-
8 runt attestationes actualem lecturam excludentes, nam cùm istæ sint negativæ, & concurrant cum pluribus aliis affirmativis

tivis super actuali lectura deponentibus non veniunt attendendæ, per ea, quæ ex *Text. in l. Diem proferre*, §. *Si plures*, *ubi Gloss. verb. Consenserunt*, alios etiam allegando firmat *Rota decis.* 819. *num.* 8. *parte* 18. *Recentior.* potuit enim dari casus, quòd dicti Testes non viderint legere Joannem Henricum eadem hora, vel die, qua ipse Canones explicabat, sed ex hoc non excludunt actuale legendi exercitium aliis horis, vel diebus in Schedulis destinatis, quæ Testium conciliatio eo magis facienda est, quia remanet sublata quæcumque contrarietas, ad *Text. in cap. Cum hic* 16. *de Testib.* & cum aliis firmat *Rota coram Buratto decis.* 932. *numer.* 14. *& sequen.* atque *in Recentior. decis.* 745. *num.* 8. *par.* 19. & ulteriùs licèt dicti Testes deponant, Joannem Henricum haud esse numero Lectorum adscriptum, nihilominus de hac non adscriptione nulla est habenda ratio, cùm fiat tantùm de illis Professoribus, qui dicuntur Ordinarii, & stipendia recipiunt, non autem de aliis extraordinariis, quos comprehendi sub dictis Indultis hucusque probatum fuit.

9 Tertium tandem requisitum præseferens necessitatem habendi bonum Testimonium Rectoris, & Provisorum Universitatis visum fuit in præsenti casu non deficere, eo quia maximum dedit Testimonium Universitas ipsa, quando instetit, & consensum præbuit in Dataria, ut Litteræ resignationis expedirentur, quod sanè amplius retractare non valeret propriam confessionem impugnando, ut per *Textum in cap. Per tuas de Probat.* firmavit *Rota decis.* 81. *num.* 8. *parte* 19. *Recentior. tomo primo*, prout de facto nec etiam impugnat, nec est in Causa, & licèt Universitas præcedenter illud ad preces Joannis Henrici concedere noluisset, tamen ex post instando in Dataria censetur recessisse à dicta negativa, quæ etiamsi perdurasset, adhuc uti irrationabilis potuisset à Superiore suppleri, prout factum fuit in præsenti casu, cùm in omni materia suppletio procedat, ubi consensus requisitus absque ullo rationis fulcimine denegatur, ad notata per *Abbat. in cap. Cum in veteri num.* 13. *versic. Quoad quæstionem de Elect. in.* & pluribus cumulatis firmat *Rota coram Emerix Iun. decis.* 1243. *num.* 4.

10 Ea verò, quæ deducebantur circa Gratiam resignationis obtentam post obitum Resignantis, quo casu cessat consensus Procuratoris dependens à duratione consensus sui Principalis, qui eo mortuo expirant, ut sunt *Textus aperti in leg. Inter causas in princip. ff. mandat. & in leg. Mandatum Cod. eodem*, ac docet *Mantic. de Tacit. & ambig. convent. lib.* 7. *tit.* 23. *num. primo*; In nihilo penitus fuerunt attenta, quidquid enim sit, ubi concurrat simplex Signarura Gratiæ absque appositione datæ, in quibus terminis procedunt Auctoritates, quæ in contrarium adducebantur, hoc unum certum est, quòd ubi habeatur data Litterarum Apostolicarum, ut hic, ex qua apparet, Gratiam fuisse signatam decimo octavo Kalend. Ianuarii, qui numerus æquipollet diei 15. ejusdem mensis, & sic 15. dies ante obitum Resignantis sequutum die 31. dicti mensis, cessat objectum, adeout nequeat dari probatio in contrarium, uti tradunt *Gratian. disceptat. forens.* 191. *num. primo*, *Corrad. in Prax. Benefic. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 43. & firmavit *Rota coram Merlino decis.* 281. *num.* 13. *& coram Emerix Jun. decis.* 1149. *in fine.*

Cumque ex his omnibus appareant plenè justificatæ Litteræ Ioannis Henrici, superfluum existimarunt Domini examinare, an Ioanni Michaeli alteri Collitiganti obstet alia exceptio, quòd ipse possideat duos Canonicatus contra formam Bullæ Bonifacii IX. cumque satis sit, quòd ex supra firmatis non possit dici legitimus Contradictor, uti ad rem *Rota coram Emerix Iunior. decis.* 30. *num.* 7. *& in Augustana Canonicatus* 12. *Ianuarii* 1703. §. *finali coram Reverendissimo meo Decano*; Maximè quia Universitas, quæ verè Ius haberet sese opponendi, non contradicit, sed potius Ioanni Henrico adhæret, & resultat, tam ex supplicatione facta Eminentissimo Domino meo Prodatario, quàm ex quo hodie non comparet, ut supra dictum fuit.

Et ita utraque &c.

Con-

Confirmata 10. Decemb. 1710. coram R. P. D. Anſaldo; quæ ita ſe habet.

SAcrarum, bonarumque litterarum, aliarumque laudabilium diſciplinarum, ſtudia, quæ in celebri Accademia, ſeu Univerſitate Colonien. non ſine cunctorum plauſu fervent, & florent, Apoſtolica ſollicitudo Trium Summorum Pontificum Bonifacii IX. Alexandri VI. & noviſſimè glor. mem. Innocentii XII. deſiderio deſiderans magis, magiſque promovere, atque excitare, ut Principem decet, ad mentem *Textus in cap. Habita Cod. ne filius pro Patre cum cæteris, apud Antun. de donat. Reg. lib. 2. cap. 22. num. 13.* præ cæteris aſſignavit, & præfixit quamplures Canonicatus illius Civitatis, quos nuncupant *Primæ Gratiæ* iis, qui in eadem Univerſitate in ſingulis reſpectivè facultatibus pollerent triplici prærogativa, Doctoratus ſcilicet, actualis lecturæ, ac denique boni Teſtimonii Rectoris, & Proviſorum ejuſdem Accademiæ; Cùmque unum de eiſdem Canonicatibus ſub anno 1706. ſibi per viam reſignationis obtinuiſſet conferri Ioannes Henricus, obvium habuit, qui triplici è converſo lancea adinſtar Ioabbi Gratiam ei præpedire, & conſequutivè ipſum in judiciali conflictu confodere ſatageret, ſed inutili conatu, non enim dumtaxat poſita ab initio in Sacro Auditorio ipſarum litterarum reſignationis executione à R. P. D. meo Lancetta Ioannes Henricus illico favorabilem reportavit Sententiam, opportuna prius deciſione communitam *ſub die 13. Decembris 1709. coram eodem R. P. D. meo Lancetta*, ſed & hodie incaſſum renovata aggreſſione ſuper legitima, ſeu ulteriori earum exequutione, unanimi Dominorum ſuffragio oraculum prodiit *affirmativum.*

Et quidem præ reliquis unus ex iiſdem Dominis rationabiliter mirabatur, quare Ioannes Henricus veteri, & hodierna contradictione vexaretur non habens legitimum contradictorem: Reſpectu enim Capituli ſua non intererat ex oppoſitionibus infra diſſerendis inquirere de qualitatibus, ſeu requiſitis ad præſcriptum memoratorum trium Pontificum, quæ tantummodò reſpiciebant ipſam Accademiam, ſeu Univerſitatem, eadem verò Univerſitas licèt à tergore informationum, quæ fuerant Dominis diſtributæ, appareret inſcripta pro adverſaria, & contradictrice; nihilominus etiam ante expeditionem litterarum ejuſdem reſignationis epiſtolam ſcripſerat Eminentiſſimo Domino Cardinali Prodatario, non ſolùm per modum aſſenſus, ſed poſitivæ ſupplicationis, ut prædictæ literæ reſignationis per Ioannem Henricum poſtulatæ expedirentur, illarumque vigore ipſe mitteretur in Poſſeſſionem Canonicatus, *Summario novo ejuſdem Joannis Henrici Num.* 18. Michael tandem, qui fuerat à Rectore, & Proviſoribus iſtius Univerſitatis nominatus, incapax omnino videbatur obſiſtendi, cum non parum ſibi exuberare debuiſſet, ſi alios duos hujus generis Canonicatus detinebat contra expreſſam ſanctionem, ſignanter Innocentii XII. Sacrorumque Canonum, qui hujuſmodi multiplicitatem execrantur, ſicuti videre eſt *in Can. Presbyteros 16. quæſt. 1. per tot. in Can. Sanctorum 70. diſtinct. Cap. Dudum de election. & in cap. Quia in tantùm, & cap. De multa de Præbend. Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. Fagnan. in dicto cap. Dudum num. 5. & ſeqq. & in dicto cap. Quia in tantùm num. 2. & ſeqq. Cardinal. de Luca de Benefic. diſcurſ. 119. num. 1.* & latiùs apud *Adden. ad deciſ. 90. à num. 20. & pluribus ſeqq. & num. 154. par. 9. Recent.*

Præmittebat quoque ultra hæc idem unus ex Dominis, quòd nec etiam ita rigidè procedendum videbatur in examine prædictorum requiſitorum, dum de illorum defectu minimè, ut diximus, Univerſitas, ad quam pertinuiſſet, conquerebatur; Cùmque ageretur non jam de diſcutiendo inito concurſu ad aliquam Parochialem, quo caſu ad præſcriptum *Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reformat.* Ordinarius compellitur eligere magis idoneum ad regimen Animarum, itaut ſuperventa etiam *Conſtitutio ſan. mem. Beati Pii V.* tribuat facultatem appellandi ab irrationabili Iudicio Epiſcopi,

copi, ad sæpe per *Sacram Rotam disceptata, & præsertim in decis. 5. num. 10. & decis. 24. num. 5. coram Celso, & decis. 477. num. 1. & seqq. part. 18. Recent. & in Lunen. Sarzaneu. Parochialis 2. Julii 1706. §. Fundabatur coram Reverendiss. Omaña Episcopo Giennen. & in Comen. Parochialis 10. Ianuarii 1707. §. Ratio, coram R.P.D. meo Caffarello, ac in Placentina Parochialis 25. Februarii 1707. §. Ceterum coram Me*; & passim in aliis.

Cum enim in rei veritate versaremur simpliciter in exequendis litteris resignationis per Matthiam Canonicum perantea Possessorem exaratæ de controverso Canonicatu ad favorem Ioannis Henrici, & deinceps admissæ per Sanctam Sedem, Ioannes Henricus Resignatarius in hoc casu, neque ullum Ius habere censebatur ab eodem Resignante, vel ab ipsa Universitate, sed illud immediate sortiebatur à Papa, qui solùm ex honestate quodammodò urgebatur, non aliàs 11 admittere resignationem, quàm ad commodum Qualificati, vigore fundationis, vel Privilegii, aut aliàs modo legitimo, ut ad terminos primæ propositionis unanimiter advertunt *Mandos. ad regul. Cancell. 33. quæst. 7. num. 8. Paris. de Resignat. lib. 1. quæst. 1. num. 64. & quæst. 2. n. 13. & 14. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 40. num. 14. Cassador. decis. 15. num. 1. de Præbend. Rota decis. 306. num. 6. part. 10. & decis. 27. num. 2. part. 15. recent.* & quoad secundam notant *per Text. in cap. Pervenit in fine, numer. 11. quæst. 1. Can. Ecce 9. distinct. Paris. de Resignat. lib. 3. quæst. 1. num. 17. & 18. Gonzal. ad regul. 8. §. Primo Proæm. ex num. 31. & pluribus sequent. & num. 49. & 50. Franch. de Eccles. Cath. cap. 6. num. 24. 25. & 34. & var. resolut. cap. 33. à num. 4. & pluribus seqq. Rota decis. 775. à num. 20. coram Merlino.*

Cæterum præcisive etiam ab his, & 12 ab omni epichæja, seu discursu æquitativo prosequebatur idem ex Dominis, immo alii etiam omnes citra ambiguitatem de stricta quoque Iuris censura solide, ac firmiter censebant, nullum Ioanni Henrico deesse requisitum ex jam prænarratis: incipiendo enim à faciliori, ut monet *Imperator sub tit. Instit. de Iust. & Iur. §. His igitur, ibique notat Gloss. Marginalis verb. Levi*, nimirum in ordine ad Doctoratum Ioannes Henricus nimis aperte decorabatur triplici laurea, una nimirum Utriusque Iuris in Romano Archigymnasio, & inibi pariter, altera Sacræ Theologiæ, & denique tertia in utroque pariter Iure laudabiliter susceptа in ipsamet Universitate Colonienſi, prout de his omnibus patebat expresse per Testes omni exceptione majores, & ex classico Testimonio, ac documento Professorum de Gremio earumdemmet Universitatum, *Summario novo ejusdem Ioannis Henrici numer. 1. & 2.* & præsertim 3. ex quibus plusquam abunde justificari gradum adepti Doctoratus late comprobat *Mascard. de Probat. concl. 528. per totam, lib. 1. cum aliis in præfata decisione 13. Decembris 1709. §. Quantum enim coram R. P. D. meo Lancetta, & in alia Colonien. Regentiæ 18. Iunii 1706. §. Nec quidquam in fine, coram R. P. D. meo Scotto.*

Licet namque unus Doctoratus proculdubio sat esset, & maxime conquisitus in eadem Universitate Colonien. præcipue ad finem, de quo tractabatur, nihilominus Ioannes Henricus videbatur quo ad hoc superlative concupiviſſe quodammodo etiam in aliis facultatibus, in alia Universitate publica tertium subire experimentum, quòd maxime pro magnifico habetur etiam penes Atletas, sicut rescripsere Cæsares *in leg. Unica Cod. de Atletis cum cæteris allatis in illa Papien. Præpositura, coram Me inter impress. decis. 64. num. 14.*

13 Descendendo autem ad secundum requisitum Lectoratus, quamvis præcedenter in altera Instantia ejusdem defectum incusando dupliciter illud Scribentes in oppositum redarguerent, tum scilicet ex eo, quòd extitisset à Ioanne Henrico quodammodo in fraudem, seu ad solum finem assequendi Canonicatum pendente lite usurpatus tam Doctoratus, quàm Magisterium, seu lectura, tum etiam ex eo, quòd de hujusmodi assumptione magisterii, & lecturæ minime doceretur tempore opportuno, nimirum ante consequutionem ipsius Canonicatus, quamvis namque regulariter de reliquo qualitas hæc, sive Doctoratus, sive Lectoratus

tus desiderata ad adipiscendum aliquod Beneficium sufficiat de jure, quòd supervenerit ante nactam possessionem, quemadmodum signanter in proposito Doctoratus liquet ex allatis per *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancel. gloss.* 15. *num.* 111. *& seqq. cum concordan. adduct. per Cardinal. de Luca de Benefic. disc.* 52. *num.* 12. *& dec.* 31. *num.* 29. *par.* 10. *recent.* & in specie eorundemmet Canonicatuum primæ Gratiæ ab initio existimaverat, *Rota in decis.* 89. *coram Ubag. & decis.* 776. *part.* 18. *recent. & demum in altera Colonien. Canonicatus* 7. *Gebruarii* 1696. *coram Muto*, & ad explicationem aptitudinis, seu verbi *atto* pro munere Prælaturæ consequendo censuit, *Rot. in Romana Prælaturæ de Vecchiarellis super fructibus tertia Decembris* 1703. §. *Hanc autem coram Eminentissimo Capra-ra, & 12. Martii* 1706. §. *Inutiliter, & seqq. coram Me.*

Nihilominus (sicuti prosequebantur iidem Scribentes pro Capitulo) ab hac sententia uberiùs postea trutinato, atque discusso tenore Apostolicorum Privilegiorum, & præcipuè illo Innocentii XII. quòd prodierat cohærenter ad resolutionem Sacræ Congregationis Particularis Concilii ad hunc effectum deputatæ, *ut in Summario novo Capituli num.* 1. successivè Tribunal recessit, existimans non sufficere habitum, sive actum proximum ex post quasi per viam conditionis resolutivæ, sed desiderari lecturam præcedenter per modum suspensivum à parte ante, videlicet ante obtentionem hujusmodi Canonicatuum, quemadmodum latissime elucebat firmatum in hac ipsa *Colonien. Canonicatus primæ gratiæ*, edita occasione præteritæ vacationis 4. *Februarii* 1699. *coram R. P. D. meo Scotto*, rursus confirmata 15. *Iunii ejusdem anni coram eodem.*

Verum neutram injectam amaritudinem Domini per umbram crediderunt congruere, seu nocere posse Joanni Henrico: quatenus etenim pertinebat ad magisterium, seu lecturam assumptam, ut asserebant pendente lite, suppositum vacillabat in radice, cùm nullibi penderet tunc temporis ulla lis, ulla controversia super exequutione litterarum hujus præsentis resignationis, sed tantummodo adesset fortasse querimonia super altera exequutione antecedentis Coadiutoriæ, cui non adhæsit postmodum amplius Joannes Henricus: Quantùm verò differat una ab altera gratia, seu disceptatione, nemo non scit, præsertim qui non ignorat quantùm distet resignatio à Coadiutoria sicuti patet ex traditis per *Garz. de Benefic. par.* 11. *cap.* 3. *num.* 275. *Gonzal. ad regul.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *num.* 69. *&* 72. *Leo in Thesaur. fol. Eccles. cap.* 19. *à num.* 48. *Murg. de Benef. quæst.* 3. *num.* 1161. *Rota coram Put. decis.* 108. *numer.* 2. *lib.* 2. *& decis.* 10. *num.* 5. *part.* 3. *divers.*

14 Quò verò ad alteram partem prætensæ frauduis adepti nimirum tam Doctoratus, quàm Magisterii, seu lecturæ intuitu (ut subdebant) assequendi hodiernum Canonicatum contra litteralem prohibitionem expressam in *Constitut. Clement. Unicæ de Elect.* in qua Pontifex, *ne ambitionis vitio via pateret*, vetat suffragari posse Religioso licentiam reportatam à suo Superiore, *ut electioni, vel provisioni, si quando contigerit fieri, suum dare posset assensum*, facilè responsum fuit, quòd quidquid esset de vero intellectu memoratæ Clementinæ multipliciter inibi attributo per *Gloss. & Scribentes*, & an eadem coarctetur ad meram electionem inter Religiosos, in quibus terminis ambitio, ut ibi ait eadem *Gloss. verb. Ambitionis*, sæpe Religiosorum oculos excæcat, certè in ordine ad Beneficia sæcularia hujusmodi prohibitio nequaquam progreditur, aut ad ea subextenditur; jam enim citra inutilem repetitionem exemplorum, quæ in contrarium ostensa fuerunt in præcedenti Instantia, seu in prælaudata *decis.* 13. *Decemb.* 1709. *coram R. P. D. meo Lancetta*, videlicet de iis, qui tonsura initiantur, aliasque qualitates adipiscuntur, ut queant ad Beneficia, præsertim Patronata promoveri, seu de iis, qui Sacerdotali caractere curant insigniri pro obtinendo Beneficio, cui annexus reperiatur Sacer hic ordo, necnon de iis, qui per Privilegium satagunt assequi civilitatem hujus, vel alterius loci pro induenda qualitate necessaria ad hæc, vel illa Beneficia consequenda; Nonnè continuò nos docet experientia, quòd passim pro assumptione longæ præstantioris gradus Episcopalis, signanter in Germania, ubi canonicæ practicantur electiones Episcopo-

coporum, impetrantur à Summis Pontificibus præventiva Indulta eligibilitatis, vel alterius dispensationis ab aliquo impedimento, absque quòd subsequutæ electiones postea sub hoc prætextu fraudis, & ambitionis per imaginationem arguantur, aut irritentur contra tradita per *Fagnan. in cap. Dudum 54. de Elect. num 29.* dicuntur etenim potiùs in hoc casu tales solliciti prævenientes in induendo vestem nuptialem Jure suo uti, & si velimus impropriè dicere dolosè, dolo saltem bono, non malo, quive idcircò potius in laudabilem vertitur industriam omni Jure licitam, ut integrum desuper perficiendo tractatum ostendit *Cæsar Bargaleus de dolo*, quemadmodum adamussim evenit, non egrediendo terminos Coloniæ in similibus Indultis eligibilitatis à sa. me. Innocentio XI. cæterisque Successoribus concessis ad finem replendi Cathedram Colonien. & postea Leodien. Celsissimo hodierno Electori, super quo ego tunc sa. me. Innocentii XII. Auditor adscitus in Sacra Congregatione Consistoriali particulari votum signanter super validitate ejusdem eligibilitatis edidi, quodve habebitur registratum *in additione ad decis. 85.* mox Deo dante imprimenda, & magis in specie de illo, qui ad finem præcisum consequendi Beneficium, seu alterum Canonicatum huncmet ipsum gradum Magisterii, seu Doctoratus adeptus fuerat anticipatè, liquet in una *Frisingen. Canonicatus 4. Iunii 1692. §. Neque obstat coram Reverendissimo Domino meo Molines Decano*, successivè approbata *sub die 5. Iulii 1694. §. Non obstat assumptum coram R. P. D. meo Priolo.*

Pari facilitate visum fuit interverti alterum objectum deficientis necessariæ, & opportunæ, ut supra lecturæ: Siquidem circa justificationem lecturæ in genere perantea exercitæ à Joanne Henrico, nefas quodammodò erat dubitare, non tantùm quia jam præcedens proxima redargutio in ordine ad nimiam industriam, seu fraudem obtenti Doctoratus, & Magisterii lecturæ per subintellectum omninò necessarium antecedens secum trahebat hypothesim, seu suppositionem ejusdem Magisterii, & lecturæ, certò certiùs impletæ, & nihilominus de hujusmodi veritate nimis apertè effulgebat: constabat etenim Joannem Henricum per tres menses ante cum dimidio cæpisse jam publice exercere lecturam, & ad hunc effectum schedulam notificatoriam de more publice exponi, & affigi curavisse, *Summario novo Ioannis Henrici num. 7. litt. A. cum quinque seqq.* ubi præcæteris exhibita quoque fuit attestatio, seu depositio illius hisce Universitatibus inservientis Ministri, qui communiter nuncupatur *Bidello*, & cui etiam particulariter tanquam testanti de re ad sui officium pertinente deferendum esse nemo dubitat, teste *Rota coram Merlino in decis. 839. num. 1. & coram Dunoz. Iun. decis. 334: pariter num. 1. & in rec. dec. 129. num. 11. par. 8.* & alibi quotidie.

Circa autem perseverantiam abinde, seu continuationem lecturæ nusquam interpollatæ *sub eadem Summario* tradebantur plenæ pariter attestationes, quando tamen sat esset extrema fuisse demonstrata, ut media præsumerentur, præsertim in sponte assumente ad hunc præcisum effectum facultatem juridicam legendi, *ad reg. Text. in cap. Inter dilectos de fid. Instrum. Menoch. de præsumpt. præsumpt. 36. num. 1. & seqq. lib. 6. Cardin. de Luca de Iurepatr. discurs. 57. num. 35. Rota coram Dunoz. Iun. decis. 809. num. 2. & in recentior. decis. 46. num. 23. & decis. 102. numer. 9. part. 10.* & rectè etiam ex post facto id ipsum impleviſse demonstravit memorata antecedens decisio 13. *Decembris 1709. §. Respectu secundi coram R. P. D. meo Lancetta.*

Nullum penitus scrupulum injicientibus prætensis diligentiis, quæ dicebantur exaratæ per quemdam Notarium ad finem reperiendi Io: Henricum in Cathedra, sive in actuali lecturæ exercitio; quoniam præter præclaras Justificationes, ut præmisimus à Joanne Henrico jam exhibitas in contrarium, & quæ veluti probantes statum affirmativum præferendæ proculdubio regulariter videbantur assertis probationibus negativis secundùm passim animadversa per *Rotam coram Coccin. in decis. 2012. num. 10. & decis. 2030. numer. 23. & 24. & coram Bich. decis. 138. num. 15. & in recentior. decis. 156. num. 9. part. 6.*

Attamen (licèt hæc ex abundanti) eæ diligentiæ convincebantur erroneæ, & prorsus

sus inefficaces ad hanc negativam asserendam cùm apparerent factæ de mane quando fuerat Jo: Henrico assignata hora legendi post meridiem, sicuti à pari, erronea, vel inefficax dicenda foret prætensa coarctatio alterius cujuscumque negativæ, si illa totum tempus coarctandi non percuteret, & includeret per *Text. in §. Item verb. in fin. Instit. de inutil. stipul. Bald. in Leg. Optimam sub num. 8. vers. Ibi die, id est tota, C. de contrahen. & committen. stipulat. egregiè Jo: Andr. in cap. Ex tenore verbo SEMPER, & verbo commoratus extr. de testib. Pacion. de prob. lib. 1. cap. 40. nu. 8. & 9. & Rota coram Coccin. dec. 2292. num. finali.*

In ordine tandem ad subalternantem exceptionem, quòd recens hæc lectura minimè suffragaretur, ex quo Summorum Pontificum intentio extitisset hisce gratiis, & favoribus prosequi Lectores Veteranos, & ob id annuo perantiquo emeritos stipendio, vel saltem specificè approbatos ad hunc positivum effectum legendi ab Universitate, ejusque Rectore ad normam eorumdem Statutorum Universitatis, utique partiendo objectum illud respectu approbationis in præceps ibat ex tenore solius Doctoratus ipsi Henrico attributi cum successiva assignatione horæ; quid quid enim dicendum foret de exteris Doctoribus, quorum respectu verificari poterant Statuta interdicentia, ne quis legere posset, nisi extitisset approbatus ab Universitate, seu mavis, conductus, profectò hoc minimè congruebat Laureatis in eadem Universitate, frustratoria etenim fuisset illa potentia expressè per Universitatem largita in concessione Laureæ, & Magisterii, si ad actum posteà reduci nequivisset, resistente notorio desuper axiomate, de quo in *cap. Olim 16. ibique Gloss. verb. Inanis de restit. spoliat. Marant. respons. 47. num. 20. par. 4.* cum cæteris frustra cumulandis.

Itidem corruebat objecta Intentio Summorum Pontificum ex simplici lectura eorumdem Privilegiorum, quæ si majores nostri disceptarunt, & erediderunt suffragari Doctoribus post assecutum Canonicatum ad legendum paratis, certò certiùs magis potiùs supposita etiam necessitate præcedentis Lecturæ prodesse ad eumdem effectum debebant novis Lectoribus gratis, & absque mercede studium, & operam navantibus, verba etenim præmissorum Indultorum, & signanter Alexandri Sexti proæmialiter satis explicabant Causam impulsivam destinationis horum Canonicatuum, quia nempe *ex Dei munere crescente Universitate in Doctoribus, & Magistris*, Universitas non habebat pecuniam providendi omnibus, hinc loco peniæ effectivæ, consumptæ in cæteris existentibus, gratia concedebatur consequutionis horum Canonicatuum, nullibi enim clariùs, & potentius mens, & intentio memoratorum Principum, aliorumque disponentium comprehenditur, quàm ex proæmio *Constitutionis, & Legis*, ut advertit *Barth. in L. Ambitioso num. 27. ff. de decr. ad ord. faven. & in l. fin. num. 3. ff. de hæred. instituen. Decian. consil. 72. num. 49. lib. 2. Rota coram Buratt. decis. 543. nu. 11. & coram Merlino decis. 558. num. 3. & coram Otthobon. decis. 229. num. 14. & 15. ac in recentior. decis. 466. num. 1. in fine, part. 1. necnon decis. 612. num. 5. part. 2. Recent.*

Fortiùs quia id ipsum præseferebant etiam verba posita in visceribus ipsius successivæ, & veræ dispositivæ ordinationis Alexandri VI. ibi: *ut eo promptiùs ad hujusmodi laudabile exercitium excitentur*, non enim excitare oportuisset vigilitantes, vel vigiles esse debentes, prout erant, & sunt antiqui stipendiati qui de cætero accepto stipendio locarunt operas suas, & ob id tenentur illas ex post facto continuo præstare, ut est necessitas & natura, ordinariæ cujuslibet locationis, & conductionis, de qua est *Textus in Leg. Si quis §. Judicium ff. de oper. libertor. ubi habetur, quòd operę incipiunt cedere postquàm fuerunt indictæ Dec. cons. 27. num. 5. & seqq. cum aliis per Rot. in decis. 62. num. 2. post Zacc. de Salar.*

Et sane si finis prædictorum Indultorum extitit incrementum numeri Lectorum, numerus iste nusquam augeretur, semperque foret idem, prout totidem semper sunt Lectores stipendiati, totidemque pariter sunt Lectores plurimarum Universitatum, quæ certo numero Doctorum fixo solùm replentur, exempli gratia, Romæ, Pisæ, Papiæ &c. sed non sic est in Lecturis,

ris, & Magisteriis minimè numeratis, ut in plerisque aliis contingit Universitatibus, prout signanter in hac ipsa Universitate Colonien. Bononiæ, & Perusii cum similibus, in quibus potest numerus quotidie augeri per Concursum, seu additamentum supervenientium etiam gratuitò, & spontaneè Legentium, veluti qui juxta formulam Doctoratus sortiti facultatem legendi volunt in illa Genitrice Universitate legere propriis militando stipendiis, fortasse ad finem successivè assequendi unam ex Cathedris, cui foret certum stipendium per speciem certæ Præbendæ assignatum, ad instar eorum, quæ in proposito habemus, & ad effectum emolumentorum continuò disputata in discernendo, an aliqua Ecclesia existat numerata necne, de quibus videre est penes *Abb. in cap. Cum M. Ferrarien. de constit. cum concordan. collectis per Barbos. de Canonic. cap. 3. num. 13. & seqq. & per Card. de Luca de Regular. disc. 18. num. 5. & 8. & Canonic. disc. 6. num. 3. & seq. & disc. 36. num. 2. vers. Altera est.*

Consonabant in idem verba Bonifatii IX. ibi: *quod quando hujusmodi Canonicatus, & Præbendas fuerint adepti, in ea facultate, in qua Magistri extiterint, vel Doctores in prædicto studio continuò legere teneantur*, ex hac quippe forma loquendi clara nimis emicabat intentio alliciendi novos Lectores ad labores futuros, non autem tribuendi præmia præteritis, & antiquis Doctoribus, quando abstractiva quoque juridicum est principium, quòd nisi aliud adversetur, quælibet Constitutio, lex, & ordinatio oculos habeat ad futura, non autem ad præterita, ad *Textum in cap. ultim. de Constit. L. Leges C. de legibus cum concordan. relatis per Joannem de Salas. de leg. quæst. 97. tract. 14. disp. 21. sect. 7. num. 17. & 18. Card. de Luca de alienat. disc. 2. num. 11. & disc. 25. num. 3. Rota post Merlin. de pignor. decis. 35. nu. 9. & coram Coccin. decis. 680. num. 3.*

Accedente præsertim pro Coronide illa quarumcumque dubietatum interpretatrice observantia usque dum practicata, & subsecuta, eaque non tantùm affirmativa, sed etiam negativa; negativa siquidem, quia nec eadem Universitas nominando prætensum, ut supra Adversarium habuit respectum ad emeritum Decanum *Rlæy*, qui secundùm Confessionem ejusdem Universitatis emissam in contentione Coadiutoriæ numerabat 20. annos exercitii Lecturæ, quinimmò hosce etiam Canonicatus contulit promiscuè Lectoribus, tam veteribus, quàm novis, quòdque plus est etiam non Doctoribus, nec Lectoribus, quod utique tollere omnem, si qua adesset amaritudinem, jam ostendit antecedens *decisio dicti diei 13. Decembris 1709. §. Et hæc omnia coram R. P. D. meo Lancetta*, & ante eam in iisdem terminis *Rota coram Ubag. decis. 89. numer. 12. & decis. 766. num. 3. part. 18. Recentior. & in prædicta Colonien. Canonicatus primæ Gratiæ 2. Junii 1698. §. Incalescit coram bon. memor. Muto.*

Omiseram, quòd magnus, & inanis rumor fieri videbatur super eo, quòd signanter Diploma Alexandri VI. uti patebat ex verbis sub *Litt. Q.* reassumptis in prædicta resolutione Sacræ Congregationis Particularis Concilii; & in novissimo Brevi Innocentii XII. sub *Litt. H.* privabat istis Canonicatibus eos, *qui per tres menses continuos absque legitima causa per Rectorem, & Provisores approbanda à legendo cessarent*, quare perneceſſe consequebatur Summos omnes Pontifices intellexisse Gratiam facere veteribus, & non novis Lectoribus, quorum rari essent, qui vel tanquam voluntariè militantes, seu legentes non possent absque ulla quoque causa abscedere, vel obligati forent Rectori, & Provisoribus expetere licentiam, seu ejusdem Causæ approbationem, maxime: per tantum temporis spatium, nempe trium mensium, quando brevior Lectura secundum prætensionem memorati Henrici superabundabat ad finem adipiscendi hos Canonicatus, aliàs namque non verificaretur regula correspectiva eorum, vel certè non congruerent Privilegia Pontificum iis, quibus verba prolata per Privilegiantes aptari non poterant, & convenire ex ponderatis per Scribentes *in cap. Porro in fin. de privil. Innoc. in cap. Dilecto de Offic. Archidiac. Rota coram Buratt. decis. 417. num. 1. & in Recent. decis. 8. num. 7. par. 8. & decis. 195. num. 4. & 5. part. 11. & decis. 238. num. 12. par. 14. & decis. 383. n. 5. par. 18. tom. 1.*

Si

Si quidem iſte diſcurſus, iſta ratiocinatio quin immò vera Summorum Pontificum intentio diverſum percutiebat finem, & effectum deſiderandi videlicet præcipiendique ne poſſent Lectores concurrere, qui *actu* non legerent, cumque omittendo lecturam per tres menſes abſque Cauſa poſſent cenſeri deſertores, ita Pontifices intenderunt eos amittere attributa ipſis privilegia, ſicut deperdunt militaria Milites, qui ut ſupra nuncupantur Deſertores *Teſte Juris Conſult. in Leg. Deſertorem, & Leg. Non omnes, & Leg. Omne crimen ff. de re militari, L. Defunctorum C. eodem titulo lib.* 12. *cap. Infames 6. quæſt. prima, Farinacc. quæſt.* 113. *num.* 7. *& in Fragmen crimini, verb. Miles numer.* 205. *de Luca de Benefic. diſcurſ.* 68. *num.* 6. & in proximis terminis ſic exemplificando firmat *Lotter. de re Benef. lib.* 3. *quæſt.* 27. *num.* 77.

Et è contra parum æquitati congruebat, quòd relinquentes lecturam etiam per tres menſes, & ultra ex juſta tamen cauſa à Superioribus approbata, ſubirent jacturam aſſequendi, vel retinendi ipſos Canonicatus; quoniam abſens, & impeditus à quolibet munere ex juſta cauſa, & maximè præcognita, & approbata per Superiorem, habetur, ac ſi præſens actualiter foret, ut teſtatur *Barthol. in Leg. ultima num.* 3. *ff. de integr. reſtit. Abb. in cap. Inter quatuor ſub num.* 4. *de Clericis non reſidentibus, Lotter. de re Benefic. dicta quæſt.* 27. *dicto num.* 77. *& num.* 122. *& ſeqq. lib.* 3. *Card. de Luca de Benefic. dicto diſc.* 68. *num.* 10. *& de Canon. diſcurſ.* 12. *num.* 8. *& 9. Rota coram Seraphin. dec.* 662. *num.* 2. *& deciſ.* 1131. *num.* 2. *& coram Bich. deciſ.* 257. *num. finali, & deciſ.* 243. *itidem numero finali par.* 6. *rec.*

Aſt hæc omnia utique dumtaxat ſingula ſingulis referendo re vera applicabantur Canonicis, & Rectoribus antiquis, quibus comminabatur, & reſpectivè condonabatur pœna privationis, quemadmodum enim illi, quamvis ſufficienti ſtipendio jam conducti, perfrui inhiabant privilegio conceſſo magis, vel principaliter novis, & ut ita dicamus ſupernumerariis Lectoribus, dum hi ex ſupra animadverſis ſolidiùs apparebant extitiſſe Cauſa privilegii, obſtringebantur actu legere, vel data integra abſentiarum menſium monſtrare licentiam, & approbationem Superiorum. Novis verò ſat erat actu priùs legiſſe, ſeſeque paratos eſſe ad legendum in ſempiternum, licèt per accidens à minori, vel majori ſpatio initium legendi metirentur, ideoque retorquendo argumentum Novos à contrario ferire non poterat inflicta privatio, quando per eos non ſteterat, quominus per amplius tempus legiſſent juxta firmata *per Bartol. in Leg. prima*, §. *Divus num.* 17. *verſ. Si verò de Offic. Aſſeſſ.* & in præciſis terminis Lectorum, & Profeſſorum, *Card. de Luca de Tutor. diſcurſ.* 18. *numer.* 4. *&* 5. *Zacch. de Salar. quæſt.* 21. *num.* 10. & generaliter *quæſt.* 103. *nu.* 11. *de Marin. reſolut.* 313. *per tot. l. b.* 1. qui alios innumeros referunt, *Rota coram Duran. deciſ.* 53. *num.* 4. *& coram Caval. deciſ.* 520. *per tot. & deciſ.* 330. *numer.* 3. *par.* 1. *rec.*

Itaque ſenſus minimè videbatur eſſe, quòd prædicta verba privationis ſtarent ad incluſionem Veterum, & excluſionem recentium Lectorum, ſed palpabatur appoſita ad confirmandam ſolummodò volitam actualitatem Lecturæ, ejuſdemque Lecturæ inceptæ futuram durationem cui diſpenſativè dumtaxat ſubrogabatur licentia, proindeque ſtantibus præcipuè demonſtrationibus aliarum Partium eorumdem Privilegiorum, quas ſuperiùs patefecimus, nullo modo quod fuerat Sacroſanctè ordinatum ad unum finem, debebat ad alterum trahi, & extorqueri contra notiſſimam propoſitionem, de qua in ſpecie apud *Rotam deciſ.* 21. *num.* 2. *de Præbend. in novis Ægidius deciſ.* 751. *num.* 10. cum reliquis relatis in individuo Privilegii *in deciſ.* 514. *num.* 14. *&* 15. *coram Coccin.*

16 Super tertio requiſito parvam Domini moram trajecere, & videlicet ſuper prætenſa deficientia Teſtimonii Rectoris, & Proviſorum Univerſitatis in perſonam Joannis Henrici non tantùm, quia objectum ruebat in facto, dum exadverſo exhibitis per eundem Henricum toto ejus *Summario num.* 18. deinceps Rector, Proviſoreſque cum tota Univerſitate ſolemniter cum quatuor facultatibus congregata conſenſum præſtitit apud Sanctam

Sedem in Dataria Apostolica, ut litteræ resignationis favore ipsius Henrici expedirentur, atque successivè executioni demandarentur. Verùm ad tollendum omne ut ita dicamus phantasma ambiguitatis, concurrebat, immo penitus verificabatur plusquam eminenter testimonium exoptatum pro tertio requisito à Summis Pontificibus, quod non poterat esse, nisi illud à Divo quoque Paulo desideratum in littera prima ad Timotheum *num.* 10. *in operibus bonis testimonium habe*, hodiernum namque Summarium allatum ab ipso Henrico erat refertum tot testimoniis geminatis Reverendissimi Nuntii Sanctæ Sedis, ornamentis, & prærogativis Collegiorum nec non studiorum etiam *in nostro Sacro Auditorio penes bon. mem. Emerix Decanum*, ac denique deputationis ad Consiliaratus, Iudicaturas Tribunalium Ecclesiasticorum, aliaque munera, & officia à Sereniſſimis Electoribus, quæ forsan superabundassent, non solùm pro simplici Canonicatu prout hic sed pro alio Pontificali munere in Ecclesia, itaut quando etiam ex opposito ipse Rector totaque Universitas denegassent tradere tale testimonium, & consensum utpote nihilominus ex præmissis ad evidentiam injustè denegatum Sacrum Tribunal, quod vigore celebris *Clementinæ Auditor de rescript.* gerit figuram Superioris etiam Episcoporum, & majori quoque auctoritate fulgentium, rectè valuissent respondere, quodlibet testimonium, & consensum in præsenti casu habendum fore pro præstito ad terminos familiares, & continuò similis practicati remedii in subselliis Iudicantium, uti connotarunt *Abb. in cap. Cum dilectus de Jurepatr. Card. de Luca de servit. disc.* 107. *num.* 7. *& de dot. disc.* 1. *num.* 18. *& de Jurepatr. disc.* 44. *num.* 3. *& de Canon. disc.* 1. *num.* 9. *Rota coram Mantic. decis.* 238. *num.* 4. *coram Gregor. decis.* 117. *num.* 8. *& 9.*

Atque ita à primo ad ultimum eversis omnibus objicibus absolutè Domini rescripserunt: *Procedendum esse ad legitimam executionem.*

Utraque.

ARGUMENTUM.

Reservato Jurepatronatus passivo favore Civium alicujus Civitatis, an præsentatio facta de Clerico Territoriali in concursu Clerici Civitatensis substineatur?

SUMMARIUM.

1 *Territorium est pars subjectiva Civitatis.*

2 *Nomine Civitatis, aut Civium, an, & quando veniant Territorium, & Comitatenses, seu Territoriales? & num.* 10. *&* 13.

3 *Concessa alicui Jurisdictione, an hæc etiam extendatur ad ipsius castra? & num.* 14.

4 *Electio, aut Collatio facta extraneo in concursu Originarii, an, & quando substineatur? & num.* 15. *&* 23.

5 *Præsentatio facta de Territoriali ad exclusionem Originarii de Jure communi non est irritanda, secus si concurrat contraria lex fundationis, & observantia, ut num.* 6. *&* 12.

7 *Lex fundationis est omninò servanda.*

8 *Fundator vocatione Civium ad Jus-patronatus passivum præsumitur vocasse Cives originarios, propriæ Patriæ.*

9 *Cives Originarii magis diligunt Ecclesiam, ex qua sunt, quam extranei.*

11 *In rescriptis ad Beneficia appellatione Civitatis non comprehenditur Diœcesis.*

16 *Reservato Jurepatronatus passivo favore Civis alicujus Terræ, ac Filii Civis ejusdem Terræ, an ad validam præsentationem requiratur utraque qualitas, nempe Civilitas propria, & Paterna.*

17 *Copula* Et, *genus, & speciem non ampliat, sed declarat.*

18 *Erecta Communia pro omnibus Presbiteris, an Presbiteri tam Territoriales, quam Comitatenses sint indistinctè ad illa admittendi?*

19 Re-

19 *Refertur resolutio Sacræ Congregationis Concilii in* Imolen. Consortii.

20 *An Pontifex ex gratia soleat concedere Beneficium reservatum pro Originariis alicui non Originario; refertur resolutio Sac. Congregationis Concilii in* Taurinen. Commutationis voluntatis.

21 *Papa rarissimè solet derogare Legi Fundationis.*

22 *Refertur decisio S. Rotæ in Burgen. Beneficii, seu Portionis de Greailla.*

24 *Stante lege fundationis, Beneficium adjudicandum est Originario, & Patrimoniali ad exclusionem extranei non obstante, quòd iste sit magis idoneus.*

25 *Ad acquirendam Civilitatem, seu Patrimonialitatem alicujus loci, quid requiritur?*

26 *Animus perpetuò permanendi, & numquam recedendi à loco, ex quibus conjecturis resultet? & 27. & seqq.*

CASUS XVIII.

QUidam Fundator fundavit, ac dotavit Beneficium in quadam Ecclesia Civitatis A, reservando Juspatronatus activum favore Caii ejusque descendentium; Jus verò Patronatus passivum expressè favore Civium ejusdem Civitatis. Succedente vacatione præfati Beneficii, Cajus Patronus præsentavit ad illud Clericum Territorialem, seu Comitatensem ad exclusionem Clerici Civitatensis, quæritur an hujusmodi Præsentatio sit valida?

1 Et videtur respondendum affirmativè; Quoniam cum Territorium sit pars subjectiva Civitatis, & sub eisdem legibus gubernetur, & regatur, nec non sit accessorium, & unum cum Civitate ratione conjunctionis, necessitatis, & uniformationis juxta *Text. in Leg. Insulæ ff. ad Muni*; sequitur, quòd Iuspatronatus passivum concessum Clericis Civitatensibus, intelligatur etiam concessum Clericis Territorialibus, ita ut vacante Beneficio, indistinctè præsentari possint à Patrono tam Clerici de Civitate, quàm Clerici de Territorio juxta notam regulam, quòd accessorium sequitur Principale, ac dispositionem ipsius, *cap. Accessorium de reg. Jur. in 6.* & quòd nomine Civium veniunt etiam Comitatenses, & Territoriales, ut ad invicem communicentur munera, & honores juxta dispositionem *Textus in Leg. Qui ex vice ff. ad municip. Leg. Uxorem 39. §. Legaverat ff. de leg. 3.*

2

Quòd comprobatur duplici paritate, primò; quia concessa alicui Iurisdictione Civitatis, hæc extenditur etiam ad ipsius Castra ad *Text. in Leg. 1. §. Cui urbem ff. de offic. præfect. Urbis*, ergo etiam concesso Iurepatronatus passivo Civibus Civitatis A. hoc extendi debet etiam ad Territoriales. Secundò, quia licèt de Iure communi indigenæ sint exteris præferendi, tamen si eligatur extraneus, aut Beneficium sibi conferatur valet, & tenet electio, aut Collatio *Garzias de Benefic. part. 7. cap. 9. numer. 7.* Ergo etiam licèt Civis Originarius, & Civitatensis sit de Iure præferendus Territoriali, tamen tenebit præsentatio facta de Clerico Territoriali, etiam in concursu Clerici Civitatensis.

3

4

His tamen non obstantibus contrarium de Iure censeo respondendum. Certum est enim, quòd attenta præcisè sola dispositione Iuris communis præsentatio facta de Territoriali ad exclusionem Originarii, seu Civitatensis non est irritanda, quia non de necessitate, sed de honestate Originarius præferendus est extraneo juxta *Rot. decis. 413. num. 1. par. 1. diverf.* & juxta resolutionem Sacræ Congregationis Concilii *in Calaguritana Beneficiorum 30. Septembris 1702. inferiùs legen. Parte II. Can. III. Cas.* Sed in casu præsenti præsentatio facta de Clerico Territoriali existentibus Clericis Civitatensibus est nulla, & irritanda, quia de necessitate est præsentandus Clericus Civitatensis, tum ex lege fundationis, & ex præsumpta mente Fundatoris, tum Ratione.

5

Et quidem Lex Fundationis vacante Beneficio mandat præsentari ad illud taxativè Clericum Civem Civitatis A. qua stante non potest Patronus ei contravenire, & præsentare Clericum Territorialem existente Clerico Civitatensi, nec ille potest æquo Iure, & indistinctè concur-

6

currere cum isto ad Beneficium, sed solùm prout de Iure, scilicet in defectum Clerici Civitatensis; itaut si Patronus præsentet Clericum Territorialem in concursu Clerici Civitatensis hujusmodi Præsentatio est nulla, & irritanda, utpote contraria legi Fundationis, quæ omnino est servanda juxta *Text. in cap. Is, cui de præben. in 6. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de Reformat. Rota in Barchinonen. Beneficii 26. Junii 1705. coram Illustrissimo Gubernatore Urbis.*

8 Cui legi fundationis uniformatur præsumpta mens Fundatoris, qui cum esset Civis Originarius Civitatis A. ratione præsumptæ affectionis, tum respectu propriæ patriæ, tum Beneficii in reservatione Iurispatronatus passivi favore Civium ejusdem Civitatis intelligitur vocasse Cives proprii Loci, nec ullum habuisse respectum ad Territoriales, juxta *Bartol. in Leg. 2. num. 4. in fine, vers. Præterea ff. de verb. signific. Menoch. cons. 498. num. 34. & seq.* Optimè sciens, quòd cùm Cives Originarii magis diligant Ec-
9 clesiam, & Patriam, ex qua sunt, quàm extranei diligentius incumberent Ecclesiæ bono procurando, ac facilius inducerentur ad residentiam, quàm extranei. *Passerin. de Election. cap. 25. numer. 650. Garz. de Benef. par. 7. cap. 9. num. 7.*

Ratio autem est, quia distinguendum est inter dispositionem Iuris communis,
10 aut Constitutiones, & dispositionem particularium, inter materiam favorabilem, seu largam, & materiam strictam, & odiosam, inter honores, munera, quæ ipsamet Civitas dispensat, & honores, & munera, quæ ex particularium Beneficientia proveniunt: Licet enim nomine, & appellatione Civitatis veniat Territorium, & quicquid conceditur Civitati, intelligatur concessum in dispositione Iuris communis, aut Constitutionis, in materia favorabili, & larga, & quoad honores, & munera, quæ ipsamet Civitas elargitur; tamen in dispositione particularium in materia stricta, & odiosa, & quoad honores, & munera, quæ ex Beneficentia particularium proveniunt nomine, & appellatione Civitatis non venit Territorium, sed solum id, quod est intra mœnia juxta Doctrinam *Bartol. in Leg. Urbis ff. de verb. significat. Burbal. in cap. Rodulphus de rescript. num. 27. 32. 41. & 46. Imol. in cap. final. de præben. nu. 5. Dec. cons. 283. num. 10. & cons. 457. num. 14. Rimin. jun. cons. 23. num. 137. & cons. 56. num. 45.* Et sic in rescriptis ad
11 Beneficia appellatione Civitatis non comprehenditur Diœcesis, *Imol. in cap. final. de Præbend. num. 5. Felin. in dicto cap. Rodulphus de Præscript. num. 4. & 9.* Et si quis impetrat primam vacaturam in Civitate nomine Civitatis non continetur Ecclesia Ruralis *Barbat. in dicto cap. Rodulphus num. 32.*

Unde cum in præsentiarum Iuspatronatus passivum sit concessum Civibus Civitatis A. non ex dispositione Iuris communis, aut Constitutionis, nec ab ipsamet Civitate, sed solùm ex dispositione particulari Fundatoris, & versemur in materia stricta, ita ut tenderet in præjudicium Cleri Civitatensis, si dictum Iuspatronatus passivum æquo Iure extenderetur ad Clerum Territorialem, sequitur, quòd idem Iuspatronatus non intelligatur indistinctè concessum etiam Clericis Territorialibus, nec isti præsentari possint existentibus Clericis Civitatensibus, & si fieret de illis præsentatio, hæc esset nulla, utpote facta contra legem, & mentem fundatoris ex supradictis, quæ cum de Clericis Territorialibus, nihil dicat, nec nos dicere debemus, *Bald. in cap. Rodulphus de Rescript. num. 3. & seqq.*

Fortius autem præsentari non possent
12 Clerici Territoriales, & Præsentatio esset nulla existentibus Clericis Civitatensibus, si concurreret observantia præcisa præsentandi Clericos Civitatis ad exclusionem Territorialium, quæ observantia plurimum roboris in Iure obtinet, ad effectum interpretandi legem fundationis, & mentem Fundatoris *Card. de Luca de Benefic. disc. 27. num. 17. Rota decis. 134. num. 12. & decis. 695. num. 17. par. 18. & decis. 631. numer. 15. part. 13. recent. & in Barchinonen. Decimarum 27. Junii 1704. §. Unicus obstat coram bo. me. Muto.*

Non obstant ex adverso superius deducta, quoniam quamvis Territorium sit accessorium, & pars subjectiva Civi-

tatis,

vitatis, & sub eisdem legibus gubernetur, tamen semper certum est, quòd sit separatum à Civitate, & quod Civitas, & Territorium separata corpora sint adeò-
13que in dispositione particularium, & in materia stricta expressio unius non includit alium, nec de uno ad alium inferri potest, nec nomine Civium veniunt Comitatenses, & Territoriales ad *Text. in Leg. Si autem, ff. de accept. Leg. Si unus, §. In summa ff. de pact. Leg. Si maritus, C. de donat. inter vir. & uxor. & ad Text. in cap. 1. de Consecr. Eccles. vel Altar. in 6. Barbat. in dicto cap. Rodulphus de rescript. num. 62.*

14 Pariter non relevat prima Paritas, quoniam illa procedit quoad Jurisdictionem Ordinariam, quæ non dividit se à sua integritate, secus quoad Iurisdictionem Delegatam *Bald. in dicto cap. Rodulphus de rescript. num. 6.* immo quoad hanc potius retorquetur, sicuti enim concessa alicui Jurisdictione delegata Civitatis, hæc non extenditur ad Castra, ita concesso Jure Patronatus passivo Civibus Civitatis, illud extendi non potest æquo Jure ad Territoriales, cum sit materia stricta, cujus extensio tendit in prejudicium Civitatensium.

15 Minusque adversatur secunda, quia illa procedit de Jure communi, secundum quod electio, aut Collatio Beneficii facta extraneo in concursu Originarii valet, non obstante quod de Jure Originarius sit præferendus extero; secus quando resistit lex fundationis, aut mens fundatoris, aut aliqua constitutio, aut consuetudo tunc enim collatio Beneficii facta extraneo non substineretur, sed Beneficium adjudicandum est habenti Patrimonialitatem, vel Civilitatem loci in quo situm est juxta *Rot. in Burgen. Beneficii, seu Portionis de Gredilla 17. Feb. 1702. coram R. P. D. Muto inferiùs legen. num. 23.*

16 Quæro hîc si Fundator disposuerit, quòd esset præsentandus ad Beneficium Civis Terræ A, ac Filius Civis ejusdem Terræ, an ad validam præsentationem requiratur utraque qualitas, nempe Civilitas propria, ac Civilitas Paterna?

Censeo non requiri copulativè utramque qualitatem, sed sufficere alternativè unam ex illis, dum illa dictio *ac* videtur stare alternativè, & non copulativè, quia dispositio prohibitiva negativè concepta non requirit concursum utriusque copulati, cum sufficiat alterum adesse *Leg. Si quis ita stipulatus fuerit ff. de verb. obligat. Alex. cons. 25. num. 4. lib. 7.* Et quia quando duo copulantur principaliter propter se,
17non requiritur concursus utriusque copulati dum copula, & posita genus, & speciem non ampliat, sed declarat. *Rot. decis. 366. num. 2. par. 2. divers.* sed sufficit alterum adesse, quia copula stat pro disjunctiva, ut in terminis Indulti Gregorii XIII. concessi Bononiensibus, ut Archiepiscopus conferre debeat Beneficia Civibus, ac Civium Bononiensium filiis non requiri copulativè, utramque qualitatem, sed sufficere esse Civem, vel Filium Civis Bononiensis firmavit *Rot. decis. 1523. nu. 2. & seqq. coram Penia.* Et si disponeretur, quod Cives, & habitatores fruerentur privilegiis, sufficere esse Cives, vel habitatores dixit *Roland. cons. 79. num. 21. lib. 3.*

Quæro secundò si Fundator relinquat
18bona propria Uni communiæ pro omnibus Presbiteris instituendæ in Ecclesia Civitatis A. an tam Presbiteri Territoriales, quam Civitatenses essent indistinctè, & æquo Jure admittendi ad dictam Communiam.

Respondeo affirmativè, quia Lex fundationis invitat ad dictam Communiam omnes Presbiteros absque ulla distinctione, & differentia inter Presbiteros Territoriales, & Civitatenses, & consequenter invitasse fateri debemus Presbiteros, etiam Territoriales, cum hoc importet natura Vocationis Presbiterorum absque alia restrictione, ut in præcisis terminis firmavit *Rot. decis. 710. num. 4. & decisione 729. num. 4. §. Quod magis, coram Manzanedo.*

Eoque magis si adesset observantia admittendi ad dictam Communiam etiam Territoriales, isti admittendi essent, cum observantia sit optima legum interpres, ut supra diximus *num. 15.* à qua proinde non est recedendum.

Quòd procedit etiam si Presbiteri Civitatenses condidissent statutum exclusivum Territorialium, & requirens Civilitatem propriam ad effectum admissionis ad dictam Communiam. Quoniam post Jus quæsitum in vim legis fundationis

omni-

omnibus Territorialibus absque dicta qualitate non licebat Civitatensibus addere novam legem, per quam non habentes dictam qualitatem excluduntur. *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 9. numer. 68. & 69. Rot. decis. 518. num. 4. coram Merlin. & decis. 47. num. 2. par. 2. recent.* Et prædictum statutum tamquam illicitum, ambitiosum, & omninò nullum non est attendendum, nec tenet juxta *Text. in cap. Ad decorem de Instit.* etiamsi fuisset confirmatum ab Episcopo, quia sicuti Episcopus non potest statuere contra Ius, ita nec potest statutum contra Jus latum confirmare, ut in his terminis dixit *Rot. ubi supra coram Manzanedo*.

Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Imolen. Consortii* 4. *Maii* 1715. ubi expositum fuit, quòd in Oppido Massæ Lombardorum erectum comperitur Sacerdotum Consortium, qui pro rata inter se distributis proventibus, divina officia dietim in choro celebrant, ac nonnulla Missarum onera respectivè exequuntur. Primam ejusmodi Consortium Originem habuisse asseritur jam sub anno 1489. ea dispositione Christophori Mazzini, qui expressa bona reliquit. *Uni Communiæ pro omnibus Presbiteris instituendæ in Ecclesia S. Pauli de dicta Terra Massæ*, ut legitur in postremo elogio exarato in villa Massæ Lombardorum sub quarterio Bolognani; Aliis verò ad pium opus concurrentibus Benefactoribus, sub anno 1518. formiter erectum fuit id consortium Ordinarii auctoritate pro Clero Massæ, nonnullis approbatis statutis, & constitutionibus, quæ modo incognita dicuntur. Nuper verò cum consortiales excipere recusaverint Sacerdotem Antonium Tellarinum ortum prope, sed extra Massam; Controversiæ argumentum excitatum fuit, numquid Presbyteri Originarii ex Oppido Massæ admitti tantùm debeant ad participationem ejusce Consortii, sive etiam idem Jus habeant Sacerdotes Territoriales jamdicti Oppidi, ita quod recipi in consortio debeant, eo prorsus modo quo cooptantur Oriundi Cives? Pro reportanda igitur Decisione ejusmodi dubiorum, expositis in hac Sacra Congregatione humilibus precibus juxta morem desuper auditus fuit Eminentissimus Episcopus, qui numper redditis litteris, sedulò ad rem significavit, non semel variatum fuisse quoad aggregationem Sacerdotum in ejusmodi consortio. Primum namque, ut ipse Eminentissimus Relator prosequitur, alienigenæ prorsus excludebantur ex Statutis editis anno 1606. deinde sub anno 1648. ejusmodi mos reformatus fuit, ac diversimodè præscripta fuit ab Episcopo Coccino admissio Sacerdotum ex Oppido Massæ aliorumque, qui in Territorio natale solum habuerunt sub hac forma; *Utque in ipsomet Oppido orti essent, absolutè admitterentur, dummodo duplicem, probarent originem propriam, & paternam. Cæteri verò nati in Territorio admitti quidem possent, sed dummodo reperti fuissent idonei, & virtute præditi, ac per fabas albas, & nigras à majori parte præsentium reciperentur.* Anno verò decurrente 1653. quo san. mem. Alexander VII. in minoribus clavum hujus Ecclesiæ Imolensis gerebat, Vicarius Generalis in obsequium ejus specialis Oraculi, iterum statuta hujusce consortii declaravit, sive reformavit, sublata præcæteris enarrata clausula, quam Sacerdotes de Territorio per fabas albas, & nigras admitterentur, firmavitque, quòd quilibet Sacerdos in Territorio natus admitti debeat, dummodo idoneus, ac virtute præditus, idque successivè confirmavit Cardinalis Donghius Episcopus Successor de anno 1657. Summopere autem advertendum, inquit Eminentissimus prælaudatus Relator, quòd Constitutiones, quæ per consortiales circumferuntur typis impressæ, minus fideliter recensentur in eisque prætermittitur ultimo narrata reformatio; deinde contradictorum Jura, & rationes distinctè, ac sedulò recenset, quæ hic consulto omittuntur, cum in memorialibus circumferendis latè exponantur. Neque tamen est prætereundum, quòd idem Eminentissimus Relator exponit, videlicet ad hoc consortium, seu participationem admitti in præsenti solere absque ullo suffragiorum scrutinio, & absque Ordinarii Institutione, quotquot promoti sunt ad Sacerdotium ex dicto Oppido Massæ, ita ut major, & minor sit pro temporum diversitate consortialium numerus, qui in præsenti 27. adnumerantur, ac singuli participant annuatim summam scut. 30. circiter.

Quo

Quo stante propositum fuit dubium: *An Presbiteri Territoriales Massæ Lombardorum sint indistinctè admittendi ad Communiam Ecclesiæ Parochialis S. Pauli eodem scilicet modo, quo admittuntur Presbiteri Originarii ejusdem Terræ in Casu &c.* Et Sacra Congregatio respondit: *Affirmativè.*

20 An autem Pontifex soleat derogare Dispositioni Fundatoris disponentis Beneficium conferri Originariis certi loci, & illud conferre alicui non originario, qui sit consanguineus Patroni, & reperiuntur in summa egestate?

Sacra Congregatio Concilii *in Taurinen. Commutationis Voluntatis 3. Augusti* 1715. rescripsit ex gratia posse concedi Beneficium reservatum pro Originariis certi loci consanguineo Patroni non originario, & in egestate existenti.

Expositum enim fuit ibi, quòd ab anno 1688. Sacerdos Sylvester Bonettus simplex Beneficium erexit in Cappella S. Silvestri Ecclesiæ Parochialis Publiciarum cum onere Missarum quatuor Hebdomadalium cujus Juspatronatus sibi pro unica vice præsentavit, deinde attribuit Joanni Ferrerio ejusque Hæredibus, & Successoribus in perpetuum, quos hæredes in ultimis Tabulis sibi pius disponens instituit, *ita tamen, & taliter, quod nominetur, & præsentetur ad dictum Beneficium Sacerdos Originarius loci dicti Publiciarum*, quemadmodum legitur in Instrumento fundationis. Per obitum ultimi Possessoris, vacante ejusmodi Beneficio, & Andreas Ferrerius unicus Patronus nuper Ordinario præsentavit Jo: Petrum Ferrerium Sacerdotem Taurinengem fratrem Germanum, qui ex honesta, & nobili familia progenitus, ad eo tamen ob recens Bellum in extremam redactus, est miseriam, ut sibi ipsi, & tribus Sororibus in ætate nubili constitutis propriis labore, & industria victum in diem parare cogatur; qua de re mox dictus Sacerdos preces exposuit in Dataria Apostolica, pro consecutione præmemorati Beneficii annui reddit. Duc. 50. auri de Camera, prævia derogatione voluntatis Testatoris. Remissis precibus ad Sacram Congregationem, requisita desuper fuit consueta Informatio, ac præsertim num in Loco Publiciarum habiles reperiantur Sacerdotes, an ne Orator sanguinis propinquitate pium Fundatorem attingat. Ordinarius igitur morem gerendo, retulit, quòd octo numerantur in Oppido Publiciarum Sacerdotes, quorum tres sunt Beneficiati, reliqui verò sine Beneficio, omnes Oriundi, & habiles; subtexuit Jo: Petrum Ferrerium Oratorem Fundatori non esse Propinquum, ortum tamen habuisse ab hærede instituto; adeò ut præsumi possit prædilectus; potissimùm in extrema pauperie, qua laborat. Relatis precibus per Summarium sub die prima Septembris, ac sub die prima Decembris anni pridem effluxi, semel, iterumque minus propitium Oraculum Orator reportavit qui tamen ex paupertatis stimulo non acquiescens, denuò Benignitatem EE. PP. imploravit in Congregatione diei 13. Aprilis 1715. qui dignati sunt rescribere, quòd preces describerentur in folio, & interim remitterentur pro meliori informatione super paupertate Oratoris, ejusque Domesticorum, adeò quòd petere Jure posset à Beneficiato alimenta. Non dubitat itaque Ordinarius asseverare, quòd talis comperitur Oratoris, ac ejus Familiæ egestas, & inopia, ut extrema dici possit, ac in ejusmodi infelici statu, adeò miserabiles versantur tres puellæ, quæ à nobilitate, forma, ac honestate commendantur, ut nonnisi ab earum Fratre Oratore, qui Beneficium fuerit consecutus, alimenta meritò, ac justè percipere possint, ac valeant. Unde proposito dubio: *An, & quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in Casu &c.* Sacra Congregatio respondit: *Pro Gratia in forma Commissaria.*

Ego verò negativè respondendum censebam ductus ea ratione, quia agebatur in hoc Casu de fundatione Beneficii facta inter vivos per pium Fundatorem, reservando Juspatronatus activum favore extranei cum expressa conditione, quòd nominetur, & præsentetur ad dictum Beneficium Sacerdos Originarius Loci Publiciarum; ex quo elicitur non esse in his terminis concessibilem gratiam petitam, ut Beneficium ei adjudicetur; tum quia
21 non agitur de ultima voluntate, in qua solet Papa derogare; sed de lege Fundationis, cui rarissimè Papa solet derogare, *Corrad. in prax. Benef. lib. 2. cap. 10. numer. 53.*

mer. 53. Fagnan. in cap. Ratum num. 22. & seq. ne Cler. vel Monach. tum quia agitur in præjudicium habentium qualitatem cum plures sint Sacerdotes Originarii. *Fagnan. in cap. Virum num. 34. de Regul.* Sed quia Orator est Egenus, & Patronus, cui proinde debentur alimenta, ut dixi supra *in Can. III.* dicebam posse reservare aliquam Pensionem favore Oratoris, cum Beneficium sit pingue, & redditus ascendant ad scut. 100.

22 Vacata per obitum Antonii Diaz de Boccanegra integra Portione in Parochiali Ecclesia loci de Gradilla fuit ab Ordinario Burgen. indictus Concursus, & præfixus concurrentibus terminus ad probandam eorum Patrimonialitatem, juxta præscriptum Constitutionum Synodalium, & consuetudinis inveteratæ, juxta quem terminum deductis à Baccalaureo Francisco de Boccanegra, & ab Angelo Rodriquez de Villalobos probationibus ad hunc effectum necessariis, fuit iste ab Examinatoribus Synodalibus uti magis habilis renunciatus cum successiva declaratione per sententiam facta à Vicario super utriusque Patrimonialitate, à qua interposita per Franciscum appellatione, Causæque contentione ad nostrum Tribunal delata, mihique Commissione directa, consulti DD. *An, & cui sit adjudicandum Beneficium?* & prodiit responsum pro Francisco informante.

23 Stetit resolutionis fundamentum in dispositione Constitutionum Synodalium, & antiquæ consuetudinis Diœcesis Burgen. uniformiter requirentium pro assecutione Beneficiorum Patrimonialitatem, vel Civilitatem loci, in quo Beneficia sita sunt, ut testatur *Rota coram Cassador. decis. 18. num. 1. de Præbend. Peutinger. decis. 415. num. 1. & 2. Manzaned. decis. 844. num. 1. Dunoz. Jun. decis. 182. numer. 2. Bich. decis. 663. num. 1. & in Recentior. decis. 216. in princip. par. 12. & decis. 115. numer. 1. par. 19.* Cumque Portio, de qua agitur, sita sit in loco de Gredilla, & abunde justificatum fuerit, Franciscum esse filium Patrimonialem ejusdem Loci, & idoneum, sequitur, quòd eidem requisitis qualitatibus pollenti adjudicari debeat, ut firmat *Rota coram san. mem. Alexandro VIII. decis. 123. num. 4. & 5. & decis. 264. num. 2. Peutinger. decis. 394. num. 1. Cels. dec. 198. num. 1. & in Recent. decis. 115. num. 2. & 3. par. 18. & in Calaguritana Quarti Beneficii 2. Decembris 1697. §. Quo verò coram R. P. D. meo Lancetta*; Et in puncto hujus Constitutionis Synodalis Burgen. *Rota coram Dunoz. Jun. dicta decis. 128. num. 2. Manzaned. decis. 844. num. 2. & in recen. decis. 116. num. 3. par. 12.*

24 Non obstat, quòd Angelus Rodriquez fuerit declaratus magis idoneus ab Examinatoribus, ideòque eidem uti magis qualificato Portio debeat adjudicari; objectum enim procederet quoties ad assequendum Beneficium habilitas tantùm sufficeret, sed cùm ultra hanc qualitatem ex particularibus Constitutionibus Ecclesiæ Burgen. requiratur, quòd Oppositor habeat Patrimonialitatem, qua Angelus caret; utique huic Beneficium, seu Portio adjudicari non valet, sed Francisco, in quo ista, aliæque omnes qualitates concurrunt, *Rota coram Royas decis. 289. num. 2. Peutinger. decis. 241. num. 2. & 3. & dicta decis. 294. num. 2. & decis. 259. num. eodem, coram san. mem. Alex. VIII. decis. 86. num. 4. decis. 123. num. 6. & decis. 267. num. 1. & in Recentior. decis. 364. num. 3. par. 10. decis. 295. num. 6. par. 11. in Calaguritana Beneficii de Ocon 23. Februarii 1693. §. Optime coram R. P. D. meo Priolo, & in Calaguritana Quarti Beneficii 16. Februarii 1699. §. Inter has, & seq. coram R. P. D. meo Lancetta.*

Neque valet desumi Patrimonialitas Angeli ex eo, quòd ejus Avus, & Avia à loco de Sedano propria Patria ad illum de Gredilla se contulerint ad habitandum, & convivendum cum Petro filio, ubi Beneficium curatum assequutum fuerat; quandoquidem ad hoc, ut quis Civilitatem,

25 sive Patrimonialitatem alicujus loci acquirat ultra habitationem, necessariò requiritur ejusdem animus numquam recedendi, ibidemque perpetuò permanendi, juxta *Text. in L. Cives Cod. de Incol. lib. 10. Gratian. discept. 599. num. 6. Andreol. controv. 239. num. 39. & sub num. 42. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 2. alleg. 4. sub num. 24. vers. Et ut aliquis, Altimar. ad Rovit. cons. 48. num. 32. lib. 1. Acfolin. resol. 8. num. 20. Carleval. de Judic. lib. 1. tit. 1. quæst. 2. num. 12. Sanchez de Matrimon.*

mon. lib. 3. dispnt. 23. num. 1. & 2. tom. 2. Antonell. de Temp. legal. lib. 2. cap. 75. numer. 5. Rota coram Merlin. decis. 866. sub num. 11. Gregor. decis. 279. num. 12. coram Ottob. decis. 145. numer. 30. & decis. 150. num. 5. par. 2. divers. Cumque ex infra dicendis constet præfatos Avium, & Aviam Angeli se contulisse ad locum de Gredilla, non animo ibidem perpetuò permanendi, sed potius accidentaliter, & ex temporali causa, sequitur, quòd sicut deficiente dicto eorum animo domicilium, ac civilitatem acquirere non potuerunt, etiamsi per longissimum tempus ibidem habitassent, *Leg. Nihil 23. ff. de Captivis, Amaya in Leg. Cives 7. sub numer. 99. Cod. de Incolis lib. 10. Gratian. discept. 181. num. 2. cum seqq. & dicta discept. 569. num. 6. Altograd. cons. 93. n. 24. vol. 1. Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. dicta alleg. 4. num. 25. & 29. Noguerol. allegat. 12. sub nu. 172. Otter. de Pascuis cap. 4. num. 27. Antonell. de Temp. legal. lib. 2. dicto cap. 75. sub dicto num. 5. Adden. ad Greg. decis. 279. num. 26. Rota coram Merlin. dicta decis. 866. num. 11. coram Ottob. dicta decis. 145. num. 29. in recen. dec. 436. num. 16. par. 5.* Ita nec dictus Angelus ex illorum persona Patrimonialitatem prætendere potest, sed habetur tamquam Civis, sive Patrimonialis loci de Sedano, in quo Avus, & Pater domicilium habebant, semperque retinuerunt *Leg. Cives Cod. de Incol. lib. 10. Roland. cons. 68. num. 51. lib. 3. Actolin. dicta resolut. 8. numer. 100. Rota divers. decis. 150. num. 5. par. 2. coram Greg. decis. 279. num. 16. 17. & 18. coram Merlin. decis. 63. numer. 16. & 17. coram Ottobon. decis. 89. nam. 9. & in Recent. decis. 364. num. 8. decis. 436. numer. 17. par. 5.*

Quòd autem dicti Avus, & Avia Angeli animum perpetuò permanendi, ac
26 numquam recedendi à loco de Gredilla non habuerint, resultat ex pluribus Conjecturis, quarum prima elicitur ex eo, quòd licèt illi se contulerint ad dictum locum de Gredilla attamen familiam, & bona in loco de Sedano propria Patria reliquerunt *Summar. num. 6. litt. E. & L.* Immo postquam in Matrimonium collocarunt unum ex eorum filiis in loco de Gredilla, statim illum Sedanum versus miserunt, *dicto Summ. num. 6. litt. E. &c.* quo apertè convincitur ipsos non habuisse animum in dicto loco de Gredilla permanendi, & Civilitatem acquirendi, nam quemadmodum ex translatione bonorum, & familiæ à loco Originis ad illum, ubi quis domicilium contrahere vult, arguitur ejusdem animus ibidem continuò commorandi, ut animadvertit *Barbos. de Offic. & potest. Episcop. par. 2. dicta allegat. 4. num. 27. Actolin. dicta resolut. 8. sub num. 20. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 42. num. 14. Penia in ejus Voto impresso penes Fenzon. ad stat. Urbis lib. 1. cap. 4. num. 14. & 25.* Sic etiam ex retentione bonorum in loco Originis, & familiæ, & ex non facta illorum translatione ad locum habitationis, excluditur animus perpetuò ibidem habitationem continuandi, sed domicilium continuari dicitur, ubi familia, & bona retinentur, ut in specie de retentione familiæ, *Altimar. ad Rovit. dicto cons. 48. num. 34. in fine, Sanselici decis. 68. num. 19. & 20.* de retentione bonorum *Actolin. resolut. 76. num. 16. Afflict. decis. 384. num. 5. Rota coram Dunoz. Jun. decis. 742. num. 6. in fine, coram Ottobon. dicta decis. 145. nu. 34. Buratt. dec. 244. num. 3. in recent. dec. 364. num. 5. par. 5.* & de utraque *Rot. in Nepesina legitimæ 26. Aprilis 1697. §. Neque ex eo coram Me.*

Secunda desumitur, ex quo habitatio
27 fuit ex Causa temporanea, & accidentali, scilicet ad effectum convivendi cum filio, qui Beneficium Curatum in loco de Gredilla obtinuerat, & ad effectum colendi bona ejusdem Beneficii, qua causa cessante per obitum Beneficiati, vel assequutionis alterius Beneficii Avus, & Avia habitare verisimiliter destitissent, & consequenter ex hac habitatione accidentali, & temporanea nullum contrahere potuerunt domicilium, ut notat *Gratian. dicta discept. 181. num. 4. & 5. de Luca de Succes. disc. 20. num. 6. de Canon. disc. 21. num. 4. Sanchez de Matrim. lib. 3: dicta disp. 23. sub num. 9. 11. & 12. Rota decis. 188. num. 1. part. 2. decis. 364. num. 4. part. 5. decis. 312. num. 17. par. 9. recentior.* & in puncto similis Patrimonialitatis *coram Ottobon. dicta decis. 89. num. 9.*

28 Tertia promanat, ex quo iidem Avus, & Avia Angeli toto tempore, quo in dicto loco de Gredilla habitarunt nihil prorsus acquisiverunt, nec emptiones stabilium, vel domorum fecerunt, quòd ostendunt animum non habuisse deserendi Originarium domicilium loci de Sedano, illudque contrahendi in dicto loco de Gredilla *Rot.cor. Ottob. dicta decis.* 145. *num.* 31.

Quarta depromitur ex eo, quòd cum
29 Joannes Avus Angeli quemdam Puerum in Sacro Fonte Baptismatis levaverit, passus est se describi à Curato, qui erat suus filius Incolam loci de Sedano; quæ descriptio facta à filio cum scientia, & præsentia Patris istius animum ostendit retinendi domicilium illius loci, de quo se denominavit, ut in specie respondit *Rota post Merlin. de legit. decis.* 154. *numer.* 4. *& decis.* 164. *num.* 8. *utrobique in fine, juxta ultim. impression. coram Merlin. decis.* 866. *num.* 11. *in fine coram Dunoz. Jun. decis.* 743. *num.* 7. *vers. Quem tamen animum in fin.*

30 Quinta elicitur ex depositione nonnullorum Testium deponentium Avum ejusdem Angeli nunquam fuisse admissum ad onera, & honores Civibus dicti loci de Gredilla spectantes, nec tanquam Civem ejusdem loci ab aliquo habitum, & reputatum fuisse *Summ. num.* 8. Quòd pariter arguit ejusdem animum alienum à Domicilio, & Civitate contrahenda, ad quem effectum requiritur onerum, & munerum Civitatis sopportatio per ea, quæ tradit *Laderch. consil.* 74. *numer.* 51. *Ciuffittus Lautius inter Consilia Criminalia divers. consil.* 7. *numer.* 2. *tomo* 2. *Gratian. dicta discept.* 181. *num.* 21. & 22. *Actolin. resolut.* 8. *n.* 89. *Afflict. dicta dec.* 384. *num.* 7. *Rota coram Dunoz. Jun. dec.* 743. *num.* 9.

Neque officiunt depositiones nonnullorum Testium ex parte Angeli examinatorum contrarium asserentium, quippe, vel illi deponunt de re gesta tempore quo decem annos agebant, sicque inhabiles sunt ad testificandum *Trivisan. decis.* 49. *num.* 23. *lib.* 2. *Rota in Recent. decis.* 361. *num.* 21. *par.* 10.

Vel conquassantur ab aliis Testibus numero, & qualitate majoribus, qui præferendi sunt illis Angeli, nedum quia isti plures exceptiones personales patiuntur; Verùm etiam quia cum onus probandi translationem domicilii incumbat Angelo sufficit ipsius intentionem, quomodocumque offuscari à Testibus contrariis, ad hoc, ut probationem non faciant *Rota in Recent. decis.* 158. *num.* 3. *par.* 10. *decis.* 126. *num.* 11. *part.* 16. *& decis.* 297. *num.* 33. *par.* 19. *& in Asculana Dotis* 28. *Junii* 1700. §. *Etenim*, & 29. *Aprilis* 1701. §. *Eoque certius coram R.P.D. meo Fio.*

Et ita unica tamen parte &c.

ARGUMENTUM.

In casu, quo Juspatronatus spectet ad Infantem, & Pupillum; Præsentatio, ad quem spectet?

SUMMARIUM.

1 *Infans non potest præsentare, sed præsentatio facienda est à Tutore, tutorio Nomine.*
2 *Infans parum, vel nihil differt à furioso.*
3 *Præsentatione obligatur Persona, & Anima.*
4 *Pupillus an præsentare possit absque auctoritate Tutoris, & num.* 5.?
6 *Tutor potest præsentare ad Beneficium vacans de Jurepatronatus Pupilli.*
7 *Præsentatus à Tutore an præferendus sit præsentato postea à Pupillo.*
8 *Tutor, ut possit præsentare, sufficit, quod communiter reputetur Tutor.*

CASUS XIX.

SPectante Iurepatronatus ad Infantem, & Pupillum. Quæritur an præsentatio spectet ad illos, vel potiùs ad eorum Tutores, vel Curatores?

Respondeo primò, quòd infans non
1 potest præsentare, nec etiam cum Tutore, sed præsentatio facienda est ab ipso Tutore tutorio nomine. Ratio est, quia in præsentando requiritur animi discretio, & maturitas judicii, quia debet præsentari persona idonea, & infra termi-

num

num Juris, qui incipit currere à die notitiæ, & scientiæ; Sed infans caret ma-
2 turitate Judicii, & animi discretione, & parum, vel nihil à furioso differt *Leg. Pupillus ff. de acq. hæred.* Ergo infans non potest præsentare etiam cum Tutore, sed iste tutorio nomine debet præsentare; Quod etiam apparet ex paritate; Nam Præsentatio similis est aditioni hæreditatis, quia sicut aditione quis obligatur *§. Neque instit. de authorit. Tutorum*, ita
3 præsentatione obligatur persona, & anima, juxta *Beroum hic num. 55. in fine*. Sed infans non potest adire hæreditatem etiam cum Tutore, sed solus Tutor nomine tutorio pro ipso adit *Leg. Si infanti, & Leg. Potuit, Cod. de Jur. deliber.* Ergo nec poterit præsentare. Et ita tenent idem *Berous hic, Federicus de Senis cons. 102. Calderin. cons. 8 de Jurepatr.*

Quoad Pupillum respondeo secundò,
4 quòd juxta *Archidiaconum in cap. Decernimus 16. quæst. ultim.* Pupillus potest præsentare etiam sine Tutore, aut Curatore, & ejus præsentatus præfertur præsentato à Tutore. Sed *Berous* hic contrarium dicit nempe, quòd Pupillus non potest præsentare sine auctoritate Tutoris; Quia licèt Pupillus dicatur habere aliqualem intellectum, tamen non dicitur habere Iudicium, nec talem discretionem, ut ipse possit in electionibus dare vocem, & suffragium, ut *in cap. Si ex eo de elect. in 6.* & Pupillus nec velle, nec nolle habet sine interposita Tutoris auctoritate *Text. in Leg. Pupillus ff. de regul. Iur.* Sed in præsentando dari debent voces, atque suffragia; ergo Pupillus non habet tale Iudicium, ut possit præsentare sine auctoritate Tutoris. Item non potest Pupillus absque auctoritate Tutoris adire hæreditatem; ergo nec poterit præsentare.

Sententia tamen Archidiaconi scilicet,
5 quòd Pupillus major septennio, aut hoc completo, possit præsentare absque auctoritate Tutoris, prævaluit in praxi, & ita tenet etiam *Cald. cons. 9. de Jurepatr. Rot. decis. 363. num. 2. par. 4. recent.*

6 Prout etiam Tutor potest præsentare ad Beneficium vacans de Iurepatronatus Pupilli, quia cum Tutor repræsentet personam Pupilli, & administret omnia ejus Bona hæreditaria, utique ad ipsum pertinet exercitium Iurispatronatus, quod est annexum hæreditati; qua ratione, sicut ipse administrat, & percipit fructus hæreditatis, ita etiam exercere debet omnes actus, qui respiciunt Ius præsentandi, & Patronatus eidem hæreditati annexum, ut firmat *Lambertin. de Jurepatr. Leg. 2. par. 1. quæst. 2. art. 10. num. 1. Garz. de Benefic. par. 1. cap. 9. num. 198. in fine, Rebuff. in tract. de Nominat. quæstion. 17. num. 55. Guttier. de tutel. par. 3. cap. 29. num. 7. Vivian. de Jurepat. lib. 5. cap. 3. num. 14. Rota coram Ubald. dec. 727. num. 2. Barbos. in cap. Ex litteris de Jurepatr. num. 6.*

7 Si autem Tutor prius præsentat, & postea Pupillus, præfertur præsentatus à Tutore, si est magis idoneus, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. par. 3. quæst. 6. artic. 1. num. 2. & 3.* Inter præsentatos verò à Pupillo, & Tutore, cæteris paribus est locus gratificationi juxta *Lambertin. ubi supra*, quem sequitur *Narbon. de æt at. anno septimo quæst. 22. num. 17.*

8 Tutor autem, ut possit præsentare, sufficit, quòd communiter reputetur Tutor, etiamsi esset minus legitimus. *Barbos. in cap. Ex litteris de Jurepatr. num. 6.*

ARGUMENTUM.

Patronus an possit præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum simpliciter Tonsuratum, & qui non sit nec in Sacris, nec in Minoribus Ordinibus constitutus.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia Parochialis habet annexum Ordinem Presbiteratus, & quomodò num. 11.*
2 *Non potest quis præsentari ad Episcopatum, nisi sit in Sacris constitutus.*
3 *Regimen Animarum est ars Artium.*
4 *In præsentando ad Ecclesiam Parochialem, an requirantur saltem Ordines Minores de tempore præsentationis, & num. 8.*
5 *Patronus potest præsentare ad Ecclesiam*

siam Parochialem de Jurepatronatus Laicali Clericum non constitutum in Sacris Ordinibus.

6 *Impetrari potest Ecclesia Parochialis à non constituto in Sacris.*

7 *Patronus potest præsentare ad Parochialem de Jurepatronatus Laicali Clericum habentem simplicem tonsuram.*

9 *Quæ sint requisita ad obtinendam Parochialem, & quibus temporibus concurrere debent, & n.* 10.

11 *Quot sint tempora, quibus requiri potest aliqua qualitas ad obtinendum Beneficium.*

12 *Textus* in cap. Præterea de ætat. & qualit. *est hodie correctus.*

13 *Præsentatus, & institutus in Ecclesia Parochiali debet infra annum se promoveri ad Sacerdotium sub pœna privationis; sed limita, ut ibi.*

14 *Patronus an possit præsentare ad Ecclesiam Parochialem de Jurepatronatus Ecclesiastico Clericum habentem simplicem Tonsuram, relicto Sacerdote?*

CASUS XX.

TItius fundavit, ac dotavit Ecclesiam Parochialem cum reservatione Iuris patronatus passivi favore eorum de familia, & aliorum extraneorum, scilicèt disponendo, quòd præsentetur ad illam unus de familia, vel alius extraneus. Vacante præfata Ecclesia Parochiali de Iurepatronatus Laicali per obitum ultimi Rectoris, Patronus, intra terminum à Iure statutum præsentavit ad illam Clericum habentem, solùm primam Tonsuram, & in ætate vigesimi quinti anni incæpti, sed non completi constitutum. Quæritur, an hujusmodi præsentatio subsistineatur?

Et primo aspectu contra Patronum vi-
1 detur respondendum; Etenim Ecclesia Parochialis, & quodcumque aliud Beneficium Curatum habens curam Animarum in foro Pœnitentiali habet annexum Ordinem Presbiteratus, juxta *Text. in cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora de elect. ibique Fagnan. num.* 2. *& Textus in cap. Licet Canon. de elect. in* 6. *Garz. de Benefic. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 40. Ac proinde Clericus simpliciter Tonsuratus, qui non habet ordinem Presbiteratus non poterit obtinere Ecclesiam Parochialem, & sic nec etiam præsentari. Immo nec posset illam obtinere, nec de Iure ad eam præsentari etiam si esset in Minoribus Ordinibus constitutus; Textus enim *in cap. Præterea de ætat. & qualit.* disponit, quòd in Minoribus constitutus non possit eligi ad Ecclesiam Parochialem, nisi dispensativè, ibi: *Præterea licèt ad regimen Parochialis Ecclesiæ non debeat aliquis, nisi Subdiaconus sit admissus, admitti, dispensativè tamen in Minoribus Ordinibus constituti consueverunt assumi*: Ergo de Iure communi eligi, & præsentari non valet; à fortiori igitur ad eamdem Parochialem Ecclesiam præsentari non poterit Clericus simplex tonsuratus.

Quod comprobatur paritate; Aliquis
2 ad Regimen Diœcesis, seu Episcopatus eligi, & præsentari non potest, nisi sit Subdiaconus, & in Sacris constitutus *Text. in cap. A multis de ætat. & qualitat. Gloss. in Can. Nullus distinct.* 60. *verb. Nullus, Anan. in cap. Dudum de elect. num.* 2. Ergo nec præsentari poterit ad Regimen Parochiæ, nisi sit in eisdem Ordinibus Sacris constitutus; Ratio autem est, quia
3 cum Regimen Animarum sit ars Artium ad *Text. in cap. Cum sit de ætat. & qualitat.* Clericus simplex Tonsuratus videtur minus idoneus ad explenda munera Curæ Animarum, cùm sit incapax potestatis conficiendi Sacramenta, & jurisdictionis absolvendi, & ligandi in foro pœnitentiali, & potestatis celebrandi Missam, & sacrificandi diebus festivis pro ovibus suis, adeoque Patronus, cujus in votis semper debet esse, præsentare ad Beneficium de suo Iurepatronatus personam idoneam, & capacem adimplendi onera Beneficio annexa non poterit præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum simpliciter Tonsuratum, & præsentatio de illo facta non subsistinebitur.

Sed etiam si omittatur ad validitatem
4 præsentationis ad Ecclesiam Parochialem non requiri in præsentando Ordinem Sacrum, tamen negari non potest requiri in eo Ordines Minores, itaut præsentandus de tempore præsentationis habeat

sal-

saltem ordines minores. Ita enim expressè docet *Lambertin. de Jurepat. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 29. num. 4.* ibi: *Dummodo tamen præsentandus ad minus sit in Minoribus Ordinibus constitutus, quia tunc dicitur idoneus ad Ecclesiam requirentem Sacerdotium de Jure, quando quis est in Minoribus Ordinibus constitutus*: Et clariùs *art. 30. num. 25.* ibi; *Dicerem tamen, quòd non posset ad illud præsentari, nec per Episcopum provideri Clericus primæ Tonsuræ, nisi sit Clericus saltem constitutus in quatuor Minoribus Ordinibus*: Idem tueri videtur *Fagnan. in cap. Præterea de ætat. & qualit. num. 6.* Iuxta igitur horum Doctorum auctoritates, Patronus præsentando ad Ecclesiam Parochialem simplicem Clericum Tonsuratum validè non præsentat.

His tamen non obstantibus pro validitate præsentationis de simplici Clerico
5 Tonsurato factæ censeo resolvendum nimirum Patronum posse præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum ætatis 25. annorum incohat. non solùm non in Sacro Ordine, sed nec in Minoribus Ordinibus constitutum, sed habentem simplicem Tonsuram.

Quòd Patronus præsentare possit ad Ecclesiam Parochialem Clericum non constitutum in Sacris Ordinibus habemus Textum expressum *in cap. Si is de Iustit. in 6.* ibi: *Si is, ad quem Rectoris præsentatio in aliqua Parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in Sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodò aliàs sit idoneus, & infra tempus à Jure statutum ad ordines, quos ipsius Ecclesiæ cura requirit valeat promoveri) decernimus admittendum*: Textus igitur iste in præsentando ad Ecclesiam Parochialem non requirit de tempore præsentationis, nec institutionis ullum ordinem Sacrum; sed solùm est contentus, quòd præsentandus sit in ea ætate constitutus, ut possit intra legitimum tempus ad Sacerdotium promoveri; adeòque Patronus poterit validè præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum in Sacris non constitutum; quem Textum sequuntur *Passerin. ibi num. 1. Gemin. num. 2. & in cap. Licet Canon. de elect. num. 9. Abb. in cap. Dudum de elect. num. 12. Anan. in cap. Cum in cunctis de elect. §. Inferiora, ibique Butr. num. 4. Dec. num. 7. Fagnan. num. 12. Lambertin. de Jurepatr. par. 1. lib. 2. quæst. 7. art. 29. num. 4. Rota decis. 129. numer. 13. par. 19.* & novissimè *in Melphiten. Beneficii 5. Decembris 1712. §. Quemadmodum coram R. P. D. Lancetta*.

Sic potest quis consequi, & impetra-
6 re per rescriptum Beneficiale à Summo Pontifice Ecclesiam curatam, licèt non sit in Sacris constitutus, & etiam si in litteris impetrationis non fiat mentio de defectu Ordinis juxta *Text. in cap. Si Clericis de præbend. in 6. ibique Gloss.* Ergo etiam poterit quis obtinere vigore præsentationis Ecclesiam Parochialem, etiamsi non habeat Ordines Sacros; quod quidem procedit optima ratione, si enim ad validitatem præsentationis ad Ecclesiam curatam requireretur in promovendo ordo Sacer, semper requireretur, quòd ille, qui præsentatur ad Ecclesiam Parochialem haberet aliud Beneficium, cum ad Sacros sine titulo non possit ordinari *cap. Cum secundum de præbend.* quod videtur inconveniens.

Ex eodem Textu *Si is* deducitur etiam
7 posse Patronum præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum non constitutum in Minoribus Ordinibus, sed habentem simplicem Tonsuram, & ætatem 25. annorum inchoatorum. Ipse enim Textus duo requirit ad validitatem præsentationis ad Ecclesiam Parochialem, nempe quod præsentandus sit idoneus, & quod infra tempus à Iure statutum ad Sacros Ordines promoveatur, ibi: *Dummodò aliàs sit idoneus, & infra tempus à Iure statutum ad Ordines, quos ipsius Ecclesiæ Cura requirit, valeat promoveri*: Qui autem habet primam Tonsuram, & vigesimum quintum annum inchoatum, potest ad Sacros Ordines infra annum promoveri etiamsi in Minoribus constitutus; ergo etiamsi si aliàs sit idoneus: poterit præsentari ad Ecclesiam Parochialem, licèt non habeat Ordines Minores, sed solùm primam Tonsuram juxta *Barbat. cons. 33. tom. 1. num. 22. Garz. de Benefic. part. 7. cap. 4. num. 44. Passerin. de elect. cap. 25. num. 357. propè fin.* In nihilo obstante contraria sententia Lambertini loco supracitato, cum illa non servetur in praxi

praxi, ut testatur *Fagnan. in dicto cap. Præterea de ætat. & qualit. num.* 8. §. *Præterquam quod* ibi: *Negari tamen non potest, quin in practica servetur oppositum; nam Parochiales conferuntur etiam Clericis primæ Tonsuræ.*

9 Ratio autem est, quia quatuor requiruntur in promovendo ad Ecclesiam Parochialem, Ætas scilicet, vigesimus quintus annus inchoatus, licèt non completus, Scientia, Morum honestas, & Ordo; *ad Text. in cap. Licèt Canon de elect. ibique Gloss. verb. Licèt Gloss. in cap. Si pro Clericis de præbend. verb. Si pro, & verb. Aliis Concil. Trident. cap.* 3. *sess.* 7. *de Reformat.* Sed hæc omnia requisita non uno, & eodem tempore, ut concurrant necesse est. Quin-
10 oque enim possunt esse tempora, in quibus requiri potest aliqua qualitas in promovendo ad Beneficium; primum, nempe tempus est vacationis Beneficii, secundum nominationis, tertium præsentationis, quartum institutionis, quintum post institutionem, & provisionem. Hoc posito Ætas, seu annus vigesimus quintus inceptus, licèt non completus non requiritur de tempore vacationis, sed de tempore institutionis, si enim Parochialis conferatur alicui, qui non attingit vigesimum quintum annum collatio est ipso Jure nulla *cap. Licèt Canon de elect. Dec. in cap. Cum in cunctis* §. *Inferiora num.* 7. *de elect. Gemin. in cap. Si is de instit. in* 6. *numer.* 6. *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 40. Limita tamen in Ecclesiis Parochialibus accessoriè unitis alicui Beneficio requirenti minorem ætatem, tunc enim non requiritur de tempore institutionis in promovendo vigesimus quintus annus, sed sufficit habere eam ætatem, quam Beneficium ipsum, cui facta fuit unio accessoria Parochialis requirit *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 9. *num.* 4. & alios, quos refert *Ventrigl. in prax. lib.* 2. *annot.* 6. §. 1. *num.* 25. Scientia sufficiens, & probitas morum, nempe quòd sit imbutus bonis virtutibus, ac insuper sit alienus à vitiis requiritur de tempore præsentationis, *Butrius in cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora num.* 4. *de Elect.* Sacerdotium verò, aut Ordo Sacer, aut Ordines Minores de Jure communi non requiruntur, nec de tempore vacationis, nec de tempore nominationis, nec de tempore præsentationis, nec institutionis, seu provisionis, sed de tempore post institutionem, seu provisionem, scilicet infra annum computandum à tempore adeptæ pacificæ possessionis Ecclesiæ Parochialis juxta Text. expressum *in dicto cap. Licèt Canon. de Elect. ibique Gloss.*

Non obstant superiùs in contrarium
11 deducta. Verum enim est, quod Ecclesia Parochialis habeat annexum Ordinem Sacrum, seu Sacerdotium, sed hujusmodi annexio dupliciter considerari potest respectu scilicet *aptitudinis*, & respectu *actus*, si annexio Sacerdotii sit respectu aptitudinis, non requiritur, quòd quis de tempore præsentationis, & institutionis habeat illum ordinem, sed sufficit, quòd habeat ætatem, in qua possit promoveri ad illum infra annum; Si verò annexio sit respectu actus, requiritur, quòd de tempore Institutionis habeat illum Ordinem annexum, juxta theoricam Abbatis *in cap. Cum in cunctis*, §. *Inferiora de Elect. num.* 10. *ibique Dec. num.* 21. *& seq.* Ecclesia Parochialis de Jure communi habet annexionem Sacerdotii respectu *aptitudinis*, non verò respectu *actus*; & consequenter Clericus simpliciter Tonsuratus poterit ad illam præsentari, dummodo infra annum faciat se promoveri ad Sacerdotium, juxta supradictum *Text. in cap. Si is de instit. in* 6. *& in cap. Licèt Canon. de Elect. Fagnan. in cap. Ut Abbates de ætat. & qualit. num.* 38.

12 Nec adversatur Textus in supradicto *cap. Præterea de ætat. & qualit.* quia hodie iste est correctus, cum de Jure etiam existens in Minoribus Ordinibus est capax obtinendi Beneficia curata, & ut ad ea præsentetur juxta præfatum *Text. in cap. Si is*, & docent *Abb. in cap. Dudum de elect. num.* 12. *Gemin. in cap. Si pro Clericis de præben. in* 6. Minusque officit paritas desumpta à promovendo ad Episcopatum. Ratio enim disparitatis est, quia major idoneitas requiritur in illo, quàm in alio promovendo ad alia Beneficia inferiora, juxta *Abbatem ubi suprà*.

Patronus itaque validè potest præsen-
13 tare ad Ecclesiam Parochialem Clericum, nedum in solis Minoribus Ordinibus constitutum, verum etiam hæbentem simplicem

cem Tonſuram, ſed iſte Clericus ſi præſentatus, & inſtitutus in Eccleſia Parochiali debet infra annum promoveri ad Sacerdotium, itaut ſi ipſe infra dictum tempus non promoveatur ad illud, eſt ipſo Jure dicta Eccleſia Parochiali privatus, & Patronus poterit alium ad illam præſentare, niſi ſecum fuerit diſpenſatum, vel niſi habuerit juſtum impedimentum, & juſtam Cauſam non ſe promovendi ad Sacerdotium, E. G. ſi incidat in Irregularitatem, ut quia oculum, vel manum amiſit, vel in infirmitatem abſque culpa ſua, ſecus ſi ex culpa, aut ſi Epiſcopus non poſſit, aut nolit ordines conferre, & interim poterit ſatisfacere oneribus Curæ Animarum per alium. *Text. in dicto cap. Licèt Canon. de Elect. ibique Gloſſ. verb. Privatus, Gloſſ. in dicto cap. Si pro Clericis de præben. verb. Promoveri, Fagnan. in cap. Cum in cunctis de elect. §. Inferiora num. 19. Garz. de Benefic. part. 3. cap. 4. num. 2. & ſeqq. Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 5. num. 41.*

14 Hæc omnia procedunt in puris terminis, quibus fundator Eccleſiæ Parochialis diſpoſuerit, quòd præſentetur ad illam unus de familia, vel extraneus, quo caſu cenſetur voluiſſe ſe conformare cum diſpoſitione Juris communis non requirentis in præſentando de tempore præſentationis Sacerdotium, ſecus ſi dixiſſet, quòd præſentetur ad illam unus Sacerdos, tunc enim intrare poſſet quæſtio, an requiratur Sacerdotium de tempore præſentationis, quam quæſtionem examino infra *in Secunda Parte*. Procedunt etiam, quoad Eccleſiam Parochialem de Jurepatronatus Laicali, quæ non providetur per concurſum, quid autem dicendum de Eccleſia Parochiali de Jurepatronatus Eccleſiaſtico, quæ providetur per concurſum, & in qua concurrentes examinari, & approbari debent ab Examinatoribus Synodalibus, & eligi ab Epiſcopo, & poſtea Patronus unum ex approbatis, & electis ad dictam Eccleſiam præſentare, juxta *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 18.* & dicam infra *in Quinta Parte*, an Examinatores Synodales, & Epiſcopus inter concurrentes poſſint approbare, & reſpectivè Patronus præſentare ad hujuſmodi Eccleſiam Parochialem Clericum habentem ſolum ſimplicem Tonſuram, & in ætate conſtitutum, ut poſſit infra annum ad Sacerdotium ſe promoveri, relicto Sacerdote?

Certum eſt, quòd cæteris paribus Epiſcopus non poteſt approbare, & eligere, nec Patronus præſentare hujuſmodi Clericum habentem ſimplicem Tonſuram relicto Sacerdote, quia cæteris paribus Sacerdos propter prærogativam ordinis præferendus eſt non Sacerdoti. *Barboſ. ad Concil. in dicto cap. 18. ſeſſ. 24. Paſſarin. de Elect. cap. 30. num. 18. Ventrigl. in prax. lib. 2. annot. 5. §. 2. num. 7.* Sed ubi cætera non ſunt paria videlicet, ſi Clericus habens ſimplicem Tonſuram, & conſtitutus in ætate, ut infra annum poſſit ad Sacerdotium promoveri, ſit utilior, & aptior Miniſterio Curæ, magis prudens, aut de familia illius, de cujus Bonis fundata eſt Eccleſia, & magis conferre poſſit ad bonum commune, quàm Sacerdos, tunc Examinatores, & Epiſcopus poterunt approbare, ac reſpectivè Patronus præſentare præfatum Clericum relicto Sacerdote, quia in hoc Caſu ille Clericus diceretur dignior. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 5. §. 4. num. 33. Rota deciſ. 22. num. 29. coram Buratt. Paſſarin. de Elect. cap. 33. num. 25. Ventrigl. in prax. lib. 2. annot. 5. §. 2. num. 61. Rota deciſ. 105. num. 12. & ſeq. part. 10. recent. & in Placentina Parochialis 16. Martii 1708. §. Iſte autem cum ſeq. coram R. P. D. Anſaldo.*

ARGUMENTUM.

In quibus Caſibus valida ſit inſtitutio facta ab Ordinario abſque præſentatione Patroni.

SUMMARIUM.

1 *Sex enumerantur Caſus, in quibus valet collatio, & inſtitutio facta ab Epiſcopo abſque præſentatione Patroni.*

2 *Vacante Beneficio Patronali ex cauſa permutationis an poſſit Epiſcopus etiam ſine conſenſu Patroni illud conferre?*

3 *Epiſcopus conferens Jure devoluto non poteſt aliter conferre, quam habeat inſtitutio, & natura Beneficii.*

CASUS XXI.

IN ordine ad Secundam Conclusionem deductam ex hoc Textu, nempe quod Ordinarius non possit instituere Rectorem in Ecclesia Patronali, spretis Patronis, ut fuit etiam resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Ratisbonen. Juris præsentandi* 11. *Maii* 1709. Quæritur an in aliquo Casu possit Ordinarius instituere Rectorem in Ecclesia Patronali absque præsentatione Patroni?

Sex ponuntur Casus *à Fælin. in cap. Cum*
1 *Bertoldus de sent. & re judic. volum. 3.* in quibus valet collatio, & institutio facta ab Episcopo absque præsentatione Patroni. Primò si ex post facta collatione Patronus consentiat, *Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæst. 14. num. 65. Paris. cons. 144. num. 1. tom. 4. Garz. de Benefic. part. 11. cap. 3. sub num. 19.* Secundò si collatio, vel institutio fiat præsente, & tacente Patrono. Tertiò si institutio fiat de ipso met Patrono. Quartò si post factam collationem, lapsum sit tempus præsentandi, tunc valet dicta collatio absque præsentatione facta *Abb. in cap. Illud de Jurepatr. num. 8.* Quintò in permutatione facta ex causa utili Ecclesiæ. Dicit enim *Geminian. cons. 50.* quòd vacante Beneficio Patronali ex causa permutationis, potest Episcopus etiam sine consensu Patroni
2 præficere Ecclesiæ Patronali Rectorem illius Ecclesiæ, à qua iste ratione permutationis ex causa utili fuit translatus, & in qua fuit institutus Rector Ecclesiæ Patronalis. Idem videtur etiam asserere *Anan. in cap. Cum dilectus de Jurepat. n. 5.* Sextò. Si Patronus non potest præsentare, quem vult, aut intra terminum Juris non præsentaverit, tunc enim lapso dicto termino poterit Episcopus Jure devoluto liberè conferre Beneficium absque præsentatione Patroni; sed tamen Episcopus conferens Jure devoluto non potest
3 aliter conferre, quàm habeat institutio, & natura Beneficii, *Fælin. in cap. Cum accessissent de Constit. num. 17.*



CA-

CANON VI.

Ex Synodo Romana Eugenii II. & Leonis IV.

MOnasterium, vel Oratorium Canonicè constructum à dominio Constructoris eo invito non auferatur, liceatque illi Presbitero, cui voluerit, pro sacro officio illius Diæcesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone sequentem deduco conclusionem. EPISCOPUS INVITO PATRONO NON POTEST DE ECCLESIA SIMPLICI FACERE MONASTERIUM, SEU ECCLESIAM COLLEGIATAM.

Ratio est, quia iste Text. disponit, quòd auferri non possit Ecclesia patronalis à dominio Fundatoris, seu Patroni, eo invito ea ratione ne laici retrahantur à constructione Ecclesiarum; si autem Ecclesia erigeretur ab Episcopo in Monasterium, aut in Ecclesiam Collegiatam, jam auferretur à dominio Patroni, dum non posset ipse ampliùs præsentare, nec ab ea recipere alimenta, licèt quoad reliqua remaneat Patronus; Ita *Gloss. hìc verb. à dominio, ibique Archidiacon. Gloss. in cap. Nobis de Jurepatr. verb. in Cappell. ibique Abb. Butr. num. 26. Anan. num. 16. Lambertin. de Jurepatr. lib. 3. quæst. 6. art. 1. num. 3.*

Circa hanc Conclusionem sequentes examinantur Casus.

ARGUMENTUM.

Ecclesia ut sit, & dicatur Collegiata. Quid requiratur?

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia ut sit Collegiata, quid requiritur? & num. 3.*
2 *Collegium an constituatur per duos?*
4 *Signa Collegialitatis, quæ sint, & quæ non sint? & num. 5.*
6 *Ecclesia Collegiata semel in esse deducta tripliciter extingui potest.*
7 *Ecclesia Collegiata quotuplex sit, & unde dicatur Insignis.*

CASUS I.

1 UT Ecclesia sit, & dicatur Collegiata requiritur primò, quòd ab initio sit taliter instituta, & ordinata, ut ibi sint tres Præbendati, seu Beneficiati collegialiter; Ita *Gloss. in cap. Nullus in Ecclesia de elect. & in cap. Nobis de Jurepatr.* Licèt enim Collegium conservetur in uno, vel
2 duobus Canonicis dumtaxat, nihilominus non constituitur à principio per duos, sed requiruntur tres, ut constituatur Collegium *Abb. num. 6. & Dec. num. 13. hic*

Barbat. cons. 17. *tom.* 1. *num.* 1. Et licèt ex speciali constitutione duo faciunt Collegium, tamen de Jure communi non faciunt. *Abb. num.* 5. *&* 6. *Anan. num.* 3. *Bald. num.* 3. *Dec. num.* 16. *Butr. num.* 8. *Fagnan. num.* 30. *hìc Barbat. cons.* 17. *numer.* 1. *tom.* 1. *Mascard. conclus.* 586. *n.* 9. *tom.* 1.

Unde ex eo, quòd in Ecclesia Præbendæ semper fuerint duæ, clarè probatur quòd non sit Collegiata, *Barbat. ubi supra num.* 2.

Requiritur secundò, Privilegium Apo-
3 stolicum, nullus enim nisi Papa potest constituere, & erigere Ecclesiam Collegiatam, *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæstion.* 14. *num.* 38. *Barbat. ubi supra num.* 7. Sed ad esse Collegii non requiritur, quòd ibi sit Prælatus, licèt requiratur ad bene esse. *Innocent. in cap. Cum non ignores de Præben. num.* 2. *Fagnan. hic num.* 44.

Ad cognoscendum an Ecclesia sit Collegiata? recurrendum est ad ejus ordinem, & Institutionem, si enim fuerit instituta, ut ibi essent plures collegialiter, est Collegiata; Deficiente institutione recurrendum est ad Privilegium super Jure Collegii; Deficiente Privilegio recurrendum est ad possessionem Ecclesiæ, si enim Ecclesia est in possessione Collegii, est Collegiata, nisi contrarium probetur *Abb. in cap. Nobis de Jurepatr. num.* 8. *Barbat. consil.* 17. *num.* 4. *tom.* 1. *Mascard. de probat. conclus.* 586. *num.* 1. *tom.* 1.

Ut cognoscatur quando Ecclesia sit in
4 possessione Collegii recurrendum est ad signa; Signa enim Collegialitatis Ecclesiæ non sunt, quòd in illa sint plures Clerici præcisè, & quod sint plures Præbendæ. *Abb. in cap. Nobis de Jurepat. num.* 8. *in fine, Butr. num.* 3. *Fagnan. num.* 21. *in hoc cap. Nullus*. Nec quòd Ecclesia ab Episcopo sit adscripta inter Ecclesias Collegiatas.

5 Sed signa Ecclesiæ Collegiatæ sunt facere, & deputare Sindicum, & per eum jurare, habere sigillum commune, eligere Prælatum, facere alios actus collegialiter, scilicet quòd in unum locum conveniant ad faciendos actus spectantes ad Collegium, Arca communis, Refectorium, & Dormitorium commune. *Abbas in dicto cap. Nobis num.* 8. *Imol. in hoc cap. Nullus num.* 2. *Barbat. cons.* 17. *num.* 3. *&* 4. *tom.* 1. *Alexand. cons.* 74. *num.* 4. *lib.* 4. *Mascard. conclus.* 586. *numer.* 3. *&* 12. *tom.* 1.

Collegium, seu Ecclesia Collegiata
6 semel in esse deducta tripliciter extingui potest, scilicet per hoc, quòd transferatur ad diversum ordinem, per hoc, quòd alteri accessoriè uniatur, & per hoc, quod à Principe ex justa causa destruatur. Si enim ex accidenti, aut ex Tirannide Bona Collegii dilapidentur, & ipsum Collegium destruatur, si remaneat unus Collegialis in ipso conservatur Jus Collegii, si verò nullus remaneat, Collegium actu, seu quoad activitatem destruitur; Habitu verò, seu quoad Jus Collegii remanet penes Ecclesiam; *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 106.

7 Ecclesia Collegiata alia est Cathedralis, & alia simplex Collegiata, & hæc alia est Insignis, & alia non Insignis. Ecclesia Collegiata dicitur Insignis ex sequentibus circumstantiis, scilicet ex communi omnium existimatione, seu ex eo, quòd pro tali ab omnibus habeatur, ex ejus structura, ex loco nobili, in quo sita est, ex eo, quòd sit Matrix, ex præcedentia supra alias Ecclesias, ex magno numero ministrorum deservientium, & ex frequentia Populi. Ita *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 15. *num.* 4 *& seqq. Rota decis.* 29. *num.* 1. *par.* 2. *divers.*

ARGUMENTUM.

Cappellania an, & quando erigi possit in titulum Beneficii? Et erecta in titulum Beneficii, an Cappellanus indigeat nova præsentatione ad effectum retinendi illam sic erectam, & commutatam in Beneficium Ecclesiasticum? Et an fieri possit præsentatio ad Beneficium erigendum.

SUMMARIUM.

1 *Mandante Testatore*: Che si erigano due Cappellanie: *Et simul prohibente*

hibente Episcopo, & Datariæ Apostolicæ habere ullum Jus super illis; An dictæ Cappellaniæ erigi possint in titulum Beneficii, & num. 3.

2 *Ab exclusione Reservationum Apostolicarum, argui potest Cappellaniam esse Beneficium Ecclesiasticum.*

4 *Erecta Cappellania merè laicali, sive manuali, sive perpetua in titulum Beneficii Cappellanus, qui prius illam possidebat, indiget nova præsentatione, & illi favore quorum fuit in erectione reservatum Juspatronatus possunt præsentare quemcumque, & numer. 5. & 6. 15. & 16. sed limita, ut num. 10.*

7 *Fundator, aut Patronus licèt possit nominare, aut designare Personam præsentandam ad Beneficium erigendum, tamen non potest formaliter, & rigorosè præsentare.*

8 *Exercitium Juris patronatus in Beneficiis in abstractu creatis incipit competere postquam habitus fuit consensus Ordinarii.*

9 *Patrono ante Beneficii erectionem non competit Ius processionis.*

11 *Congruum, & necessarium est exequi ultima morientium elogia.*

12 *Nemini licet impugnare factum Auctoris.*

13 *Valet Nominatio, seu Præsentatio minus rigorosa ad Beneficium erigendum.*

14 *Augumentum sequitur naturam ejus, cui fit.*

CASUS II.

Titius erigi mandavit binas Cappellanias cum reservatione Juris patronatus favore suæ familiæ subdens: *Talmente che sopradette Cappellanie non vole, che in alcun tempo per qualsisia Causa, Pretesto, Privilegio, o quesito colore si acquisti mai alcun Jus al Vescovo pro tempore, nè alla Dataria di Roma, perchè vuole, che la nomina sempre si facci, e spetti alla sua Famiglia; In oltre dichiara, che possino essere nominati per Cappellani ogn' uno, che sarà in età di farsi Chierico con obligo però, che arrivati, che saranno all' età di dire Messa, vuole, che si faccino Sacerdoti, altrimente dopo un' anno debbano essere privati di dette Cappellanie, e nominati altri in luogo loro.* Affixis Edictis, nulloque contradicente, Auctoritate Ordinaria erectæ fuerunt præfatæ Cappellaniæ cum reservatione Juris patronatus, juxta Testatoris legem. Illi de Familia Testatoris prætendunt hujusmodi Cappellanias erigi non potuisse ab Episcopo, sed esse merè Legata Pia.

Unde quæritur, an prædictę Cappellaniæ potuerint erigi ab Episcopo in titulum Beneficii, seu potius haberi debeant tanquam Legata Pia?

1 Studens in hoc Casu in Sacra Congregatione Concilii, apud R. P. D. meum Petram, affirmativè quoad primam, & negativè quoad secundam partem respondendum sentiebam; Quoniam Testator in ejus Testamento ordinavit, seu voluit electionem dictarum Cappellaniarum, ibi: *Ordina, e commanda, che si erigano due Cappellanie*: Quæ erectio est Causa efficiens, & principale, seu essentiale requisitum Beneficii Ecclesiastici ad *Text. in cap. Ad hæc de Relig. Domibus, Garz. de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 3. Gonzal. ad regul. 4. Gloss. 5. num. 7. & 20.* cum aliis plenè adductis *in Papilonen. Cappellaniæ 25. Maii 1646. §. Verùm coram bo. mem. Corrado.*

Et licèt non ordinaverit expressè, quòd istæ Cappellaniæ erigerentur auctoritate Ordinarii, hoc tamen ordinavit tacitè, quia eo ipso, quòd dixit: *Ordino, che si erigano due Cappellanie*: Ista erectio non potest intelligi, nisi de erectione facienda, prout de Jure.

Non obstat, quòd Testator prohibuerit Episcopo, & Datariæ Apostolicæ habere ullum Jus super dictis Cappellaniis, ex qua prohibitione inferri posse videtur, quòd non sint Beneficia Ecclesiastica, quia respectu Episcopi non prohibuit Jus instituendi, & conferendi simpliciter, quia eo ipso, quòd voluit erectionem dictarum Cappellaniarum auctoritate Ordinarii, necessariò consequitur, quòd voluerit etiam Jus instituendi, & conferendi spectare ad Episcopum; sed solùm prohibuit Episcopo Jus liberè instituendi, & conferendi, nam prohibuit Episcopo habere ullum Jus, super dictis Cappellaniis:

Per-

Perchè vuole, che sempre la nomina spetti alla sua Famiglia.

Respectu verò Datariæ prohibuit, seu
2 exclusit reservationes Apostolicas; Ex quo desumitur potiùs argumentum, quòd voluerit dictas Cappellanias esse vera Beneficia Ecclesiastica, nam aliàs si talia non fuissent, superflua esset illa exclusio, dum Cappellaniæ Laicales sine alia expressione, suaptè natura sub nulla reservatione comprehenduntur, ut tradit *Gonzal. ad regul. 8. Gloss. 5. num. 22. Rebuff. de pacific. possess. num. 287. ad fin. vers. Et ideò, Corrad. in prax. Benefic. lib. 1. cap. 2. numer. 32. Rota coram Merlin. decis. 79. num. 1.*

3 Ita sentiebant etiam R. P. D. Petra Secretarius, & nonnulli Eminentissimi Patres; Sed Sacra Congregatio *die 4. Junii 1712. in Camerinen. Cappellaniarum* resolvit *negativè* quoad primam, & *affirmativè* quoad secundam partem.

Supposito, quòd Cappellania merè Laicalis, seu Legatum Missarum erigi possit in titulum Beneficii Ecclesiastici, si Testator, aut ejus hæres, qui nominavit, & præsentavit ad dictam Cappellaniam merè Laicalem Titium Sacerdotem, deinde decursu temporis in executionem testamentariæ dispositionis erigat illam auctoritate Ordinarii in Beneficium Ecclesiasticum cum reservatione Juris patronatus favore familiæ A; Quæro, an Titius nominatus, & præsentatus, & qui per longum tempus possedit Cappellaniam existentem in statu Laicalitatis, & meri Legati Pii vigore ejusdem nominationis, aut præsentationis obtinere possit eamdem Cappellaniam postea erectam, & commutatam in Beneficium Ecclesiasticum, vel potius illi de familia A. possint ad illam sic erectam liberè præsentare quemcumque?

Et censeo respondendum negativè,
4 quoad primam, & affirmativè, quoad secundam partem dubii: Quoniam cùm dicta Cappellania merè Laicalis fuerit commutata, & erecta in Beneficium Ecclesiasticum, & fuerit reservatum Juspatronatus ad illud favore eorumdem familiæ A; ad istos spectat privative præsentare ad dictam Cappellaniam sic erectam, & commutatam in Beneficium Ecclesiasticum, itaut Titius, qui priùs possidebat Cappellaniam existentem in Statu Laicalitatis, ad hoc ut possit retinere illam conversam, & commutatam in Beneficium Ecclesiasticum, indiget nova præsentatione, & requiritur, quòd præsentetur ab eis de familia A. *Bero. cons. 120. numer. 4. lib. 2. Rota in Asten. Prioratus super pertinentia 20. Januarii 1708. §. Non attenta, coram R. P. D. Lancetta.*

Nec obstat, quòd Titius jam fuerit
5 præsentatus ad dictam Cappellaniam existentem in Statu Laicalitatis: Quoniam, aut sumus in casu Cappellaniæ mere Laicalis ad nutum amovibilis, & hujusmodi præsentatio, seu nominatio non potest ei suffragari pro obtinenda Cappellania non ampliùs Laicali, sed commutata in Beneficium Ecclesiasticum perpetuum, sed indiget nova præsentatione reportanda ab eis de familia A; quibus fuit reservatum Juspatronatus à Testatore, quia sicuti iste poterat ad nutum amovere Titium Cappellanum à dicta Cappellania, ut dicam infra in secunda parte *Can.* 20. Ita illi de familia A. hæredes poterunt præsentare alium ad Cappellaniam non ampliùs Laicalem, & amovibilem, sed commutatam in Beneficium Ecclesiasticum perpetuum, & sic facere, ut Titius vigore præsentationis de se factæ ad dictam Cappellaniam existentem in statu mere Laicalitatis, non possit obtinere illam conversam, & erectam in Beneficium Ecclesiasticum; Aut sumus in casu Cappellaniæ perpetuæ Lai-
6 calis eo, quia Testator disposuerit, quòd possideretur à Titio ejus vita durante, & adhuc indiget nova præsentatione ad effectum illam retinendi; quia quando Titius fuit præsentatus, & nominatus ad Cappellaniam mere Laicalem, hæc non erat erecta, sed erigenda in Beneficium Ecclesiasticum; Ex quo sequitur, quòd illa præsentatio ad Cappellaniam mere Laicalem non possit ei inservire pro formali, & rigorosa præsentatione ad Cappellaniam erectam in Beneficium Ecclesiasticum, prout requiritur ad effectum illam obtinendi, quia esset præsentatio rigorosa, & formalis ad Beneficium erigendum, & sic esset nulla, licèt enim Fundator, aut Patronus possit nominare pri-
7 mum Cappellanum, vel declarare voluntatem

tatem suam circa personam primò eligendam post tempus erecti Beneficii, & sic præsentare Cappellanum ad Beneficium erigendum præsentatione impropria, & minus rigorosa, dum in tali casu Fundator non diceretur præsentare ante Beneficium erectum, sed eligere præsentandum, tamen non potest rigorosè, & formaliter præsentare ad Beneficium, quia exercitium Jurispatronatus in his Beneficiis in abstra-
8 ctu creatis consistentibus in certis redditibus, & Bonis cum onere Missarum, non incipit competere, nisi post quàm illa sunt erecta, & deducta inesse tale, seu nisi postquam habitus fuit consensus Diœcesani, qui in his Beneficiis tribuit exercitium Jurispatronatus, quicquid secus esset in Beneficiis indigentibus ædificio, & consecratione, ut sunt Ecclesiæ, & Altaria, in quibus exercitium Jurispatronatus non habetur per solum consensum Ordinarii, nisi etiam adimpleantur causæ, ex quibus acquiritur Juspatronatus, nempe fundatio, constructio, & dotatio juxta doctrinam *Lambertini de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 4. art. 9. num. 2.* ibi: *Et hoc idem dicerem in Beneficiis creatis in abstractu consistentibus in certis redditibus, & Bonis, in quibus Fundator voluit præsentari Clericum, seu Sacerdotem pro tot Missis celebrandis in tali Ecclesia &c. & nulli dubium est, quòd habito consensu Diœcesani, incontinenti ille efficitur Patronus, & habet exercitationem Jurispatronatus, & num. 3.* Et in hoc sensu, nempe de præsentatione minus rigorosa sumpta pro nominatione, seu designatione personæ præsentandæ ad Beneficium erigendum loquuntur. *Zabarell. cons. 82. numer. 2. in fine*, idem *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 9. art. 1. num. 48.* & aliæ auctoritates adductæ per Rotam *in Tridentina Beneficii 20. Junii 1712. §. Nulla, coram R. P. D. Ansaldo inferius legen.*

9 Sic Patrono antequam Beneficium sit erectum non competunt alii fructus Jurispatronatus, nempe Jus processionis, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 4. dicto art. 9. num. 3.* ergo nec competere poterit fructus præsentationis formalis, & rigorosè sumptæ, & consequenter Titius præsentatus, seu nominatus ad Cappellaniam existentem in Statu mere Laicalitatis, non poterit vigore ejusdem præsentationis dici præsentatus ad Cappellaniam postea erectam, & commutatam in Beneficium Ecclesiasticum, sed ad effectum illam retinendi indiget nova præsentatione reportanda ab eis de familia A; quia Testator erigendo auctoritate Ordinarii Cappellaniam merè Laicalem in titulum Beneficii Ecclesiastici; cum reservaverit Juspatronatus, & præsentandi eis de familia A; & voluerit, quòd isti præsentarent Cappellanum ad Cappellaniam erectam in Beneficium, voluit etiam, quòd Titius reportaret novam præsentationem
10 ab eis de familia A. Et quidem isti deberent ex congruentia in hoc casu Titium præsentare, & præferre aliis, nam cum fuerit præsentatus, & nominatus perpetuò à Testatore ad Cappellaniam, quando erat mere Laicalis, præsumitur mens, & voluntas Testatoris esse, ut præsentetur ad dictam Cappellaniam ipse Titius etiam nunc, quo est conversa, & commutata in Beneficium Ecclesiasticum, quo casu idem Titius ante erectionem deberet instare coram Ordinario, ut secuta erectione ipse præsentetur, & præferatur aliis, ut in terminis terminantibus fuit resolutum à Sacra Rota *in dicta Tridentina Beneficii*, cujus verba sunt tenoris sequentis.

R. P. D.

ANSALDO

Tridentina Beneficii.

Lunæ 20. Junii 1712.

QUandoque superseminat inimicus Homo (quem *Sacri Expositores* meritò Diabolum succensent) Zizaniam, ubi præcipuè melior fruges, seu Messis expectetur, prout accidit in præsenti Thesi, in qua Carolus Aloysius Jo: Antonii ejus Avi, piam largitionem, seu dispositionem sancta emulatione superare contendens in ejus Testamento ordinaverat Faustinæ illius hæredi, quòd quoddam ante-

antecedens Legatum pro celebratione duarum Missarum in qualibet Hebdomada relictum à prænominato ejus Avo per eamdem hæredem peraugeretur, ulteriùs injuncto statim ac subsecutum extitisset demandatum augumentum formali transitu dicti Legati in effectivum titulum Beneficii, ut ibi: *sia tenuta, & obligata disporre a favore di Cause Pie, accrescendo le due Messe della Casa à quel numero, e modo, che li parerà, e piacerà, ordinando, che siano ben fondate, quando non vi fosse la sufficiente fondatione, ed in caso di tal fondatione, o dell' augumento sudetto sia poi sotto titolo di Cappellania semplice, o Beneficio formale.*

Contigit siquidem, quòd Faustina hæres laudabiliter à principio utique devenit ad hanc accretionem, sive augumentum de anno 1688. superaddendo nimirum duobus præcedentibus sacrificiis alia tria, rursusque insinuando, quòd hæc pia dispositio (uti Carolus Aloysius præceperat): *sia in titolo di Beneficio, o vero Cappellania*, ac uno demum, eodemque tempore totam voluntatem prælaudati Testatoris adimplens, singillariter expressit sub eodem Testamento, quòd primus interim Sacerdos deberet esse Dominicus de Grassis, eoque è vivis prærepto activum jus nominandi, seu præsentandi ad eamdem Cappellaniam, seu Beneficium deflecteret *al Signor Gio: Battista Guerinoni, e suoi Descendenti*: quemadmodum quoque idipsum in effectu præcisè cooptaverat toties enunciatus Carolus Aloysius, sic obser-
11vando eam insimul congruentiam, & necessitatem exequendi ultima morientium elogia, & maximè ad Divinum incrementum, causasque pias protendentia, ut inquit *Divus Gregorius in Can. Ultima voluntas caus. 13. quæst. 2. & Constantinus Augustus in l. 1. in fin. C. de Sacros. Eccles.*

Verùm super accedente forsan prædicto superseminco zizaniæ eademmet Faustina post 21. annorum defluxum, nempe de anno 1709. assueta Mulierum mobilitate animi magis, ut credendum est, quàm pravitate, tota à semetipsa mutata per actum inter vivos non solum manum in largitate Missarum abbreviavit, adjungendo unum tantummodò sacrificium, sed prædefuncto quoque intermediè Dominico, nominavit nedum in Cappellanum amovibilem, sed & perpetuum Bernardinum de Mancis, qui etiam usque ad ejusdem Faustinæ obitum in actualitate celebrationis earundem Missarum, non sine tamen contradictione permansit, præsumentibus nempe contrarium aliis de eadem agnatione, & Familia utriusque Testatoris, uti plenius eluceseit in anteacta disputatione super hoc conflictu habita in Sacro Auditorio in causa *Tridentina Cappellaniæ 11. Martii 1699. & 17. Junii ejusdem anni coram bon. mem. Muto.*

Rebus ita se habentibus fato cessit Faustina, delatoque negocio fundationis hujus Beneficii ad Capitulum Cathedralis legitimè jure instituendi suffultum, istud enarrata prima Testamentaria ordinatione ejusdem Faustinæ, & reticita altera posteriori inter vivos, prædictam primam dispositionem approbando mediante positiva erectione communivit sub contextuali assignatione fundi, & reservatione juris nominandi, seu præsentandi ad favorem præcitati Jo: Baptistæ Guerinoni, ejusque Descendentium: Quamobrem persistente adhuc Bernardino in spe consequendæ antelationis super hac ipsa etiam in titulum erecta Cappellania in concursu Jo: Caroli de Guarinonis à prædicto Jo: Baptista, sive Alexandro ejus filio præsentati, idem Capitulum, cujus pariter muneri incumbebat, pronunciavit favore postremi, nec (ascenso ad Sanctam Sedem dissidio) dissimile hodie prodiit oraculum *in S. Rota.*

Si qua namque erat difficultas, tota residebat in eo, quòd cùm Carolus Aloysius in arbitrio, & placito Faustinæ ejus hæredis prorsus remisisset, juxta verba superiùs transcripta, potestatem peraugendi antecedens, & Pium Legatum Missarum, ipsa verò eodem utens arbitrio devenerit ad hanc Missarum augumentationem relicto prius in Testamento jure præsentandi eisdem Guarinonis, & deinceps citra ullam revocationem ejusdem Jurispatronatus in donatione postmodum exarata sub sola superadditione ad Dominicum Cappellanum prædefunctum Bernardini de Mancis, profectò nequibant Guarinoni respuere eumdem Bernardinum, & alium præsentare, tum ex regula, quòd nemini licet impugnare factum ejus, à quo

cau-

12 causam habet, ex *Text. in l. Cum à Matre C. de rei vindic. Card. de Luca de Feud. disc.* 127. *num.* 14. *Rota coram Cerro dec.* 41. *num.* 11. *in Mediolanen. Prioratus super qualitate agnatitia* 18. *Junii* 1703. §. *Quintò comprobatur, coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore, & in Imolen. Jurispatronatus* 27. *Januarii* 1710. §. *Maximè, coram R. P. D. meo Lancetta*; tum ex quo Auctrix illa dicenda erat Beneficii erigendi, ut firmat in his ferè terminis *Rot. decis.* 327. *sub numer.* 7. *vers. Et in omnem casum part.* 15. *Recent.*

13 Nulla cadente hæsitatione, quòd forsan termini non essent pares, dum quando Faustina devenit ad nominationem Beneficii, seu Cappellaniæ, ea non adhuc erat in titulum erecta, cùm nemo nesciat, valere, atque subsistere præsentationem, vel nominationem factam ad Beneficium etiam erigendum, ad plenè tradita per *Zabarell. cons.* 82. *num.* 2. *in fine, Lambert. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 9. *art.* 1. *num.* 48. & signanter *vers. Quia hic Testator, Card. de Luca de Jurepat. disc.* 17. *n.* 9. *& Rota in recen. dec.* 107. *n.* 7. *par.* 11.

Fortius verò, quando, ut mox præmisimus, prænominatus Bernardinus non solùm reperiebatur in actuali, & Canonica possessione redditum ejusdem Beneficii in eo statu, quo stabant ante formalem erectionem, & per consequens omnis ratio expostulabat, quòd etiam idipsum practicaretur superventa additione eorum-
14 dem reddituum, & subsecuta erectione, cùm quodlibet augumentum sequatur naturam subjecti principalis, cui facta noscitur augumentatio, uti conotarunt *Dec. in l. unica in prima lect. num.* 11. *Cagnol. in rubr. C. Quando non petent. part. num.* 14. *vers. Sed cum Juri, Soccin. sen. cons.* 153. *num.* 10. *vers. Confirmatur volum.* 2. *& cons.* 67. *num.* 6. *volum.* 4. *Brun. de Augument. concluf.* 5. *num.* 15. *Rota coram Manzaned. decis.* 98. *num.* 1. *& seqq. & coram Priolo decis.* 28. *num.* 28. & magis in specie nostra portionis perauctæ, *Bellon. de Jure accresc. cap.* 9. *quæst.* 47. *num.* 1. *& seqq. & quæst.* 46. *&* 47. *per tot. Rota in Gerunden. Prioratus super reservatis* 14. *Decembris* 1703. §. *Prout neque officere, coram Reverendiss. Domino meo Molines Decano.*

Ast eo validius, quoniam non tantùm idem Bernardinus reperiebatur in prędicta Canonica actuali possessione ejusdem Beneficii, vel Officiaturæ, sed & in ea (quod plus est) fuerat ulteriùs confirmatus judiciali auctoritate *Sac. Tribunalis*, per quod ei quoque extiterat concessa formalis adjudicatio; quod sanè *Tribunal* cum vigore notissimæ *Clement. Auditor, de rescript.* subeat vices Ordinarii, idcircò prædictam adjudicationem Bernardino impartiendo, eo ipso dicebatur implicitè devenisse ad formalem erectionem, juxta perpensa *in Colonien. Canonicatus* 13. *Junii* 1704. §. *Illud etenim, coram Reverendissimo Kaunitz Episcopo Labacen. &* 9. *Decembris* 1707. §. *Absque eo quod, coram Me.*

Potissimè, dum (sicuti patebat ex prædictis *Decisionibus coram bon. mem. Muto*, & ulterius ex actis illius Causæ) non solum extiterat productum Testamentum Jo: Antonii primi Testatoris, in quo demandabatur, sive efflagitabatur assignatio eorundem reddituum, verùm quoque ad ejusdem Testamenti tenorem fuit attributa prænominata adjudicatio; ac propterea eo evidentior emergebat prædicta implicita erectio vice Ordinarii per *Rotam* inita, & virtualiter firmata, dum quando etiam eædem *Decisiones* hoc non exprimerent, debebant sic ex Actis Causæ interpretari, ex traditis per *Rot. decis.* 470. *num.* 6. *coram Ludovis. decis.* 90. *num.* 82. *& seq. coram Duran. & in recen. decis.* 349. *num.* 11. *&* 12. *par.* 12.

Atque ex his opus non erat (uti sibi blandiebantur Informantes pro Bernardino) haber etiam recursum ad alterum fulcimentum, nempe quòd etiam Ordinarius Collator admiserat præsentationem ejusdem Bernardini pro quando subsecuta fuisset erectio, ut in ejus *Summ. Num.* 11. *in fine*; unde nequibant Guarinoni successivè venientes in eodem Jurepatronatus revocare hanc præsentationem jam admissam ab Ordinario, ut in specie comprobat *Lambert. de Jurepat. lib.* 3. *quæst.* 5. *art.* 1. *num.* 1. quoniam, præcisivè ab eadem admissione Ordinarii, utique de per se judicatum Rotale canonizans eamdem præsentationem ipsius Bernardini præpediebat, ne possent iidem Guerinoni subvertere institutionem ei datam à Superiore Ecclesiastico, ad normam *Text. in cap. Quarimoniam,*

moniam de Jurepatr. Lambertin. eod. tract. lib. 2. part. 2. quæst. 7. artic. 2. num. 5. & par. 3. quæst. 2. art. 4. num. 1.

Cæterùm, his minimè refragantibus,
15 *Domini*, meritò parum attendentes quidquid actus fuisset in Partibus, & inter Partes, & in ipsa Rota *coram bon. mem. Muto* antequam vere formiter foret erectum in titulum hodiernum Beneficium auctoritate Ordinarii, ex quo tunc quæstio erat de jure dumtaxat deputandi Cappellanum pro celebratione Missarum simpliciter demandatarum à Jo: Antonio, & de facto in similibus deputationibus, quæ erga plures Sacerdotes expletæ fuerant, ut in *Summ. Jo. Caroli Num. 8.* nulla legebatur per umbram facta mentio de Testamento, novaque dispositione Caroli Aloysii, nisi ad effectum dumtaxat qualitatis hæreditariæ Faustinæ, quin etiam nec tunc quidquam extitit indigitatum de Testamento condito per eandem Faustinam in sequelam præfatæ dispositionis Caroli Aloysii, multoque minus novissimi actus inter vivos gesti per ipsam, sed negocium undique versabatur, ut mox diximus, super Pio Legato relicto per prædictum Jo: Antonium, ac propterea a rebus gestis in ordine ad unum statum puri legati nulla valebat fieri illatio ad verum, & purum statum erectionis effectivi Beneficii, ad regulam, de qua *Abb. cons. 10. in princ. lib. 1. Soccin. Iun. cons. 1. num. 46. & cons. 4. numer. 20, lib. 3. Tusch. concluf. 510. num. 2. litt. A.* & in nostris terminis post *Felin. in cap. Ex parte il 2. num. 2. de rescript.* & alios dixit *Rot. decis. 101. num. 1. coram Amat. Dunoz.*

Solummodò propterea ponderarunt ip-
16 sam erectionem, quæ ad instantiam Executoris Testamentarii extitit subsecuta de anno 1710. ut in *Sum. Jo: Caroli Num. 10.* Cùm enim in hujusmodi erectione inita in sequelam novissimæ dispositionis Caroli Aloysii, necnon alterius Testamentariæ Faustinæ illius hæredis, nihil dictum fuerit de Bernardino, & ad limites utriusque ordinationis fuerit reservatum Juspatronatus illis de Guerinonis, ipsis proinde privativè competebat Jus nominandi perpetuum Rectorem, seu Cappellanum, & non alteri cuicumque, per ea, quæ uno ore perbellè firmant *Berous cons. 120. num. 4. lib. 2. Covarr. var. resol. lib. 3. cap. 10. numer. 7. Episc. Rocc. disp. Jur. cap. 3. num. 6. & 12.* cum aliis in longè fortioribus adductis, & firmatis *in Asten. Prioratus super pertinentia 20. Januarii 1708. §. Non attenta, coram R. P. D. meo Lancetta, & 7. Decembris ejusdem anni, §. Vis igitur, coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Diximus, in fortioribus, quoniam in prædicta *Asten.* idemmet Fundator illius Prioratus expressè sibi reservaverat facultatem immutandi nonnulla in suo Testamento, & de facto postmodum plura immutaverat, sed quia Ordinarius ad actualem erectionem devenit purè, & absolutè ad normam primæ dispositionis, ostensum fuit, quòd omnia, quæ restabant extra limites ejusdem erectionis, in nihilo erant attendenda ad effectum præsentationis, & nominationis, sive Juris patronatus, veluti remanentia tanquam nuda, & pura materia sine forma, quæ solùm velut anima imprimitur per assensum, & approbationem Episcopi, ut ait *Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quæst. 2. princ. artic. 5. num. 2. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 31. num. 4. Rota dec. 316. num. 19. par. 10. & decis. 107. num. 19. par. 11.* cum aliis *in dicta Asten. Prioratus super pertinentia 7. Decembris 1708. dicto §. Vis igitur, coram eodem R. P. D. Aldrovando.*

Quòd si forte Bernardinus prætendebat, præferendum esse in assequenda approbatione actum posteriorem Faustinæ inter vivos, debebat id suo loco, & tempore repræsentare, & quatenus Ordinarius noluisset retractare, seu moderari erectionem, debebat provocare, & appellare, ut fit ab omni gravamine Ordinarii, ut in his eisdem terminis dixit *Rota in eadem mox allegata Asten. Prioratus super pertinentia 7. Decembris 1708. §. Nihilque refert.*

Addito ex abundanti, quòd etiamsi particulariter Bernardinus appellasset ab hac erectione, prout minimè seorsim appellavit, perperam probabiliter id egisset, cùm nec posset Faustina alterare substantiam dispositionis, & ordinationis injunctæ sibi per Carolum Aloysium, qui immutato statu (ut exoptaverat) Beneficii de puro Legato, seu de quadam Cappellania pro celebratione Missarum amovibili in titu-

lum

lum perpetuum, reliquerat Juspatronatus prædictis de Guerinonis; prædicta enim verba protestativa in quoddam arbitrium sonantia; ac Faustinæ directa: *nel numero, e modo che le parerà, e piacerà*; nullo modo valebant immutare substantiam Juris patronatus, de quo absolutè dispositerat, sed ad summum respiciebant circumstantias numeri, & modi Missarum, quemadmodum recensita verba effectivè præseferebant, & non ultra, ac in longè durioribus respondit etiam *Rota coram Merlin. decis. 393. num. 1. & in recent. decis. 240. num. 6. & seq. decis. 283. num. 15. par. 17.*

Et ita &c. Utraque &c.

ARGUMENTUM.

Cappellania erecta in Beneficium Ecclesiasticum ab Ordinario, an ad instantiam Fundatoris asserentis post dictam erectionem se non habuisse intentionem fundandi Beneficium Ecclesiasticum possit reddi, & restitui in Cappellaniam merè Laicalem?

SUMMARIUM.

1 *Nomine Beneficii perpetui non venit Cappellania merè Laicalis.*
2 *Institutio non requiritur, nisi in Beneficio Ecclesiastico.*
3 *Conditio quod deficiente Beneficiato fructus bonorum donatorum cedant in Beneficium compatronorum, an sit contra naturam Beneficii?*
4 *Conditio apposita contra naturam Beneficii non potest illud vitiare, sed potius ipsa vitiari debet.*
5 *Bona semel Deo dicata secularizzari amplius non possunt.*

CASUS III.

PUblicis exaratis tabulis, quidam Galitius Morano Notarius Civitatis Montis Pelusii, morem gerendo, ut inquit, piæ voluntati Sacerdotis Joannis Orlandi, coram ipso constituti, simplex perpetuum Beneficium erexit in Sacello S. Francisci Xaverii in Cathedrali Ecclesia cum dote assignata in capitali scutorum trecentum, ac in quibusdam expressis bonis, quorum valor non exprimitur, Designatis verò Piis oneribus, quibus Rector pro tempore defungi tenetur hujusce Beneficii Iuspatronatus activum Francisco Odoardo, ejusque Descendentibus tam Masculis, quam Fœminis attribuit, quoad verò Iuspatronatus passivum hanc dispositionem jam dictus Notarius descripsit: *Qui quidem Patroni quoties dictum Beneficium vacare contingerit teneantur nominare, seu præsentare Beneficiatum de familia effectiva, & successivè de contentiva prænominati Francisci Odoardi &c. Etiam quod descendentes nominandi, & præsentandi sint tantùm prima Tonsura initiati, & minores quattuordecim annis præscriptis à Sac. Conc. Trid. Sin autem etiam de dictis Clericis tantum deficiant, vel in casu, quòd præsentatus sit tantum Clericus ut supra, tam dictus Franciscus Odoardus, quam ejus descendentes Patroni teneantur unum Oeconomum, seu Rectorem nominare, & eligere, & adimpleri facere injunctum onus Missarum, & solemnitatis festi S. Francisci Xaverii in eadem Cappella, ut supra convenienti Salario, & Elemosina assignata, & providere de necessariis suppellectilibus pro decentia Cappellæ ex fructibus dictorum bonorum; & quod superest si præsentatus sit tantùm Clericus, possit retinere, & applicare ad proprium commodum, & pro ejus sustentatione, etiamsi Laicus uti primo loco contemplatus, ac ipsemet Rev. D. Joannes Donatus, qui etiam ejus vita durante sibi reservat, & pro reservata intelligatur nominatio, seu præsentatio ad dictum Beneficium etiam simplicis Clerici, & ætatis minoris quatuordecim annorum tam pro prima vice pro qua ad præsens nominat, & præsentat astatum Franciscum Odoardum uti Clericum reservato tamen beneplacito, seu institutione Illustriss. D. Episcopi Ordinarii, quatenus &c.* Postremò in hujusmodi Instrumento cavetur, quòd in defectu Descendentium ex familia de Orlandis Iuspatronatus devolvatur ad Capitulum Cathedralis, qui explere teneantur pia injuncta onera, quòd vero superesset ex fructibus inter

omnes participantes divideretur.

Ejusmodi publicum documentum jam dictus pius disponens subinde exposuit Episcopo, eo sub facti themate: *Come per servitio di Dio, e particolar sua devotione l'è parso fondarsi un Juspatronato Laicale per se è per Francesco Odoardo suo congionto &c. col Ius di presentare a tal Benefitio anco Chierici di minor età d' anni quattordici con facoltà a tale, & in mancanza d' Ecclesiastici d' eligere l' Economo, seu Rettore per la sodisfatione del peso delle Messe impostegli*; Pro indeque eidem Episcopo preces adjecit, ut instituere dignaretur in hujusmodi Beneficio Franciscum Odoardum primum ab ipso præsentatum, ac Oeconomum, sive Rectorem nominare præstituto congruo stipendio pro oneribus ut supra exequendis. Episcopus itaque precibus obsequens ordinariam ejus auctoritatem interposuit præmemoratam Cappellam erigendo ad Titulum, ut inquit, Ecclesiastici Laicalis Beneficii simplicis cum dote, & oneribus enunciatis; At reservato Iurepatronatus tam Oratori, quam ab ipso contemplatis subtexuit: *Cum facultate, Beneficiato sive Rectori post mortem ipsius D. Ioannis si fuerit Clericus, donec, & quousque non fuerit promotus ad ordinem Sacerdotalem eligendi Sacerdotem pro celebratione Missarum cum competenti stipendio retentis aliis fructibus bonorum donatorum, & assignatorum demptis stipendio, & oneribus prædictis, cedant in Beneficium compatronorum vocatorum.*

Præfatus verò pius disponens supplex coram SS. D. N. conquestus fuit, quod Notarius Galitius Moranus perperam in recensitis publicis tabulis assecutus fuit ejus voluntatem, immo verò quæque ita inordinatè, & confusè exposuit, ut nec ipse eorum sensum deinde teneat. Si quidem altero declarativo exarato Instrumento, jure jurando, idem ipse asseruit ejus mentem fuisse nedum Cappellæ cultum, animæque suffragium ordinare, sed quoad temporalia familiæ de Orlandis prospicere, proinde nulli modo constituere voluisse, asserit, simplex perpetuum Beneficium, sed tantùm præordinasse simplicem Cappellaniam Laicalem cum onere Missarum liberè transmissibilem activè, & passivè ad quoscumque; adeo ut ejus Iuspatronatus perpetuò conservaretur in familia tam effectiva, quam contentiva sæpe dicti Franciſci Odoardi; ac in omnem vocationis casum Cappellanus deputaretur a Patronis pro tempore unus ex ipsorum Filiis, Nepotibus, sive Pronepotibus respectivè: *Quoties verò non adessent Filii, neque Nepotes, neque Pronepotes descendentes Patronorum &c. Primogenitus Patronus pro tempore ordine, modo, & forma supra invitatorum valeat eligere unum Rectorem, sive Oeconomum temporalem, & adnutum amovibilem, qui esse debeat Sacerdos, ipsi primogenito benevisus qui curam habere debeat Cappellæ, & Missas celebrare &c. Assignato tamen competenti Salario eidem primogenito benevisso, & totum id quod supereret soluto dicto Salario, & adimpletis omnibus oneribus valeat primogenitus familiæ, seu ille inter Patronos natu major licitè pro se retinere, & applicare ad proprium commodum, & pro congrua manutentione eorum familiæ, seu Domus.* Summopere itaque memoratus pius disponens percupere asseruit, quoad ita declarandam primam dispositionem, juxta ejus primævam mentem admittatur, utque facilius voti compos fiat, quasdam ulterius assignavit Domus pro augumento dotis hujusce Cappellaniæ, onere dumtaxat adjuncto unius Missæ hebdomadalis. Unde proposito dubio: *An Instrumentum declarativum, de quo agitur sit attendendum, & executioni demandandum.*

Negativè resolvendum sentiebam. Constat enim Ioannem de Orlandis voluisse erigere Beneficium Ecclesiasticum de Iurepatronatus Laicali cum reservatione Iurispatronatus activi favore sui, & suorum tum ex ipso primo Instrumento coram dicto Ioanne acceptante, & consentiente exarato à Notario uti pluries dicitur disposuisse, & deliberasse fundare Beneficium *perpetuum*. Nomine autem Beneficii perpetui non venit Cappellania merè Laicalis sed Ecclesiastica, & collativa juxta *Cardinal. in Clement. 2. de Iudic. num. 58. Preb. ad Monach. in cap. Nullus de temporibus ordinan. in 6. num. 2.* & alias quas refert *Garz. de Benefic. part. 1. cap. 1. num. 5.* Tum ex eo quia petit ab

Epis-

Episcopo institutionem, & investituram dicti Beneficii favore Francisci Odoardi à se præsentati, ut ex memoriali Episcopo porrecto, ibi: *Per tanto la supplica volere restare servita d' instituire, & investire detto Francesco Odoardo di tal' Beneficio*: Si enim fundare voluisset Cappellaniam merè Laicalem non petiisset
2 ab Ordinario institutionem, quæ non requiritur nisi in Beneficio Ecclesiastico, & collativo, *Garz. de Benefic. par. 1. cap 2. num. 81.* Tum ex eo, quia fuit ab Ordinario erectum supplicante eodem Ioanne; quæ erectio auctoritate Ordinaria à Testatore volita demonstrat eum voluisse fundare Beneficium Ecclesiasticum. Tum denique ex eo, quia apposuit conditionem in primo instrumento, quòd hujusmodi Beneficium obtineri possit etiam à minoribus quatuordecim annis, ibi: *Etiam quod descendentes nominandi, & præsentandi sint tantùm prima Tonsura initiati, & minores quatuordecim annis præscriptis à Sacro Concilio Tridentino*: Quę conditio esset inutilis, & superflua si dictum Beneficium esset Cappellania merè Laicalis, & non collativa.

Non obstat, quòd Fundator in limine fundationis apposuerit conditionem. Quòd deficiente Beneficiato fructus bo-
3 norum donatorum, & assignatorum, cedant in Beneficium compatronorum vocatorum, quæ videtur esse contra naturam Beneficii Ecclesiastici; quia imprimis non videtur esse contra naturam Beneficii conditio, quòd Patroni gaudeant fructibus Beneficii, juxta Sacram Congregationem Concilii *in Lycien. 27. Aprilis* 1688. ubi in precisis terminis Sacra Congregatio respondit: *Deficientibus Clericis posse conjunctos Seculares retinere idem Beneficium, donec aliquis extet Clericus de familia, & fructus omnes Beneficii erogandos esse in Celebrationem Missarum, juxta*
4 *voluntatem Testatoris*. Et licèt sit contraria naturæ Beneficii Ecclesiastici, non proinde potest vitiare illud, sed potius ipse vitiari debet juxta doctrinam *Duran. de Condit. imposs. par. 2. cap. 1. numer. 106. Corrad. in prax. Benefic. lib. 2. cap. 12. numer. 57. & 58. Lotter. de re Benefic. lib. 1. cap. 32. num. 19. cum seqq.*

Nec potest amplius dictum Beneficium reddi Cappellania meri Laicalis, non obstante quòd exhibeatur novum augumen-
5 tum dotis, quia ex qualibet causa bona semel Deo dicata secularizzari amplius non possunt, juxta *Text. in cap. Ligna ibique Gloss. in verb. Laicorum de Consecrat. Fagnan. in cap. Relatum num. 37. ne Cler. vel Monach. Calderin. cons. 5. num. 1. de relict. Domib.*

His tamen non obstantibus Sacra Congregatio Concilii *in Montis Pelusii Erectionis Capellaniæ 12. Maii* 1714. Præfato dubio respondit: *Affirmativè ex gratia in forma commissaria.*

ARGUMENTUM.

Patronus an, & in quibus Casibus possit instare apud Superiorem pro translatione Cappellaniæ merè Laicalis de loco ad locum?

SUMMARIUM.

1 *Patrono non potest concedi licentia transferendi Cappellaniam de uno ad aliud Altare, quando Testator in institutione Cappellaniæ principaliter respexit ad Altare, & secundariò ad hæredes; secus si respexit principaliter ad hæredes, & secundariò ad Altare; & num. 2. & num. 5.*

3 *Celebratio Missæ an, & quando possit transferri de una ad aliam personam?*

4 *Refertur resolutio Sacræ Congregationis Concilii in* Placentina commutationis voluntatis.

5 *Legatum directum in personas hæredum censetur ordinatum in gratiam ipsorum.*

6 *Dispositio qualificata intelligitur durare quousque durat qualitas.*

7 *Testator quando dicatur in institutione Cappellaniæ principaliter respexisse ad Altare, & secundariò ad hæredes, aut è contra, & num. 8.*

9 *Patronus potest transferre Cappellaniam de uno ad aliud Altare, quando à Testatore est ei data libera facultas transferendi, & ex quibus arguatur hujusmodi libera facultas?*

10 *Dictio*: Overo: *est disjunctiva, & separat unam orationem ab altera.*

CA-

CASUS IV.

QUidam Testator instituit Cappellaniam merè Laicalem, & ad nutum amovibilem, seu Legatum Missarum pro ejus, suorumque animabus, celebrandarum ad Altare Ecclesiæ Civitatis A. cum reservatione juris nominandi Cappellanum ad nutum amovibilem favore suorum hæredum, cum isti ex certa causa discesserint à Civitate A, & transtulerint domicilium ad Civitatem B, & vellent transferre etiam præfatam Cappellaniam ad Altare Ecclesiæ ejusdem Civitatis B. Quæro an possit eis concedi licentia transferendi dictam Cappellaniam de uno Altari unius Ecclesiæ ad Altare alterius Ecclesiæ?

Pro cujus resolutione rimanda, & attendenda venit voluntas Testatoris, ac procedendum cum distinctione; dupliciter enim Testator instituere potest Cappellaniam merè Laicalem, seu Legatum Missarum, nimirum vel ad ornatum, splendorem, & cultum certi Altaris; vel ad commodum, & utilitatem propriam, ac suorum hæredum. Si Testator in institutione præfatæ Cappellaniæ primariò, & principaliter respexit ad ornatum, officiaturam, splendorem, & cultum dicti Altaris Civitatis A, secundariò verò ad ejus hæredes, quibus injunxit onus celebrare faciendi, seu nominandi Cappellanum pro celebratione Missarum in dicto Altari, seu quibus commissum sit nudum ministerium solvendi Cappellano Eleemosinam Missarum in dicto Altari celebrandarum; & in hoc casu concedi non potest prædictis hæredibus Patronis licentia transferendi Cappellaniam de Altari Civitatis A, ad Altare Civitatis B, quia ubi per Testatorem in Cappellania, & Legato Missarum principaliter contemplatum fuit Altare, non potest eadem Cappellania, seu Legatum Missarum transferri de uno ad aliud Altare, etiam cum auctoritate Episcopi; dum Missæ celebrari debent in illis Ecclesiis, & Altaribus, in quibus Testator jussit, ut celebrentur, nisi in primo Altari Legatum impleri non posset, ut docent *Barbat. cons.* 1. *num.* 8. *Navarr. cons.* 14. *de Testamentis num.* 10. *Menoch. præsumpt.* 112. *lib.* 4. *num.* 7. *Gratian. discept. forens.* 73. *num.* 4. *ibique Carol. Anton. de Luca num.* 6. *Capon. discept.* 196. *num.* 10. *tom.* 3. *Rota decis.* 309. *num.* 11. *par.* 6. *rec. & dec.* 574. *num.* 8. *part.* 1. *divers. & decis.* 1149. *numer.* 17. *coram Seraph.* Et fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Cervien. translationis piorum onerum* 18. *Maii* 1715. *in Derthonen. translationis Cappellaniæ* 9. *Februarii* 1715. *& in Mediolanen. seu Ferentina Cappellaniæ* 23. *Februar. ejusdem anni*.

Et ita requisitus in sensu veritatis die 1. Augusti 1715. ad instantiam hæredum cujusdam Sacerdotis Marciani Acerbi Terræ Vairanæ Tortonen. Diœcesis, qui instituit Cappellaniam trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum certo Altari ab ipso erecto in Ecclesia Parochiali ejusdem Terræ; requisitus, inquam, an ipsi possent transferre dictam Cappellaniam ab Ecclesia Parochiali Terræ Vairanæ, ad Ecclesiam Parochialem Terræ Varinellæ; negativum dedi responsum ex ratione superius deducta, quia nimirum ex particula Testamenti, constabat Testatorem principaliter respexisse ad cultum, & officiaturam dicti Altaris Terræ Vairanæ, & erga ipsum specialem habuisse affectionem, uti etiam resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Cremonen. Erectionis Collegiatæ* 26. *Martii* 1695. ubi Marchio Cæsar Vidonus in Testamento, cum quo decessit disposuit: *Dell' Entrata, che si cava dall' augumento del Porto di Pigichettone, che sono Ducatoni* 200. *in circa, che si riscuotono ogni mese, lascio, che sia eretta una Collegiata di quattro Canonici compreso il Proposto, o Arciprete nella Chiesa Parochiale di S. Giovanni in Croce, e due Chierici, & incarico alli poveri morienti di detta Terra, & aiutarli al ben' morire fino al fine &c. e caso che per qualsivoglia accidente non si potesse erigere detta Collegiata in detta Chiesa di S. Gio: in Croce, lascio, che sia eretta in Cremona nella Chiesa di S. Cecilia:* Cupiens Marchio Cæsar Iunior erectionem facere extra locum S. Ioannis in Cruce, contempla tum, & in Ecclesia præpositurali Curata S. Ægidii, & Homoboni Cremonæ preces Santissimo obtulit

tulit quibus ad Sacrum Concilium remissis disputatum fuit dubium: *An sit locus erectionis Collegiatæ in alio loco, quàm contemplato à Testatore*: Sacra Congregatio respondit die 26. Martii 1695. *Negativè*.

2 Si verò Testator in institutione præfatæ Cappellaniæ primariò, & principaliter respexit ad commodum, & utilitatem propriam, ac suorum hæredum, & primariò voluit onus Missarum pro ejus, suorumque Animarum salute; Secundariò verò, & in consequentiam ad dictum Altare Civitatis A. Et in hoc casu censeo posse eisdem hæredibus Patronis permitti prædictam translationem Cappellaniæ de Altari Civitatis A, ad Altare Civitatis B; quia ubi in Cappellania principaliter sunt contemplatæ personæ, secundariò verò Altare, tunc eædem personæ de consensu legitimi Superioris possunt transferre Cappellaniam de uno ad aliud Altare: *Gratian. dicta disceptat. forens. 73. num. 5. & seqq. Capon. dicta discept. 196. num. 11. Rot. decis. 1149. n. 10. & seqq. coram Seraph. & decis 494. num. 6. coram Cavaler.*

3 Sic si Testator mandet conferri Beneficium Sacerdoti, qui celebret Missam pro Anima sua, cum principaliter respexerit ad onus celebrandi, & non ad personam celebrantis, nisi in consequentiam ejusdem oneris, non minus celebratio Missæ fieri potest ab ipso, quam ab alio Sacerdote; *Gratian. discept. 73. num. 10.* Ergo etiam mandante Testatore, ut ejus hæredes celebrare faciant certas Missas in Altari A. pro ejus, suorumque Animabus, quia principaliter respexit ad remedium Animæ, & commodum suorum hæredum, & non ad Altare, nisi in consequentiam celebrationis non minus iidem hæredes celebrare facere poterunt Missas in illo, quàm in alio Altari. Valet enim argumentum de Persona ad locum, itaut sicuti quando celebratio fuit principaliter considerata, & non persona celebrantis potest ipsa transferri de una ad aliam personam, ita quando fuit eadem celebratio principaliter considerata; & non locus celebrationis, poterit transferri de uno ad alium locum. Remedium enim Animæ, non magis ex uno, quàm ex alio Altari provenit, ut ait *Rota dicta decis. 1149. num. 11. coram Seraph.*

4 Quemadmodum studens in Sacra Congregatione Concilii apud R. P. D. meum Petra Secretarium sentiebam *in Placentina Commutationis Voluntatis*. Ubi expositum fuit, quòd Marchionissa Angela Cremona Vicedomina de Mandellis de anno 1695. in ejus ultimo, quo decessit elogio, præordinata agnatitio Fideicommisso &c. hæredibus institutis, cæterisque substitutis id onus injunxit: *A far celebrare ogn'anno sino in perpetuo tutti li giorni festivi di Precetto, & anche tutti li giorni di Mercordì, e di Venerdì della settimana una Messa nell'Oratorio di Santa Teresa di detto mio Feudo d'Olmeto, condare, e pagare al Sacerdote pro tempore, che celebrarà un' elemosina competente, e questa in suffragio dell' Anima mia, e de' miei Defonti: Aggravando parimente &c. a far' celebrare ogn'anno in perpetuo nel mio Oratorio esistente sopra di miei Beni posti nel luogo di Menarolo Commune di Pontenuro Ducato Piacentino una Messa parimente tutte le Feste di Precetto, & anche tre Messe la settimana, cioè una ogni Lunedì, una ogni Mercordì, & una ogni Sabbato di qualsivoglia settimana in perpetuo, condare ad un Sacerdote, che pro tempore celebrarà una competente Elemosina, e ciò in suffragio dell' Anima mia, e de miei Defonti*: Obventis hujusmodi hæreditariis bonis Iosepho de Mandellis, ejus Mater ac Tutrix Marchionissa Geltrudes Malvacina pro dissolvendo ære alieno Testatoris, venundedit præmemorata bona, vulgò nuncupata di *Menarolo* Comitibus de Anguisuolis; præ cæteris conventione inita, quòd Marchionissa venditrix opportunam facultatem assequi curaret transferendi Missarum onera, quæ in Oratorio ejusdem Feudi exequi debent, ad alterum Oratorium Olmeti, quòd si voti compos fieri non posset, ab ipsis Comitibus emptoribus satisfierent, deducta tamen æquivalenti summa ex residuali pretio bonorum; at si verò non idem partium judicium desuper versaretur, tum sæpedicta Marchionissa curam subiret celebrationis Missarum in eodem Oratorio di *Menarolo*; nuperverò sub obtentu extinguendarum litium, quæ super ad-

adimplemento præmemoratæ conventionis efferuescere cæperunt jam dicta Marchionissa Geltrudes, ejusque Filius supplices confugerunt ad Sanctissimum Dominum Nostrum, precibus ad Sacram Congregationem rejectis pro benigna facultate transportandi præfata Missarum onera, quæ incumbunt Oratorio di *Menarolo*, ad alterum Olmeti, itaut quotidie ibi Sacrificium offeratur cum aliis duobus Missis diebus festivis, quo pacto absolutus comperitur numerus à Testatrice volitus, ordinatèque distributus pro commoditate Populi.

Quo stante proposito dubio: *An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis in Casu &c.*

Affirmativè respondendum dicebam, dummodò omnia onera imposita à Testatrice adimpleantur in Feudo Olmeti. Quoniam hujusmodi Legatum Missarum non fuit conceptum à Testatrice favore Oratorii loci Menaroli, cum non respexerit ad
5 ejus Officiaturam, nec ad personas dicti loci, sed solum utpote directum in personas hæredum censetur ordinatum, in Gratiam ipsorum hæredum, non autem Oratorii, quod destinatum dicitur in quamdam tantùm consequentiam celebrationis juxta *Text. in l. Pater Filium §. Tusculanos ff. ae legat. 3. Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 14. num. 18. Rota coram Seraph. decis. 1149. num. 10.* Et proinde possunt hæredes, dum amplius dicta bona non possident onus implere in alia Ecclesia ipsis magis commoda, quidquid esset, quando Legatum factum esset principaliter favore Oratorii, ut distinguendo tradunt *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst. 1144. num. 1. & seqq. & quæst. 1145. num. 4. Capon. discept. 196. num. 10. & 11. Gratian. discept. 73. num. 5. & seqq.*

Eoque magis, quia Testatrix supposuit, quòd bona perpetuò remanere deberent penes suos hæredes, & Ecclesiam elegit tamquam ad ipsam spectantem, ibi: *nel mio Oratorio*: Unde cum bona amplius non possideantur à Dominis de Mandellis, & Oratorium non sit amplius Testatricis adeoque non sit amplius locus ille, quem contemplata est Testatrix, sequitur, quòd Missæ in præfato Oratorio celebrari non debeant, sed possint alibi satisfieri. Dispo-
6 sitio enim qualificata intelligitur durare quousque durat qualitas. *Pignatell. tom. 4. consult. 12. num. 2.*

Et ita etiam fuit resolutum ab eadem Sacra Cængregatione in dicta *Placentina Januar. 1714.*

Ad cognoscendum animum quando
7 Testator in Institutione Cappellaniæ merè Laicalis, seu Legati Missarum principaliter respexerit ad Altare, & secundariò ad ejus hæredes: Aut principaliter ad hæredes, & secundariò ad Altare attendenda sunt verba Institutionis, & ejus Dispositionis; Si enim verba Institutionis Cappellaniæ fuerunt principaliter directa ad Altare, & secundariò ad hæredes, ut si fuisset dictum, quòd celebrentur in tali Altari Missæ, & postea fuisset injunctum hæredibus, ut solverent Eleemosinam Sacerdoti celebranti, aut si in dicto Altari speciali cultu coleretur aliqua Sacra Imago, aut Testator erga illud haberet specialem affectionem, quæ constare diceretur, si ipse eligeret sepulturam prope idem Altare, aut illud fuisset ab ipso erectum propriis expensis, tunc diceretur principaliter respexisse ad Altare, & istud stare taxativè, secundariò verò ad ejus hæredes, & voluisse taxativè ibi celebrari Missas ad terminos Juris communis, juxta quod Missæ celebrandæ sunt in Ecclesia, ubi fundatorum corpora requiescunt: *Abbas cons. 99. num. 4. & seqq. Rota dec. 494. num. 3. coram Cavaler.*

8 Si verò verba Institutionis Cappellaniæ principaliter fuerunt directa ad hæredes, & primariò habitus fuerit respectus ad remedium animæ suæ, suorumque hæredum, secundariò verò ad Altare, ut si fuisset dictum, quòd hæredes celebrare facerent in tali Altari Missas pro ejus, suorumque Animabus; aut si Testator haberet affectionem, erga suos hæredes, aut isti essent ejus Consanguinei, tunc diceretur respexisse primariò ad hæredes, & secundariò ad Altare, & istud stare demonstrativè *ad Text. in cap. Requisisti ad Terram*, ibique Doctores omnes.

Absque verò ulla difficultate possent
9 hæredes Patroni transferre Cappellaniam de uno ad aliud Altare, si eis fuisset à Testatore data libera facultas transferendi, ut de mense Julii anno 1701. per acta

Ar-

Archivii, fuit resolutum à R. P. Domino Marabottino Judice in una *Perugina Cappellaniæ* scribente, & obtinente Domino meo Patruo Amatissimo ubi cùm Georgeus de Gervasio in limine fundationis Cappellaniæ, postquam designaverit Ecclesiam S. Joannis Baptistæ Ordinis Sancti Bernardi Cisterciensis Perusiæ pro celebratione Missarum, reservaverit sibi, suisque Hæredibus Cappellaniam de una ad aliam Ecclesiam per hæc verba ibi: *Item in evento; che mai in alcun tempo i Padri del sopradetto Monastero non volessero permettere per qualsivoglia causa, che il detto Cappellano, e Sacerdote celebrasse le sudette Messe nella sopradetta loro Chiesa, o per qualsivoglia accidente, che potesse succedere non potessero celebrare le dette Messe nella sudetta Chiesa, overo, che il medesimo Giorgio volesse che si celebrassero in altra Chiesa, detto Cappellano, e Sacerdote sia tenuto, & obligato celebrare, come sopra le dette Messe in un' altra Chiesa di questa Città, dove più parerà, e piacerà al medesimo Giorgio, se egli allora viverà, altrimente dove più piacerà, e parerà a suoi Heredi, o agl' altri, che da esso saranno nominati nel suo ultimo Testamento, o altra Dispositione, o Contratto*: R. D. Joannes Vincentius de Casellis prædicti Fundatoris hæres tunc Religiosus S. Philippi Nerii, nunc vero Canonicus meritissimus Cathedralis meæ Patriæ vigore hujus facultatis transferendi sibi à Testatore tributæ, nec non attento impedimento præstito Cappellano celebrandi in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistæ per dictos Patres Cistercienses transtulit Cappellaniam ab hac Ecclesia ad illam Congregationis Sancti Philippi Nerii Perusiæ. Quam translationem justam, & validam per sententiam Canonizavit idem R. P. D. Marabottinus revocando duo contraria judicata nimirum Almæ Rotæ Perusinæ, & R. P. D. mei Petra tunc A. C. declarantia nullam præfatam translationem eo sub motivo, quòd facultas transferendi Cappellaniam de una ad aliam Ecclesiam concessa a dicto Testatore suis hæredibus non erat absoluta, & arbitraria, sed solùm ad certos, & determinatos casus restricta nimirum: *In evento, che mai per alcun tempo i Padri del sopradetto Monastero non volessero permettere per qualsivoglia causa, che il detto Cappellano celebrasse le sudette Messe nella sopradetta loro Chiesa*: Qui casus cùm non fuerit concludenter probatus, ideò præfati Judices existimarunt nullam translationem.

Sed sententia revocatoria R. P. D. Marabottini meo judicio videtur magis rationi congrua, dum videtur Fundator dedisse suis hæredibus absolutam, & arbitrariam facultatem transferendi Cappellaniam, eo quia in ejus Dispositione non processit per viam conditionis, si sequeretur impedimentum, sed cum casu alternativo ibi: *in evento, che mai i detti Padri non volessero permettere, che il Cappellano celebrasse le sudette Messe nella sopradetta loro Chiesa*: *Overo, che il medesimo Giorgio volesse, che si celebrassero in altra Chiesa di questa Città &c. altrimente dove più parerà, e piacerà ai suoi Eredi*: adeò quòd illa dictio: *Overo* est rodistinctiva, & non repetit præcedentia, imò separat, & dividit unam Orationem ab altera *Rot. decis.* 65. *num.* 7. & 8. & *decis.* 556. *num.* 3. *coram Cerr.* & *coram Coccin. decis.* 157. *num.* 5. ubi firmat, quod dictio prædicta ampliat dispositionem ad diversa. Attento præcipue, quod subsequentia verba, *dove più parerà, e piacerà a suoi Eredi*, tamquam prægnantia potestatis nullam admittunt correlationem ad dictum impedimentum, aliàs sequeretur correctio in eodem instanti, nec dici posset, quod potestas esset ad *placitum*, & ad *libitum*, si esset regulanda a causa impedimenti.

ARGUMENTUM.

Episcopus an possit erigere novum Canonicatum ex fructibus superexcrescentibus in Ecclesia Collegiata de Jurepatronatus Laicali absque consensu Patroni, & an Patrono respectu Canonicatus noviter erecti competere possit Jus patronatus, & hoc cujus naturæ erit Ecclesiasticæ ne an Laicalis?

SUMMARIUM.

1 *Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis aliquando sunt inter se distincti, & separati, aliquando nec distincti, nec separati, nec taxati, aliquando taxati, sed non distincti, nec separati.*

2 *An, & quando Episcopus possit alterare, & frangere numerum Canonicatuum a Fundatore statutum? & num. 15.*

3 *Episcopus non potest mutare Statum Ecclesiarum contra mentem Fundatorum.*

4 *Statuto per Capitulum certo, & determinato numero Canonicatuum, & jurato, ac confirmato à Sede Apostolica an, & quando Episcopus possit illum frangere, & erigere novum Canonicatum? & num. 17.*

5 *Dismembratio Ecclesiæ Patronalis fieri potest ab Episcopo etiam renuente Patrono ob evidentem necessitatem, & utilitatem.*

6 *Episcopus de consensu Capituli potest erigere in Ecclesia Collegiata ex fructibus superexcrescentibus novum Canonicatum.*

7 *In erectione novi Canonicatus in Ecclesia Collegiata Patronali ex fructibus superexcrescentibus requiritur consensus Patroni, limita ut numero 13.*

8 *Ecclesia Patronata subjici non potest mensæ alterius Ecclesiæ, nec fructus Canonicatus dismembrari, & alteri assignari sine consensu Patroni.*

9 *In suppressione Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ Patronalis præter alia requisita, requiritur consensus Patroni.*

10 *Tam suppressio antiqui Canonicatus, quàm erectio novi in Collegiata Patronali est læsiva Juris patronatus, sed diversimodè.*

11 *Augmentum reddituum superexcrescentium ad hoc, ut sit causa sufficiens erigendi novum Canonicatum, quale debet esse?*

12 *Patronus si videat Episcopum erigere novum Canonicatum in Collegiata Patronali non obstante tenuitate reddituum potest se opponere.*

14 *Si ex redditibus superexcrescentibus unius Præbendæ vacantis erigantur duæ Præbendæ ad terminos Textus* in cap. Vacante de Præbend. *requiritur consensus Patroni.*

16 *Clausulæ*, & non alio modo nihil immutando, *prohibent omnem alium modum præter expressum.*

18 *Beneficium quando Fundatur de Bonis Ecclesiæ, acquiritur Ecclesiæ Juspatronatus.*

19 *Rei sacræ non potest imponi servitus.*

20 *Erecto novo Canonicatu in Ecclesia Collegiata Patronali ex fructibus superexcrescentibus Patrono Collegiatæ competit Juspatronatus ad illum.*

21 *Fructus superexcrescentes Ecclesiæ Patronalis sunt obnoxii Juripatronatus, vel in habitu, vel in actu; & quando? Vide ibi.*

22 *Si ex fructibus superexcrescentibus Ecclesiæ Patronalis erigatur novus Canonicatus cum reservatione Juris patronatus favore Patroni non imponitur eis nova servitus, sed servitus, quam priùs habebant in habitu, reducitur ad actum.*

23 *Juspatronatus, quod competit Patrono respectu Canonicatus noviter erecti ex fructibus superexcrescentibus Collegiatæ Patronalis est Ecclesiasticum.*

CASUS V.

FUit erecta à quodam Fundatore Ecclesia Collegiata A. de omnibus ejus bonis Hæreditariis, ibique ab eodem taxatus certus numerus duodecim Canonicorum cum reservatione Juris patronatus favore eorum de Familia. Decursu temporis cùm fructus præfatæ Collegiatæ notabiliter excrescerent, determinavit Episcopus de hujusmodi fructibus superexcrescentibus erigere novum Canonicatum in dicta Ecclesia Collegiata. Quæro proinde in hoc casu quatuor, quæ non video hactenus ab ullo Doctore tacta, & discussa.

Primò. An Episcopus de dictis fructibus super excrescentibus possit erigere novum

vum Canonicatum ; & quatenus Affirmativè.

Secundò. An in erectione hujusmodi novi Canonicatus requiratur consensus Patroni.

Tertiò. An Patrono competere possit respectu ejusdem Canonicatus Juspatronatus, & quetenus affirmativè.

Quartò. An hoc erit Ecclesiasticum, vel laicale?

1 Ut intelligatur, quo sensu hæc omnia procedere possint, præsupponendum est, quòd in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis aliquando Præbendæ Canonicales sunt omninò distinctæ, & separatę inter se, itaut unicuique Canonicatui sit assignata dos distincta, & separata à Dote alterius Canonicatus; Aliquando nec sunt distinctæ, nec separatæ, nec taxatæ, ut quando non est determinatus, nec certus numerus Præbendarum, nec Canonicorum, sed bona sunt communia, & eorum redditus inter Ecclesiæ inservientes dividuntur; Aliquando sunt taxatæ, sed non distinctæ, nec separatæ, ut quando est determinatus certus numerus Canonicorum, & bona sunt communia, sed ex horum redditibus unicuique Canonico taxata, & assignata fuit certa summa, seu portio. Quæstio præsens procedere non potest in primo casu, quia quando Præbendæ sunt inter se distinctæ, & separatæ, sed per industriam Canonicorum augumententur, augmentum cedit eis solis, nec tenentur aliis communicare: Nec procedere potest in secundo Casu, quia si Præbendæ non sunt taxatæ, nec distinctæ, nec separatæ sed omnibus fructibus massæ Capitularis in communi redactis fierent tot Præbendæ, quot redditus suppetunt, non esset dare fructibus superexcrescentes, & nihil separatum discerni posset, quod superexcresceret: sed procedit in tertio Casu, nimirùm, quando in Ecclesia Collegiata, sunt taxatæ præbendæ, sed non distinctæ, nec separatæ, quo casu dari possunt fructus super excrescentes juxta distinctionem, quam tradunt *Butr. in cap. Cum M. Ferrariensis de Constit. num.* 1. *ibique Imol. n.* 12. *Fagnan. num.* 4. & 40. *Barbos. de Canonic. cap.* 3. *num.* 7.

His præsuppositis in hoc Casu, quoad primum dubium videtur respondendum negativè. Fundator enim in limine fundationis præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ determinavit, ac taxavit certum numerum Canonicorum, nempe duodecim 2 Canonicos, quo casu Episcopus, non potest alterare hanc fundationem, & frangere numerum Canonicorum à Fundatore statutum, erigendo ex fructibus superexcrescentibus Collegiatæ novum 3 Canonicatum; cum Episcopus non possit mutare statum Ecclesiarum contra mentem Fundatorum juxta *Text. in Can. Mutationes*, & *Can. Scias* 7. *quæst.* 1. & docent *Petrus de Perusio de Mutat. Stat. Eccles. cap. ultim. num.* 13. *Monet. de commut. ult. volunt. c.* 11. *num.* 381. *in fine*, *Amostaz. de Causis Piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. sed tenetur pacta, & leges fundationum tam de Iure naturæ, quàm divino observare, & ea destruere, esset frangere Ius naturæ ad *Text. in leg. Juris gentium*, §. *Prætor ait*, *pacta servabo*, *ff. de pactis*, & *Text. in Can. Rationis Ordo* 16. *quæst.* 7. *Bero. cons.* 49. *num.* 8. *lib.* 2.

4 Eo modo, quo statuto per Capitulum certo, & determinato numero Canonicatuum jurato, ac confirmato à Sede Apostolica, non posset Episcopus eum frangere novum creando Canonicum: Ita statuto à Fundatore in limine fundationis certo numero Canonicatuum, seu Canonicorum, non poterit Episcopus illum frangere, & alterare, ea ratione, quia evertere ea, quæ fundatores voluerint in limine fundationis Ecclesiarum, esset eos retrahere ab elargitione propriorum Bonorum in operibus piis, ad quod evitandum videmus Sacros Canones concedere Fundatoribus Iuspatronatus, & admittere eorum leges etiam Iuri contrarias, ut dixi in Superioribus Canonibus, & dicam infra in secunda Parte *Can.* 26. & fuit resolutum à Sacra Rota *in Parmen. Beneficii* 28. *Januarii* 1701. §. *Quam quidem coram Eminentiss. Scotto*.

Sed etiam omisso, quòd Episcopus possit erigere in dicta Collegiata novum Canonicatum ex fructibus superexcrescentibus, adhuc quoad secundum dubium videtur dicendum, quòd in hujusmodi erectione non requiratur consensus

Patroni. Quoniam fructus superexcrescentes, & provenientes à Bonis à Fundatore assignatis pro dote Ecclesiæ Collegiatæ non sunt in Dominio, & Potestate Patroni, sed spectant ad Capitulum, & ad ordinationem Episcopi; unde sicuti Episcopus cum consensu Capituli potest illos erogare in utilitatem Ecclesiæ, in Eleemosynam pauperum, aut ex eis augere Portiones Canonicales taxatas absque consensu Patroni, ita ex eisdem fructibus superexcrescentibus poterit erigere novum Canonicatum absque dicto consensu. Erectio enim novi Canonicatus tendit in evidentem utilitatem, decorem, & honorem Ecclesiæ; adeoque fieri potest ab Episcopo sine consensu
5 Patroni, uti patet in Dismembratione Ecclesiæ Patronalis, quæ si fit ob evidentem necessitatem, & utilitatem, fieri potest ab Episcopo absque consensu Patroni, immo eo positivè dissentiente, ut præter auctoritates per me superius adductas *in Can. IV. Cas. VI.* firmavit *Rot. in Leodien. Dismembrationis* 25. *Januarii* 1715. §. *Minusque coram R. P. D. Lancetta*.

6 At his minime attentis, dicendum in hoc casu Episcopum posse erigere in præfata Collegiata novum Canonicatum ex fructibus superexcrescentibus, data enim superexcrescentia reddituum Ecclesiæ Collegiatæ, Episcopus de consensu Capituli, aut Capitulum de consensu Episcopi habet facultatem frangendi numerum Canonicorum, & erigendi in illa novum Canonicatum ex hujusmodi fructibus superexcrescentibus, juxta celebrem Textum *in cap. Cum M. Ferrariensis de Constit. ibique Abb. & in cap.* 1. *de Instit. num.* 5. *in fine*, *Butr. in cap. Cum Dilectus de Constit. num.* 11. *Fagnan. & Doctores omnes*, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 7. *num.* 8. *Lotter. de re Benef. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 37. *Garz. de Benef. par.* 12. *cap.* 1. *num.* 5. *Barbos. de Canonic. cap.* 3. *num.* 2. *& seqq.*

7 Sed in erectione novi Canonicatus in Ecclesia Collegiata Patronali ex dictis fructibus superexcrescentibus ultra consensum Capituli omnino necessarium, juxta *Fagnan. in cap. Dilecto de Præben. num.* 18. requiritur etiam consensus Patroni. Quoniam erigere novum Canonicatum ultra numerum statutum à Fundatore est alterare statum Ecclesiæ Collegiatæ. Episcopus autem non potest alterare statum Ecclesiæ, & Beneficii sine consensu Patroni, & consequenter neque erigere novum Canonicatum absque hujusmodi consensu, juxta dispositionem hujus Canonis *Monasterium*, *Alexand. de Nevo*, *in cap. Cum M. Ferrariensis de Constit. num.* 37. *& seqq.*

Quod comprobatur multiplici paritate. Ecclesia Patronata non potest subjici,
8 vel mensæ alterius Ecclesiæ donari, nec fructus Canonicatus pinguis dismembrari, & alteri Canonicatui tenui assignari sine consensu Patroni. *Abb. in cap. Suggestum de Jurepatr. num.* 1. & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Cracovien. Dismembrationis fructuum* 3. *Octobris* 1711. Ecclesia simplex ad hoc ut erigi possit in Collegiatam, requiritur consensus Patroni, ut dixi superiùs in Commentario hujus Canonis *Monasterium*, & docent Præposit. in Can. *Si ex Laicis* 10. *quæst.* 1. *num.* 7. *Bald. in leg. Si quis Presbiter*, *cap. de Episc. & Cler. Lotter. de re Benef. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 7. In
9 suppressione Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ Patronalis, præter alia requisita enumerata à *Fagnan. in dicto cap. Cum Ferrariensis de Constit. num.* 12. *Barbos. de Offic. & potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 67. *num.* 1. 2. *& 6. Garz. de Benefic. part.* 12. *cap.* 1. *num.* 2. nimirum, quòd Ecclesia Collegiata sit insignis, quòd Præbendæ sint frequentes, quòd sint adeo tenues, ut cùm distributionibus non sufficiunt ad congruam substentationem Canonicorum, quòd suppressio fiat ab Episcopo de consensu Capituli, & quòd fiat in subsidium, scilicet in defectum remedii unionis simplicium Beneficiorum, requiritur etiam consensus Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici, juxta dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 15. ibi: *Aliquibus ex iis suppressis cum Patronorum consensu &c. eos ad pauciorem numerum deducere*: ibique *Barbos. n.* 21. *& de Offic. & potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 67. *num.* 1. *&* 14. *Fagnan. in cap. Ex parte de Constit. num.* 9. 15. *&* 29. *Garz. de Benef. par.* 12. *cap.* 2. *num.* 202. *&* 285.

&

& fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii *in Alexandrina suppressionis Canonicatus* 17. *Junii* 1702. *ut in Senen. Suppressionis Canonicatuum* 8. *Augusti* 1711. Ergo etiam in erectione novi Canonicatus ex redditibus superfluis Ecclesiæ Collegiatæ Patronalis, requiri debet consensus Patroni, & ita sentire videntur, *Abbas in cap. Suggestum de Jurepat. n.* 3. *ibique Eutr. num.* 4. *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 4. ubi quærit an Episcopus sine consensu Patroni possit ex redditibus constituere præbendas? & respondit *negativè*.

Etenim tam suppressio antiqui Canonicatus, quàm erectio novi in Collegiata Patronali est læsiva Iurispatronatus, sed diversimode. Siquidem suppressio est læsiva Iurispatronatus respectu Iuris præsentandi, eo enim ipso, quòd supprimitur Canonicatus ad effectum augendi redditus aliorum Canonicorum, Patronus ammittit Ius præsentandi respectu Canonicatus suppressi; Erectio novi Canonicatus ex fructibus superexcrescentibus est læsiva Iurispatronatus respectu Iuris alimentorum, dum eo ipso, quòd erigitur novus Canonicatus ex dictis fructibus minuitur spes, & Ius consequendi alimenta in casu inopiæ. Unde sicuti ex eo quòd suppressio Canonicatus est læsiva Iurispatronatus respectu Iuris præsentandi requiritur consensus Patroni, ita cùm etiam erectio novi Canonicatus sit læsiva ejusdem Jurispatronatus, scilicet respectu Juris alimentorum, requiri debet consensus Patroni, non minus lædetur Juspatronatus per amissionem Iuris præsentandi, quàm per amissionem Iuris alimentorum, cùm unusquisque eorum sit fructus adnexus Iuripatronatus, ut fuit resolutum à S. Rota in Salernitana Alimentorum superiùs impressa in *Can.* 3. *Cas.* 3. & expresè docet *Lambertin. de Iurepatr. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 7. *num.* 9. ibi: *Sed remanet aliqualis difficultas, an tam in diminutione, quàm in augmento cum Dispositione Episcopi debeat intervenire consensus Patroni pro tempore existentis. Et in diminutione omnino dicendum est, quòd sic &c. & eadem ratione in augmentatione, in qua militat, & alia ratio intereste Patroni, ne in tantum augeantur servitia, & numerus Clericorum, quòd præjudicetur Patrono in adjunctis in casu inopiæ.*

Ratio autem ulteriùs est, quia non quodcumque augmentum, aut incrementum redditum superexcrescentium est Causa sufficiens ad erigendum novum Canonicatum, sed augmentum debet esse tale, de quo alius æquale stipendium cum aliis habeat, vel saltem sufficiens, & honestum; Unde interest Patrono, quòd in erectione novi Canonicatus citetur, & requiratur ejus consensus, quia interest, ne in sua Ecclesia sint Canonici Pauperes, & qui non se valeant substentare de redditibus Canonicatus, sicuti alii Canonici, ita ut si videat, quòd Episcopus non obstante tenuitate augmenti reddituum velit erigere novum Canonicatum, potest se opponere, dum non debent esse in Ecclesia Collegiata plures Canonici, quàm quot possunt ex redditibus illius substentari, juxta *Text. in cap.* 1. *de Instit.* ibique *Gloss. Abb. num.* 2. *Anan. num.* 1. *& Gloss. in cap. cum M. Ferrariensis de Constit. verb. Industriam, ibique Fagnan. num.* 51. Cæterùm si Patronus absque rationabili causa nolit consentire, poterit Episcopus erigere sine ejus consensu novum Canonicatum, sicuti poterit urgente necessitate, & utilitate Ecclesiæ mutare Ecclesiam simplicem in Collegiatam, etiam renuente Patrono, & consensus in hoc casu haberetur pro præstito, quia Patronus non debet impedire utilitatem, & decorem Ecclesiæ provenientem ex majori numero Canonicorum, *Alexand. de Nevo in dicto cap. Cum M. Ferrariensis numero* 4. *Lambert. de Jurepat. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 1. *num.* 4. *& art.* 7. *num.* 10. *Bertachin. vot. Decis.* 192. *num.* 3.

Idem dicerem si numerus Canonicorum augeatur non ex fructibus superexcrescentibus massæ communis, sed ex eo, quòd cùm Præbenda Canonicalis vacans distincta, & separata ab aliis sit adeo pinguis, ut ejus facultates, & redditus sufficiant pro duabus, ipsa per Episcopum dividatur, & ex ea creentur duæ Præbendæ ad terminos *Text. in cap. Vacante de Præbend.* Si enim ex redditibus hujusmodi Præbendæ vacantis constituantur duæ Præbendæ Canonicales, præ-

præter alia requisita, quæ requiruntur, nimirum exiguus numerus Canonicorum, aut alia causa rationabilis, quòd redditus sufficiant pro duabus Præbendis, & & consensus Episcopi, & Capituli requiritur etiam consensus Patroni. *Imol. in dicto cap. Vacante num.* 5.

15 His fundamentis stabilita affirmativa resolutio tam primi, quàm secundi dubii superiùs proposiți non obstat, quòd in contrarium deducebatur, nimirum, quòd in præfata Ecclesia Collegiata fuerit taxatus à Fundatore certus numerus duodecim Canonicorum, ex hoc enim non sequitur, quòd excrescentibus redditibus massæ Capitularis, non possit Episcopus frangere dictum numerum Canonicorum, & erigere novum Canonicatum. Ratio est, quia ad hoc requirebatur, quòd Fundator expressè, vel tacitè prohibuisset alterationem numeri Canonicorum à se in limine Fundationis Collegiatæ statuti. E. G. dixisset, quòd in Collegiata essent duodecim Canonici, & non plures, aut quod erigeretur Collegiata cum duodecim Canonicis, & non alio modo, vel nihil in toto, aut in parte eam immutando, tunc enim Episcopus non posset erigere in dicta Ecclesia Collegiata novum Canonicatum, nec alterare numerum Canonicorum ibi præfixum propter prohibitionem fundatoris expressam, aut tacitam resultantem ex illis clausulis, *& non alio modo, nihil immu-*
16 *tando*, quæ prohibent omnem alium modum præter expressum, juxta *Alex. cons. 3. num. 4. lib. 1. Dec. cons. 6. num. 2. Tusch. conclus. Iur. 313. num. 1. litt. D. tom. 2. Barbos. dict. 214. num. 1. in fine, Rot. decis. 619. num. 2. par. 1. Recent.* Et non sufficit, quòd Fundator simpliciter taxaverit numerum Canonicorum, & disposuerit, quod in Collegiata essent duodecim Canonici, hujusmodi enim dispositio intelligitur rebus sic stantibus, nimirum, nisi facultates, & redditus excrescerent, ita ut eis excrescentibus posset Episcopus il-
17 lam frangere, & augere numerum Canonicorum, sicuti auctis facultatibus Ecclesiæ augeri potest numerus Canonicorum, etiam si sit juratus, & confirmatus à Sede Apostolica, & etiamsi in confirmatione adesset clausula Decreti irritantis, quia hujusmodi numerus sic confirmatus intelligitur, nisi facultates, & redditus excreverint. *Imol. in cap. Vacante de Præbend. num. 5. vers. Quandoque verò, Fagnan. in cap. Dilecto de Prabend. num. 22. & seqq. Alexan. de Nevo in cap. Cum M. Ferrariensis de Constit. num. 31. & 34. ibique Fagnan. num. 43. & seq.*

Descendendo ad tertium dubium, videtur, si erigatur ab Episcopo ex fructibus superexcrescentibus novus Canonicatus in dicta Ecclesia cum consensu Patroni, non posse huic competere Jus præsentandi, & Juspatronatus respectu Canonicatus sic noviter erecti. Primò, quia bona, & fructus excrescentes, quibus erigitur novus Canonicatus, non spectant ad Patronum, sed ad Ecclesiam Collegiatam, cui a Fundatore fuerunt in primæva erectione assignata, adeoque non potest Patronus acquirere respectu Canonicatus noviter erecti Juspatronatus, sed illud spectabit ad Ecclesiam Collegiatam, vel no-
18 vus Canonicatus erit liberæ collationis, dum quando fundatur Beneficium de Bonis Ecclesiæ, Juspatronatus acquiritur Ecclesiæ, & non alteri, juxta Auctoritates per me superiùs deductas *in Can. I. & II. Cas. V. num.* 4. quibus addo *Rocch. de Curt. de Jurepatron. verb. Ecclesiam fundavit num.* 8.

19 Secundò, quia illi fructus superexcrescentes, quibus erigitur novus Canonicatus, sunt Deo dicati, & Sacri; rei autem Sacræ non potest imponi ulla servitus, & sic nec Juspatronatus.

20 Sed contrarium censeo Iuri, & veritati consonum. Etenim si Ecclesia simplex Patronalis de consensu Patroni erigatur in Collegiatam, & ex ejus fructibus, & redditibus creentur tot Præbendæ, licèt iidem fructus, & redditus spectent ad Ecclesiam simplicem, & ante erectionem Præbendarum in Collegiata erant Deo dicati, & Sacri, adhuc Patrono respectu harum Præbendarum competit Juspatronatus, & tot potest præsentare Canonicos, quot sunt Præbendæ, ut docent *Butr. in cap. Snggestum de Jurepat. num. 4. infine*, ibi: *Quod si Ecclesia Patronata cum consensu Patroni erigatur in Collegiatam poterit impetrare, quòd in Præbendis retineat Juspatronatus*: ibique *Abb. n. 3.*

ubi

ubi refert sententiam Hostiensis dicentis in hoc casu Patronum habere Juspatronatus ad Præbendas ibi: *Hostiensis dicit, quod per hoc non privaretur Patronus, quia posset Patronus præsentare ad illas Præbendas*: Ergo etiã licet illi fructus superexcrescentes, quibus in Ecclesia Collegiata Patronali erigitur per Episcopum novus Canonicatus de consensu Patroni, spectent ad ipsam Collegiatam, & sint Deo dicati, adhuc respectu Canonicatus noviter erecti ex dictis fructibus competere poterit Patrono Juspatronatus, & Jus præsentandi novum Canonicum, eodem modo, quo ipsi competit Jus præsentandi alios Canonicos primæ erectionis ejusdem Collegiatæ.

21 Ratio est, quia licét illi fructus superexcrescentes spectent ad Collegiatam, & sint Deo dicati, tamen semper verum est, quòd sint fructus Patronales, seu Ecclesiæ Patronalis, qui habent in se à primæva erectione Collegiatæ imbibitam qualitatem Patronalem, & qui sunt obnoxii, vel in habitu, vel in actu Juripatronatus secundùm diversas circumstantias; etenim si Patronus sit inops fructus superexcrescentes sunt obnoxii Juri alimentorum actu, & actu debentur Patrono inopi, si verò Patronus sit dives sunt obnoxii Juri alimentorum in habitu, scilicet deberentur Patrono, in casu, quo vergeret ad inopiam. Insuper si fructus superexcrescentes dissiparentur, ac dilapidarentur, sunt obnoxii Juri defendendi in actu, seu quod actu defendantur à Patrono, si verò non dilapidentur, sunt obnoxii eidem Juri defendendi in habitu, scilicet Patronus, posset illos defendere in casu, quo dilapidarentur, sic si fructus superexcrescentes erigantur in novum Canonicatum, erunt obnoxii Juri præsentandi in actu, seu quòd Patronus poterit actu præsentare ad illos novum Canonicum; si verò non erigantur in Canonicatum, erunt obnoxii eidem Juri præsentandi in habitu,
22 scilicet in casu, quo erigerentur. Unde si erigatur novus Canonicatus ex dictis fructibus superexcrescentibus, & reservetur respectu illius Juspatronatus, seu præsentandi favore Patroni, non imponitur eisdem fructibus superexcrescentibus nova Servitus, sed servitus, ut præsentetur ad illos à Patrono novus Canonicus, quam prius habebant in habitu, & in potentia, nunc per erectionem illorum in Canonicatum reducitur ad actum, itaut Patronus possit ad illos in Canonicatum erectos
23 novum Canonicum præsentare.

Quoad ultimum denique dubium respondeo Juspatronatus, quod competit Patrono respectu novi Canonicatus ex dictis fructibus superexcrescentibus esse Ecclesiasticum, quia fructus superexcrescentes quibus erectus fuit dictus Canonicatus, erant Deo dicati, & Ecclesiastici, ac proinde Juspatronatus erit Ecclesiasticum, tale enim hoc dicitur, quando Beneficium erigitur de Bonis Ecclesiasticis. Unde in hoc casu Patronus præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ erectæ de Bonis hæreditariis, & Laicalibus à Fundatore respectu Canonicatuum primævæ Erectionis, habebit Juspatronatus Laicale, respectu verò dicti Canonicatus noviter erecti, & secundæ erectionis habebit Juspatronatus Ecclesiasticum.

ARGUMENTUM.

Erecto novo Canonicatu in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, cum admissione novi Canonici ad stallum in Choro, Vocem in Capitulo, & distributiones Ordinarias, & cum reservatione Jurispatronatus: An huic debeantur distributiones tam Ordinariæ, quàm extraordinariæ, ita ut Patronus instare possit apud Capitulum, ut ejus Præsentato, & instituto in dicto Canonicatu concedantur etiam Distributiones extraordinariæ?

SUMMARIUM.

1 *Distributiones extraordinariæ sunt emolumenta extrinseca Canonicatui.*

2 *Ex concessione unius non infertur ad concessionem alterius.*

3 *Clausula*: Non aliàs, nec alio modo *habet arguere præcisam contrahentium mentem.*

4 *Pro-*

4 *Protestatio facta à Canonicis non admittendi novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, an operetur, ut novus Canonicus admitti non debeat ad participationem hujusmodi distributionum, & num. 19. & 20.*

5 *Observantiæ multum est deferendum ad cognoscendum, quid fuerit in concessione comprehensum.*

6 *Admissio novi Canonicatus in Collegiata præsumitur facta absque præjudicio admittentium.*

7 *Capitulum tenetur admittere novum Canonicum ad distributiones non solùm Ordinarias, sed etiam extraordinarias, & Patronus potest instare apud ipsum, ut ad hujusmodi distributiones idem Canonicus admittatur. Quando Capitulum in fundatione consensit admittere novum Canonicum ad distributiones quotidianas ad instar aliorum Canonicorum, n. 9. 10. 12. 13. & 16. & 18.*

8 *Duplex est species Canonicorum, & quæ sit? vide ibi.*

11 *Nomine distributionum quotidianarum veniunt etiam Anniversaria, & mortuaria.*

14 *Distributiones extraordinariæ debentur Canonico ob servitium personale Ecclesiæ præstitum.*

15 *Ubi onus est commune, commune etiam debet esse emolumentum.*

16 *Refertur resolutio Sacræ Congregationis Concilii in* Pientina Canonicatuum.

17 *Novus Canonicus non est excludendus à distributionibus extraordinariis, ex eo quia in primæva erectione fuerint ei assignata bona distincta à bonis mensæ Capitulari aggregatis.*

21 *Protestatio contraria facto non valet.*

22 *Ex actu protestato nulla sequi potest observantia.*

23 *Novus Canonicus est exclusus à distributionibus extraordinariis præcedentibus erectionem novi Canonicatus, non verò subsequentibus, & posterioribus.*

24 *Statuta à Fundatore erectione quatuor Canonicatuum in Ecclesia Collegiata cum reservatione Jurispatronatus, si Capitulum acceptet erectionem unius, vel duorum ex eis, non potest renuere erectionem aliorum, quando redditus assignati sunt sufficientes pro omnibus.*

25 *An, & quando loco Canonicatus demandati à Testatore erigi non possit Beneficium simplex.*

26 *Beneficium simplex erigi, & converti non potest in Canonicatum.*

CASUS VI.

ERectus, ac dotatus fuit annuo redditu Ducat. 64. lir. 2. novus Canonicatus in quadam insigni Collegiata ad instantiam ejus Operariorum cum reservatione Jurispatronatus favore eorumdem, & de eo primus investitus fuit Titius de consensu tùm Ordinarii, tum Capituli, quod unanimi consensu acceptauit hanc erectionem noui Canonicatus, & eundem Titium in Canonicum his uerbis: *Proposero mandare il Partito dell' accettatione del novo Canonicato fondato, e conferito a Titio, dargli lo Stallo in Coro, Voce in Capitolo, Prebende, e Distributioni quotidiane, conforme gl'altri Signori Canonici, con dichiaratione espressa però, che la mensa Capitolare si contenta accettarlo, e pagarlo, mentre sarà conservato dall' Opera Fondatrice il fondo, e rendita annua delli Ducati 64. e lir. 2. &c. Et in tal modo protestorono li sopradetti il loro consenso, e non altrimente &c.*

Capitulum post annum à die erectionis novi Canonicatus admisit ex gratia speciali in exemplum non alleganda eumdem Titium. Primum investitum ad distributiones extraordinarias, declarando, & deliberando vigore acceptationis dicti novi Canonicatus, non intellexisse admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, sed si hic vellet dictis Distributionibus frui, debere contribuere ratam portionis, & reportare consensum Capituli, ut ex particula Deliberationis, ibi: *Deliberarono per grazia speciale di abilitare personalmente la Persona sola di Titio, sua vita durante solamente, che possa godere le dette distributioni straordinarie, e Legati pii con espressa conditione, che questa Grazia*

non passi mai in esempio a pro alcuno de Successori nel Canonicato di detto Titio come la detta Grazia mai non fosse stata fatta, e che volendo i detti Successori godere, devino contribuire la rata porzione, e riceverne il consenso del Capitolo &c. Mediante qua Deliberatione idem Titius, ejus vita durante fuit admissus ad distributiones extraordinarias.

Sequuta morte Titii, ac præsentato, & instituto in eodem Canonicatu Cajo die 23. Junii 1704. idem Capitulum renovavit eamdem deliberationem, quam supradictus Cajus una cum Patronis protestavit, & instetit pro Admissione ad distributiones extraordinarias, sed incassum, dum numquam ad eas admissus fuit. Defuncto Cajo mense Julii 1715. in admissione Sempronii ad Canonicatum, Capitulum reiteravit eamdem deliberationem, quæ pariter protestata fuit ab eodem Sempronio, & Patroni insteterunt apud Capitulum, ut Sempronius præsentatus ad dictum Canonicatum admitteretur ad distributiones extraordinarias. Quæritur proinde

Primò. An Capitulum vigore supradictæ acceptationis erectionis novi Canonicatus in ejus Ecclesia teneatur admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, & Patroni instare possint apud ipsum, ut Præsentato ab eis ad eumdem Canonicatum concedantur distributiones extraordinariæ; vel potiùs novus Canonicus sit ab eis exclusus? Et quatenus *negativè* quoad primam, & *Affirmativè* quoad secundam partem.

Secundò. An novus Canonicus sit exclusus à distributionibus extraordinariis extantibus tùm ante, tùm post præfatam acceptationem, vel potiùs ab eisdem distributionibus extantibus solùm ante acceptationem?

Super quibus consultus fuit D. meus Advocatus Pitonius in diversis tamen terminis *in una Pisana, seu Liburnen. distributionum*; Et Ego ex commissione ejusdem mei Præceptoris pro meo studio scribens in hac Causa censebam, prout infra de Jure respondendum. Et quidem quoad primum videtur Capitulum ex vi supradictæ erectionis novi Canonicatus in ejus Ecclesia non teneri admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, sed potiùs iste esse ab eis exclusus; Etenim de tempore erectionis novi Canonicatus fuerunt novo Canonico assignata ab Operariis bona distincta à bonis mensæ Capitulari jam aggregatis, eique Capitulum concessit omnia emolumenta intrinseca, & propria Canonicatui, nempè Stallum in Choro vocem in Capitulo, ac distributiones quotidianas. Unde novus 1 Canonicus ex vi hujusmodi erectionis, & concessionis adspirare non potest ad emolumenta omninò extrinseca Canonicatui, ut sunt distributiones extraordinariæ, seu minutæ provenientes ex Anniversariis, Funeralibus, & Fidelium Legatis, quæ sicuti sunt onera extrinseca Canonicatui, ita & distributiones ex eis provenientes dicuntur emolumenta extrinseca eidem Canonicatui. Sed contentus esse debet propriis, ac particularibus fructibus ei in primæva erectione assignatis, nec prætendere potest participationem distributionum extraordinariarum. Ex concessione 2 enim unius non infertur ad concessionem alterius omninò diversi, & quod est extra ordinem. Argum. *Text. in Leg. Sejo Amico* §. 1. *ff. de an. leg. Card. de Luca de Canonic. disc. 6. num. 13. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 867. num. 4.*

Præsertim cum consensus Erectioni præstitus à Capitulo non sit purus, sed cum *Clausula, non aliàs, nec alio modo*, quæ arguit eumdem consensum esse restrictum ad solas distributiones ordinarias, & proprias Canonicatui, non verò extraordinarias juxta ejusdem clausulæ naturam, quæ 3 habet arguere præcisam contrahentium mentem, inducere conditionem, & adimere consensum ab actu, juxta *Card. de Luca de Pens. 41. num. 7. disc. 18. sub numer. 8. & 10. de Donat. Barbos. de Clausul. Clausul. 81. num. 3.*

Et hanc fuisse mentem, & voluntatem 4 Canonicorum antiquæ fundationis satis detegitur ex actu subsequuto, quo iidem Canonici post annum à die erectionis novi Canonicatus protestando declararunt se non intellexisse admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, ut ex Particula Protestationis, & deliberationis superiùs relatæ; Quæ protestatio præservat eorum Jura, & operatur, ut no-

novus Canonicus admitti non debeat ad participationem dictam distributionum extraordinariarum. *Tondut. quæst. benef. cap.* 111. *num.* 13.

Accedente etiam subsequuta observantia, quæ sicut in omni materia præcedentis actus interpretationem præbet, ita in præsenti demonstrat non fuisse in dicta Erectione novi Canonicatus comprehensas Distributiones extraordinarias, dum post secutam erectionem nullus Canonicorum in dicto Canonicatu institutus fuit admissus ad distributiones extraordinarias, sed solùm fuerunt eis concessæ distributiones Ordinariæ, præterquam Titius, qui licèt admissus fuerit ad distributiones extraordinarias, tamen non fuit admissus de Jure, 5 sed ex gratia speciali Capituli, ut ex supradicta Particula protestationis; Quæ quidem observantia satis declarat concessionem distribucionum quotidianarum à Capitulo factam novo Canonico non comprehendere distributiones extraordinarias; atque in materia participandi distributiones multum est deferendum, ad cognoscendum, quod fuerit in concessione comprehensum ad *Text. in cap. Unic.* §. *Statuimus de Cleric. non resid. in* 6. *Imol. in cap. Cum M. Ferrarienſis de Constitut. num.* 28. *Dec. consil.* 280. *Paris. cons.* 32. *num.* 20. *lib.* 4. *Abb. in cap. Dilectus n.* 17. *& seq. de Præbend. Lotter. de re Benef. lib.* 1. *quæst.* 19. *num.* 43. *Gratian. disceptat.* 867. *num.* 46. *& seq. Rota decis.* 720. *num.* 5. *part.* 3. *& in Firmana Jurisdictionis* 15. *Aprilis* 1701. §. *Observantia coram Molines Decano, & in Hispalen. Decimarum* 11. *Februarii* 1715. §. *Denique coram Eminentissimo Scotto.*

Ratio autem videtur esse quasi Cano- 6 nicus novus esset admittendus ad distributiones extraordinarias, antiqui Canonici de adjunctione hujus novi Canonicatus haberent tristari, & dolere, & pro laudibus cantandis dolendo canerent illud Esajæ: *Multiplicasti Gentem, & non magnificasti Lætitiam.* Tenderet enim hujusmodi adjunctio novi Canonicatus in præjudicium antiquorum Canonicorum, dum isti distributiones extraordinarias, quas inter se dividebant, deberent alteri communicare, ac proinde cum semper præsumendus sit actus fuisse gestus absque præjudicio gerentis, sequitur, quòd admissio novi Canonicatus facta ab antiquis Canonicis restringi debeat ad participationem distributionum Ordinariorum, & non extendi etiam ad distributiones extraordinarias, & magis est tollerandum, quod Canonicus has non acquirat, quam quòd antiqui Canonici perdant illas acquisitas, ut expresè docet *Castren. cons.* 170. *nu.* 1. *tom.* 1.

Verum istis non obstantibus contrarium 7 est concludendum, nimirum Capitulum ex vi præfatæ erectionis, & admissionis novi Canonicatus teneri admittere novum Ganonicum non solum ad distributiones Ordinarias, sed etiam extraordinarias provenientes ex Anniversariis, Mortuariis, & Legatis Piis Capitulo relictis, & Patronos posse instare apud idem Capitulum ut ab eis præsentato, & instituto in dicto Canonicatu concedantur hujusmodi distributiones.

Ad quod assequendum duas distinguo 8 species Canonicatuum, seu Canonicorum supernumerariorum usu receptas, quamvis *Card. de Luca disc.* 37. *de Canonic. num.* 2. assignet tertiam speciem Canonicorum, & dicit esse illos, qui ex Gratiis expectativis providentur pro prima futura vacatura, sed hodie saltem in Italia ista Canonicorum species est sublata, & non est amplius in usu *Gonzal. super regut.* 8. *Cancell.* §. 1. *proæm. num.* 64. Alii igitur sunt Canonici supernumerarii in sola honorifica nuncupatione Canonicorum, qui non participant de massa capitulari, nec habent præbendam, seu Jus integrum, & Ordinarium, sed tantummodo Jus quoddam præparatorium ad Jus integrum obtinendum, & per admissionem hujusmodi Canonicorum non frangitur numerus. Alii verò sunt Canonici supernumerarii in re, & sunt illi, quorum Canonicatus fuerunt erecti de superventis redditibus cum omnibus prærogativis, & eminentiis Canonicalibus, & qui habent præbendas distributiones, Stallum in Choro, & vocem in Capitulo, sicuti alii Canonici, qui quidem Canonici propriè dicuntur aggregati, impropriè verò supernumerarii ad distinguendum novos Canonicos ab antiquis, & per horum admissionem frangitur numerus Canonicorum Collegiatæ jam de-

jam determinatus ac statutus. *Abb. in cap. Cum M. Ferrarienſis de Conſtitut. numer. 31. & in cap. Dilectus de Præbend. numer. 21. & ſeqq. Lotter. de re Benef. lib. 1. quæſt. 19. num. 4. Carol. Anton. de Luca ad Gratian. diſcept. 867. num. 4. Rota in Novarien. Præcedentis 3. Julii 1713. §. Quibus erectionem coram R. P. D. Lancetta.*

9 Præſuppoſita hujuſmodi Canonicorum ſupernumerariorum diſtinctione. Novus Canonicatus admiſſus ab antiquis Canonicis Collegiatæ ad inſtantiam Operariorum, non eſt primæ, ſed ſecundæ ſpeciei, dum fuit admiſſus cum aſſignatione Stallo in Choro vocis in Capitulo, ac diſtributionum quotidianum. Ac proinde novus Canonicus taliter admiſſus participare debet de omnibus emolumentis, & habere omnia Jura canonicalia, & diſtributiones quotidianas ſicuti Canonici antiqui, ad *Text. in cap. fin. §. In illis verò de conceſſ. præben. in 6. ibique Gemin. Abb. in cap. Dilectus de Præben. num. 21. Butr. in cap. Cum M. Ferrarienſis de Conſtitut. num. 66. ibique Abbas num. 30. in fin. & 31. Imol. num. 28. Lotter. de re Benef. lib. 1. dicta quæſt. 19. numer. 44. & 46. Tondut. quæſt. Benef. cap. 111. num. 12. Rot. deciſ. 98. num. 2. coram Seraph.*

Et quidem habere debet diſtributio-
10 nes quotidianas non ſolum ordinarias, ſed etiam extraordinarias provenientes ex Funeralibus, Mortuariis, & Legatis
11 Piis, cum nomine diſtributionum quotidianarum veniant etiam illa emolumenta, quæ proveniunt ex Anniverſariis, & Mortuariis, & aliis Legatis Piis Capitulo relictis, ut docent *Lap. Allegat. 42.* ibi: *Appellatione quotidianarum diſtributionum comprehenduntur illa Funeralia, quæ inter eas manualiter dividuntur propter Intereſſe illi actui: Tuſch. concluſ. 511. num. 2. Litt. D. tom. 2. Card. de Luc. de Canonic. diſc. 6. num. 14. Rot. deciſ. 32. num. 7. & deciſ. 59. num. 3. & ſeq. par. 7. & Rec.* Unde ſi ſupradicto novus
12 Canonicus fuit admiſſus ab antiquis Canonicis ad diſtributiones quotidianas, ſequitur fuiſſe etiam admiſſum ad diſtributiones extraordinarias, & de iſtis participare debet; cum ipſe ſit de Capitulo ſicuti ſunt alii Canonici *Pignatell. conſult. 48. tom. 6. num. 12. Rot. dec. 720. num. 1. par. 3. & deciſ. 124. num. 8. par. 4. tom. 2. Recent.*

Eoque magis novus Canonicus frui
13 debet etiam diſtributionibus extraordinariis, cum in erectione novi Canonicatus fuit admiſſus ad participationem emolumentorum Canonicalium ad inſtar aliorum Canonicorum, ibi: *Propoſero &c. darli lo Stallo in Coro, voce in Capitolo, e diſtributioni quotidiane, conforme gl' altri Signori Canonici*: Per iſtam enim admiſſionem novi Canonicatus, ita conceptam antiqui Canonici ſibi ipſis parificarunt, & ſimilem reddiderunt novum Canonicum, juxta naturam dictionis *Ad inſtar*, quæ importat omnimodam ſimilitudinem, *Barboſ. de Diction. dict. 165.* ac proinde ſicuti antiqui Canonici participant non ſolum de diſtributionibus Ordinariis, ſed etiam extraordinariis, ita, & novus Canonicus de eiſdem diſtributionibus extraordinariis participare debet, *Abb. in dicto cap. Cum M. Ferrarienſis numer. 31. ibique Felin. num. 23. de Conſtit.* & expreſsè deciſum fuit a Sacra Rota *deciſ. 720. num. 2. par. 3.* ibi: *Eoque magis id procedit, cum hæc dignitas erecta fuerit ad inſtar aliarum, quæ de honoribus, & emolumentis participant.*

Ratio autem eſt, quia cum diſtribu-
14 tiones extraordinariæ debeantur Canonico non uti Canonico, ſeu reſpectu tituli, ſed Canonico tamquam intervenienti Divinis, ſeu ob ſervitium perſonale Eccleſiæ præſtitum ad *Text. in cap. unic. de Cleric. non reſid. in 6. Rot. in Illerden. Diſtributionum 20. Febru. 1702. §. cum enim coram dell' Olmo, & 22. Januarii 1703. §. Non enim, coram Eminentiſſimo Priolo, & in Varmien. Fructuum Canonicatus 1. Decembris 1702. §. Loquendo, coram Molines Decano*, neceſſariò conſequitur, quod ſi novus Canonicatus inſeruit Eccleſiæ Collegiatæ in Anniverſariis, Funeralibus, & adimplet onera Legatorum Piorum, ſicuti inſerviunt antiqui Canonici, debet etiam participare de diſtributionibus, & emolumen-
15 tis ab eis provenientibus, ſicuti participant antiqui Canonici, ubi enim onus eſt commune, commune etiam debet eſſe emolumentum, *Lotter. de re Benef. lib. 1.*

dicta quæst. 19. *num.* 36. *Pignatell. consultat.* 48. *tom.* 6. *num.* 13. *Gonzal. super regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *proæm. num.* 162. *Rota decis.* 6. *coram Mossedan. in Addib. litt. B. pag. mihi* 240. *& decis.* 720. *num.* 4. *& decis.* 193. *num.* 7. *& seqq. coram Buratt. & in Recent. decis.* 124. *num.* 8. *par.* 4. *tom.* 2.

Et ita resolutum fuit à Sacra Congre-
16 gatione Concilii *in Pientina Canonicatuum* 15. *Martii* 1704. ubi cum in Collegiata Ecclesia Santissimæ Trinitatis Terræ Senalongæ ex particulari piorum fundatione tres aliæ dignitates adauctæ fuerint, cum quatuor aliis Canonicatibus reservato Jurepatronatus favore eorumdem Fundatorum, & pluribus appositis conditionibus, & signanter, quod illorum Possessores habere nequeant vocem, neque activam, neque passivam in Capitulo occasione electionis Camerarii, & Cancellarii Capitularis, quod absente Archipresbitero nemo ex ipsis facere possit functiones Ecclesiæ, nisi ad illam spectet ratione Hebdomadæ, quod in omnibus prætendere non valeant quidquam aliud supra cæteros Canonicos, salva præcedentia, quod nequeant participare de Cera massæ communis, & quod non possint intervenire in Festivitatibus, vel Funeralibus, nisi universum Capitulum fuerit invitatum; Et cum plures Controversiæ excitarentur inter Canonicos primæ, & secundæ erectionis ex denegatione tàm vocis in Capitulo, quàm participationis distributionum. Disputata fuerunt sequentia dubia.

Primò. An Canonici secundæ erectionis debeant participare de distributionibus, & eleemosynis incertis provenientibus ex Funeribus, aliisque causis.

Secundò. An in erectione Camerarii, & Cancellarii Capituli debeant intervenire Canonici tam primæ, quàm secundæ erectionis.

Tertiò. An in casu, in quo in Functionibus non sit invitatum totum Capitulum debeat servari Turnum ad formam Constitutionum ejusdem Capituli.

Quartò. An sit concedenda alternativa. Sacra Congregatio respondit ad primum *Affirmativè excepta Cera.* Ad secundum, tertium, & quartum *negativè.*

Non obstant in contrarium superiùs
17 deducta, nimirum, quod in primæva erectione novi Canonicatus fuerint assignata à supradictis Operariis novo Canonico, nova dos, & bona distincta à bnnis mensæ Capitularis jam aggregatis, ex hoc enim non sequitur, quòd novus Canonicus excludendus sit ab aliis emolumentis debitis ratione personalis ministerii, & laboris præstiti Ecclesiæ, ut expressè docent *Pignatell. consult.* 48. *numer.* 14. *tom.* 6. *Tondut. quæst. Benef. cap.* 111. *num.* 5. *Rot. decis.* 98. *num.* 2. *coram Seraph.*

Clausula autem *non alias aliter, nec*
18 *alio modo* apposita in admissione novi Canonicatus non restringit consensum Capitularium ad solas distributiones Ordinarias, sed tantum ad solum casum, quo conservantur ab opera fundatrice annui redditus. *Ducat.* 64. *& lir.* 2. Canonici enim antiquæ fundationis, ita consenserunt admittere novum Canonicum ad Stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas, ut conservarentur à Fundatrice dicti annui redditus, & non aliàs ibi: *Con dichiaratione espressa però, che la Mensa Capitolare si contenta accettarlo, e pagarlo, mentre sarà conservato dall' Opera fondatrice, il fondo, e rendita annua delli Ducati* 64. *e lir.* 2. *Et in tal modo &c. e non altrimente &c.* Ex quo patet consensum Capitularium fuisse restrictum ad istum solum casum, non verò ad solas distribuliones Ordinarias, seu quod Capitulares voluerint admittere novum Canonicum ad dictas solas distributiones; eo enim ipso, quod admiserunt illum ad distributiones quotidianas ad instar aliorum Canonicorum, & ipse adimplet omnia onera Capituli, sicuti alii Canonici, sequitur perneceſſe, quod cum admiserint etiam ad distributiones extraordinarias, & incertas debitas verè præsentibus, & interessentibus in Choro ex causa personalis laboris, seu actualis servitii Ecclesiæ præstiti ex superius adductis, quibus addo *Fagnan. in cap. Licèt num.* 17. *& seqq. de Præbend. & Dignitat. Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. *Card. de Luca de Can. disc.* 13. *numer.* 15. *Rota decis.* 260. *num.* 19. *& decis.* 374. *numer.* 15. *part.* 12. *Recent.*

Nec

19 Nec adversatur Protestatio declaratoria, qua Canonici antiqui post annum à die erectionis novi Canonicatus declararunt se non intellexisse admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias. Quoniam hujusmodi protestatio declaratoria auferens novo Canonico distributiones extraordinarias est insubsistens, & omninò nulla tamquam facta tempore inhabili post annum à die erectionis executioni demandatæ. Licet enim Capitulum in limine fundationis novi Canonicatus potuerit adjicere conditionem non lucrandi distributiones extraordinarias, tamen post fundationem, & postquam admiserunt in novo Canonicatu conditionem habendi Stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas ad instar aliorum Canonicorum, & sic etiam distributiones extraordinarias, non poterat postea adjicere novas conditiones, & derogare qualitatibus appositis etiam cum consensu Patroni. *Garz. de Benef par. 7. c. 1. num. 111. & seq. Tondut. quæst. Benefic. cap. 68. num. 7. & seq.*

20 Tum quia est contraria facto, nam eo ipso, quòd Capitulum in limine erectionis consensit admittere novum Canonicum ad Stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas ad instar aliorum Canonicorum, si deinde protestetur se non velle admittere novum Canonicum ad distributiones extraordinarias, consecutivè protestaretur, se non velle admittere novum Canonicum ad instar aliorum Canonicorum, cum alii Canonici participent de distributionibus extraordinariis, adeòque tamquam contraria facto, & quidem non dependente à sola voluntate Capituli, non valet, & nullatenus prodesse potest eidem Capitulo ad effectum impediendi, ne novus Canonicus consequatur distributiones extraordinarias, & sibi imputet Capitulum si novus Canonicus admitti debeat ad dictas distributiones extraordinarias, quia debebat in limine admissionis novi Canonicatus hoc declarare. *Fagnan. in cap. cum M. Ferrariensis de constitut. num. 18. & seqq. ibique Anan. num. 5. Butr. num. 35. Alexand. de Novo num. 19. Pignatell. consult. 48. num. 7. tom. 6.*

22 Neque allegari potest observantia in contrarium; Etenim quilibet Canonicus præsentatus, & institutus in dicto novo Canonicatu, licèt non fuerit admissus à Capituto ad distributiones extraordinarias, tamen contra hoc protestatus fuit, & sic ex actu isto Capituli contrario protestato, nulla sequi potest observantia in contrarium. *Adden. ad Buratt. decis. 857. num. fin. Rota decis. 239. nu. 27. part. 8. & decis. 310. num. 12. part. 16. Recent.*

23 Descendendo verò ad secundum dubium censeo novum Canonicum esse excluſum à distributionibus extraordinariis præcedentibus erectionem novi Canonicatus, & eas spectare in solidum ad solos antiquos Canonicos, non verò esse excluſum à distributionibus extraordinariis subsequentibus, & posterioribus ad erectionem præfati novi Canonicatus. Nam hujusmodi distributiones extraordinariæ posteriores, aut sunt tales, quæ singulariter distribuuntur, & offeruntur cuilibet Canonico ab Hæredibus Defunctorum, vel legantium, ut sunt Cerei, Candelæ, nummus, & Canonicus novus potest de istis participare, quia nullum in hoc est præjudicium Canonicorum antiquorum, sed solum præjudicium est Hæredum, qui de cætero habebunt dare pluribus, quàm antea. Aut sunt tales quarum relictum fuit factum Capitulo in communi, & in hoc casu etiam Canonicus novus debet de istis participare, nam cum Capitulum unum sit constans ex veteribus, & novis, sequitur, quod quidquid relinquitur Capitulo debeat inter omnes dividi, ut expressè docet *Castrens. cons. 170. tom. 1. §. Super secundo, quem sequuntur Card. de Luca de Canon. disc. 6. numer. 14. Gratian. discept. 867. nu. 38. & seqq. Tondut. quæst. Benef. 68. num. 13. & seqq.*

Ex his igitur omnibus patet, quod si Capitulum acceptet in propria Ecclesia erectionem novi Canonicatus demandatam ab aliquo Fundatore, & admittat novum Canonicum ad distributiones quotidianas ad instar aliorum Canonicorum, huic novo Canonico præsentato à Patronis ad dictum Canonicatum debentur distributiones non solum Ordinariæ,

riæ, sed etiam extraordinariæ, & Patroni possunt instare apud Capitulum, ut Canonicus ab eis præsentatus admittatur ad hujusmodi distributiones. Sicuti erecto novo Beneficio in Ecclesia Cathedrali, cum onere Beneficiato injuncto inserviendi Choro, & cum participatione quotidianarum distributionum, & emolumentorum ad instar aliorum Beneficiatorum; Beneficiatus non solum participare debet de distributionibus, & emolumentis Ordinariis, sed etiam extraordinariis, & aliunde provenientibus, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in *Paderbonen. Participationis* 12. *Novembris* 1712. Ubi cum fuisset erectum Beneficium à quodam Fundatore in Ecclesia Cathedrali Paderbonensi cum onere injuncto Beneficiato inserviendi Choro, ac cum participatione quotidianarum distributionum, & emolumentorum more aliorum Beneficiatorum, & cum isti repugnarent admittere novum Beneficiatum ad participationem emolumentorum cujusdam Sacelli Cryptæ nuncupati disputatum fuit præinsertum dubium: *An Rector simplicis Beneficii sub titulo trium Regum siti in Ecclesia Cathedrali Paderbonen. vigore Decreti Sacræ Congregationis die* 12. *Januarii* 1697. *participare debuerit, & debeat etiam de introitibus, seu emolumentis Cryptæ. sicut alii Beneficiati Cryptanti*: cui Sacra Congregatio respondit *Affirmativè*.

Quæro hic se Testator disponat, quòd de certis propriis bonis congruis, & suf-
24 ficientibus erigantur in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali quatuor Canonicatus cum reservatione Jurispatronatus favore nonnullorum, si Capitulum acceptet erectionem solum duorum ex dictis quatuor Canonicatibus, & loco aliorum duorum cupiat constituere duos Cappellanos, aut Beneficiatos, an in hoc casu sit locus erectioni omnium quatuor Canonicatuum?

Respondeo Affirmativè, quia licèt Capitulum non teneatur acceptare, & admittere novos Canonicatus in propria Ecclesia ultra numerum statutum, & determinntum, tamen si ex pluribus Canonicatibus demandatis ab eodem Testatore in una, & eadem Ecclesia, Capitulum acceptet erectionem unius, vel duorum, non potest renuere electionem aliorum, quando redditus assignati sunt æquales, & sufficientes pro omnibus, itaut Patroni instare possunt in hoc casu, ut Capitulum acceptet omnes. Et ita resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii *in Aretina erectionis Canonicatuum*, ubi cum eques Angelluccius mandasset, quod ex toto ejus esse hæreditario erigerentur in Ecclesia Collegiata Terræ Castillionis quatuor Canonicatus reservato Jurepatronatus activo ad favorem Caterinæ, & Jo: Baptistæ Pucini, eorumque Hæredum, & Successorum in infinitum. Capitulum renuit assentire erectioni quatuor Canonicatuum cupiens illorum loco constituere duas tantum Præbendas Canonicales, & duos Cappellanos, seu Beneficiatos. Unde quæsitum fuit.

Primò. An sit locus erectioni quatuor Canonicatuum in Ecclesia Collegiata, juxta mentem Testatoris, & quatenus *Affirmativè. Quibus conditionibus*, quatenus verò *negativè*.

Secundò. An sit locus erectioni quatuor Beneficiorum simplicium, vel potius quatuor Beneficiorum de residentia in eadem Ecclesia: Et Sacra Congregatio 5. Maii 1703. respondit. Ad primum *Affirmativè, cum conditionibus præscribendis ab Eminent.ssimo Præfecto*; ad secundum *jam provisum*.

25 Quæro ulterius si Testator mandet in ejus Testamento, ut de propriis bonis erigatur in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata Canonicatus cum reservatione Jurispatronatus favore eorum de familia; si Capitulum renuet illum acceptare sub prætextu, quod redditus assignati pro distributionibus sint tenues, an loco Canonicatus erigi possit ex dictis bonis relictis à Testatore Beneficium simplex.

Respondeo negativè, sed erigendus est novus Canonicatus, si tenuitati hujusmodi reddituum suppleri possit per alios redditus ejusdem Testatoris, quia hujus mens, quando adimpleri potest est omninò adimplenda, juxta resolutionem Sacræ Congregationis Concilii *in Placentina erectionis Canonicatui* 20. *Februarii* 1712. Sicuti enim Beneficium simplex, aut Cappellania demandata à Testatore erigi, & converti non potest in Canonicatum, ut fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii

cilii *in Murana Erectionis Canonicatuum* 12. *Decembris* 1711. ita demandata à Testatore erectione Canonicatus hìc converti, & erigi non potest ab Ordinario in Beneficium simplex. & ita resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii *in Placentina Commutationis voluntatis*, ubi cum quidam Julius de Onedo mandasset erectionem Præbendæ, Canonicalis in Ecclesia Cathedrali, reservato Jurepatronatus favore eorum de Rubeis, & Capitulum nollet illum acceptare, stante tenuitate reddituum pro distributionibus assignatorum licet essent aliis redditus de hæreditate dicti Testatoris, quibus suppleri poterat hujusmodi tenuitati, Patroni supplicarunt, ut loco dictæ Præbendę Canonicalis erigeretur Beneficium simplex titulo Abbatiæ. Quare proposito dubio. *An loco dictæ Præbendæ Canonicalis sit erigendum Beneficium simplex cum titulo Abbatiæ, & cum iisdem oneribus, & reservatione Jurispatronatus ad formam Testamenti, seu potius, & locus augmento dicti capitalis librarum* 7000. *juxta votum Episcopi pro erectione Canonicatus, vel in Ecclesia Cathedrali, vel in Collegiata S. Antonini in casu &c.* Sacra Congregatio 18. Februarii 1702. respondit *negativè* ad primam partem. Ad secundam verò *faciendam esse Erectionem Canonicatus primo loco in Cathedrali, & renuente Capitulo in Collegiata, juxta votum Episcopi.*

ARGUMENTUM.

Rector Beneficii Patronalis an possit repudiare Legatum factum favore ejusdem Beneficii absque consensu Patroni? Et an fundans Cappellaniam assignando pro ejus dote certa Bona sub certo modo, hoc non servato, possit ejusdem Cappellaniæ fundationem revocare.

SUMMARIUM.

1 *Rector Beneficii potest repudiare Legatum, quando est perniciosum, secus quando est utile Beneficio.*

2 *Repudiatio Legati utilis Cappellaniæ sine Beneficio facta absque consensu Patroni est nulla.*

3 *Episcopus attenta repudiatione Legati in augumentum Cappellaniæ demandati, facta à Cappellano, non potest ex eodem Legato erigere novam Cappellaniam, sed dictum Legatum cedere debet in augumentum Cappellaniæ, vix fuit relictum.*

4 *Non servato modo, quo demandata fuit fundatio, aut dotatio Cappellaniæ, an hæc resolvatur, & revocari possit. Vide num.* 14. 15. & 16.

5 *Donatio facta intuitu ingressus in Religiouem, si ingressus non sequatur, resolvitur, & revocari potest.*

6 *Legatum factum uni Ecclesiæ causa sepulturæ, si sepultura eligatur in alia Ecclesia, videtur ademptum à priori Ecclesia.*

7 *Parochia amovibilis potest erigi ab Ordinario in titulum perpetuum, etiam sine consensu illius, cui fuit mota lis, super pertinentia Jurispatronatus, sed intellige, ut ibi.*

8 *Testator an possit revocare Testamentum, quoad relicta pro dote favore Causæ Piæ? Vide ibi, & num.* 18. *remissivè.*

9 *Fundator Cappellaniæ cum reservatione Jurispatronatus non potest revocare hujus fundationem, & quare? Vide ibi, Amplia ut num.* 10. & 11.

12 *Ut fundatio, & dotatio Cappellaniæ sit irrevocabilis non est necessarius consensus Ordinarii.*

13 *Fundatio, & dotatio Cappellaniæ distinguuntur in tres species, & quæ sint vide ibi, & num.* 14. & 15.

17 *Ex sola loci mutatione, an Fundator Monasterii, aut Beneficii posset revocare Fundationem.*

19 *Constito de voluntate fundandi Monasterium, & de acceptatione Religionis fundatio revocari non potest, sed est adimplenda, juxta plantam præscriptam, etiamsi ex justa causa sequi non possit in loco designato, & num.* 20. & 21. & 30. & 32. *limita, ut num.* 22. *amplia ut num.* 24. & 25.

23 *Largitiones concernentes factum in posterum adimplendum censentur modales.*

86 *Quod Fundator censerit translationi Fundationis Monasterii de uno loco ad alium, ex quibus probetur, & præsumatur; & num.* 27. 28. *&* 29. *&* 31.

CASUS VII.

QUædam Mulier per publicum Instrumentum juramento firmatum illud non revocandi fundavit Cappellaniam perpetuam cum reservatione Juris patronatus pro se, suisque descendentibus, assignata congrua dote, & reservato Ordinarii assensu, & nominavit in primum Cappellanum Titium præsentem, & una cum Notario pro Interesse habentibus acceptantem, & præ cæteris ita in eodem Instrumento disposuit: *Con patto, che volendo qualsivoglia Persona aggiungere qualsisia somma di danaro in augumento di detta Cappellania, in tal caso debba seguire tutto col consenso non solo del Rettore pro tempore, ma dei Padroni*: Deinde quidem pius Testator injunxit proprio hæredi, ut uniret, & incorporaret ducata sexcentum præfatæ Cappellaniæ cum onere trium Missarum qualibet hebdomada; Titius autem Rector, & Cappellanus per publicum Instrumentum suum consensum unioni, & incorporationi dicti Legati suæ Cappellaniæ denegavit, & successivè prædictus hæres ex causa dicti dissensus instetit coram Episcopo pro erectione cum dictis ducatis sexcentum distinctæ, & separatæ Cappellaniæ, & cum reservatione Juris patronatus sibi, suisque hæredibus, & successoribus, ac decretum Instantiæ conforme obtinuit. Habita notitia à Muliere fundatrice dictæ Cappellaniæ de hujusmodi repudiatione Legati facta à Cappellano statim revocavit fundationem ejusdem Cappellaniæ, ac Cappellanum privavit omnibus Bonis in dotem assignatis. Hinc duo quæruntur.

Primum est: An decretum Episcopi substineatur, seu potiùs summa ducatorum sexcentum relictorum à dicto pio Testatore cedere debeat in augumentum demandatæ Cappellaniæ à præfata Muliere.

Secundum: An fundatrix Cappellaniæ poterat in totum revocare fundationem ejusdem Cappellaniæ?

Quoad primum dubium, quòd sub consimili præmissa facti specie disputatum fuit in Sacra Congregatione Concilii in una *Crotonen. Cappellaniæ*, studens apud R.P.D. Ansidæum Dignissimum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium, meum aperiendo votum, negativè quoad primam, & affirmativè, quoad secundam partem respondendum sentiebam. Decretum namque Episcopi fundatur in dissensu, & repudiatione facta per Cappellanum Legati ducat. 600. relict. à dicto pio Testatore, & aggregandi in augumentum Cappellaniæ demandatæ à fundatrice, quæ quidem repudiatio est omninò insubsistens, tùm quia licèt Rector Beneficii, seu Cappel- 1
lanus repudiare possit Legatum, quando hoc est inutile, & perniciosum Beneficio, & Cappellaniæ, tamen quando est utile, illud repudiare non valet juxta *Barbosam de offic. & potest. Episcopi par.* 3. *alleg.* 95. *num.* 54. *Amost. de Causis Piis lib.* 1. *cap.* 12. *nu.* 46. *Valeron. de transact. tit.* 4. *quæst.* 1. *num.* 17. tum quia fuit facta à Cappellano absque consensu Patronorum omninò requisito tam ex lege fundationis demandantis argumentum dotis Cappellaniæ fieri debere non solùm de consensu Rectoris, sed etiam compatronorum; tam de 2
Jure, juxta quod repudiatio Legati utilis Cappellaniæ facta absque consensu Patroni non tenet, itaut ipse Patronus potest instare, ut Legatum deveniat ad Ecclesiam, *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 3. *art.* 9. *quæst.* 2. *num.* 22. Tum denique, quia est simulata, & collusiva, ut sic ex eodem Legato erigeretur novum Beneficium, & Jus patronatus reservaretur pro hæredibus secundi Benefactoris in supplantationem Cappellaniæ, & Patronorum.

Unde non poterat Episcopus attento solùm hoc dissensu Cappellani, & vigore 3
hujus irrationabilis repudiationis decernere licitum esse hæredi dicti Testatoris separatam Cappellaniam perpetuò fundare cum dote dictorum ducatorum 600. & sic commutare ultimam voluntatem Testatoris demandantis hæredi solutionem sæpedicti Legati in augumentum Cappellaniæ fundatæ à præfata fundatrice nulla subsistente causa, & in ejusdem Cappellaniæ præjudicium, non citatis nec fundatrice, nec Patronis Interesse habentibus, juxta *Amo-*

staz.

Raz. de Causis Pils lib. 1. cap. 14. num. 13. & 16. Ubert. de citat. cap. 15. num. 129. Sed hoc Legatum cedere debet in augumentum præfatæ Cappellaniæ, juxta voluntatem Benefactoris, quæ omninò servanda venit *ad Text. in cap. Ultima voluntas 13. quæst. 2.* & ita resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilij *in dicta Crotonen. Cappellaniæ 30. Januarii 1717.*

4 Quoad verò secundum dubium, quod hìc mihi examinandum proposui, respondendum videtur, Mulierem fundatricem præfatæ Cappellaniæ potuisse revocare in totum illius fundationem; dum fundatio ejusdem Cappellaniæ non fuit simplex, & pura, sed modalis, fuit namque concepta, & demandata sub reservatione consensus Ordinarij, ac sub obligatione acceptandi augumentum dotis Cappellaniæ cum consensu Patronorum, quando aliquis Benefactor vellet dotem augere; unde cùm non fuerit adimpletus hujusmodi modus; quoniam non intervenit consensus Ordinarij, nec fuit acceptatum augumentum dotis in ducatis 600. de consensu Patronorum, immo fuit illud positivè, & irrationabiliter rejectum à Cappellano, videtur resoluta remansisse præfata fundatio Cappellaniæ, & potuisse fundatrix in totum illam revocare ad *Text. in Leg. 1. Cod. de Donat. quæ sub mod. Leg. final. Cod. de revocat. Donat. Bald. cons. 250. sub numer. 1. lib. 3. Surd. cons. 369. numer. 26. lib. 3. Rota decis. 203. num. 1. par. 6. Rec.*

Neque videtur esse inusitatum, & quid novum, stante legitima causa, & mutatis circumstantijs revocare, resolvere, & mutare dispositiones; Sic donatio facta ab aliquo intuitu, & contemplatione Ingressus in Religionem, si ingressus hujusmodi non sequatur, resolvitur, & revocari potest. *Card. de Luc. de Donat. disc. 16. num. 12. Rota decis. 586. num. 2. part. 5. Recent. & decis. 581. coram Buratt.* Legatum factum uni Ecclesiæ causa sepulturæ, si deinde in alia Ecclesia sepultura eligatur, videtur ademptum à priori Ecclesia *Abb. in cap. In nostra de Sepultur. num. 4. Marant. respons. 9. par. 1. num. 59.* Parochia in primæva sui erectione amovibilis potest mutari, & erigi ab Ordinario in titulum perpetuum juxta dispositionem *Text. in cap. unic. ibique Gloss. verb. Perpetui de Cappell. Monach. in 6. & Sacri Conc. Trident. sess. 7. de Reformat. cap. 7.* Etiam sine consensu illius, cui fuit mota lis super pertinentia Jurispatronatus, quando ipse succubuit in Judicio, & litem deseruit, secus si in Judicio non succumberet, & constaret eum esse verum Patronum dictæ Parochiæ amovibilis, tunc enim hæc erigi non potest ab Ordinario in titulum perpetuum absque illius consensu juxta dispositionem præsentis Canonis, & docet *Rota in Toletana Decimarum de Capilla, quoad Parochos 3. Julii 1702. §. Quo enim, & §. Quo verò, & 12. Martii 1703. §. Finali coram Eminentissimo Scotto.* Insuper Testator potest revocare

8 Testamentum, quoad relicta pro dote favore Causæ Piæ, *Castrens. consil. 327. num. 1. lib. 1. Gratian. discept. 605. n. 12. Card. de Luca de Legat. disc. 54. num. 3.* Ergo etiam fundatrix præfata non servato modo, sub quo demandavit erigi Cappellaniam, nimirum non interveniente consensu Ordinarij, & rejecto augumento dotis per Cappellanum ab eadem fundatrice exoptato de consensu Patronorum, casu quo aliquis vellet dotem augere, potuit Cappellaniam revocare, & resolvere, ac Bona data in dotem reassumere. Ratio est, quia non servato modo, sub quo fuit demandata Erectio Cappellaniæ, dicitur deficere voluntas fundatricis; qua voluntate deficiente non debet Ecclesia, aut pia causa prætendere Bona in dotem data præter fundantis, & dotantis voluntatem, cujus defectum favor piæ causæ non supplet, *Card. de Luca de Donat. disc. 12. num. 4.* & dixi superius *Can. III. Cas. VIII. num. 14. §. Nec obstat.*

9 His tamen non obstantibus verius de Jure censeo fundatricem præfatam non potuisse revocare fundationem memoratæ Cappellaniæ; siquidem vigore hujusmodi fundationis, ac donationis inter vivos Bonorum pro dote Cappellaniæ assignatorum cum reservatione Jurispatronatus favore descendentium, acquisitum fuit Jus non solùm ipsi Cappellaniæ, verùm etiam descendentibus reservatarijs ejusdem Jurispatronatus. Unde in eorum præjudicium non potuit fundatrix Cappellaniam revocare, & aliquid agere ad *Text. in Leg. Perfecta Cod. de Donat. quæ sub mo. Decian. cons. 8. num. 4. & 16. Menoch.*

conf. 91. *numer.* 17. *Gratian. discept.* 178. *num.* 16. *Garz. de Benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 68. *& seq. Rota decis.* 316. *num.* 28. *par.* 10. *& decis.* 518. *num.* 4. *coram Merlin. & in Gallipolitana Associationis* 3. *Julii* 1711. §. *Neutiquam coram Reverendissimo Molines.*

Maximè cum juraverit in Instrumento
10 fundationis, illam non revocari, quod juramentum reddit fundationem irrevocabilem, juxta *Andreol. Controv.* 292. *nu.* 6. *& seqq. Cyriac. Controvers.* 322. *num.* 32. *Rota decis.* 280. *num.* 1. *part.* 13. *Recent.* Et cum fundatio, & donatio Bonorum pro
11 dote Cappellaniæ sit merè lucrativa, & favorabilis, & fuerit acceptata, non solùm à Deo, à quo acceptatur, statim ac aliquid Ecclesiæ, aut alteri piæ causæ donetur, verùm etiam tam à Notario, quàm à Cappellano pro Cappellania stipulantibus, & acceptantibus, ex quo sequitur, eamdem fundationem ampliùs revocari non posse, ut in casu acceptationis factæ à Deo docent *Tiraquell. de Privileg. piæ Causæ, Privileg.* 115. *Card. de Luca de donat. disc.* 74. *Sperell. decis.* 81. *num.* 17. *& seq. & decis.* 168. *num.* 42. *Rota decis.* 673. *num.* 4. *par.* 2. *& decis.* 81. *num.* 7. *par.* 5. *& decis.* 173. *num.* 3. *par.* 12. *recent.* Et in casu acceptationis factæ à Notario pro Cappellania, & alijs interesse habentibus, testantur *Gratian. Discept. Forens.* 247. *numer.* 3. *& seq. & cap.* 332. *numer.* 12. *& sequent. Rota decis.* 428. *num.* 2. *& seq. par.* 4. *& decis.* 270. *num.* 3. *par.* 5. *& decis.* 365. *num.* 5. *par.* 13. *& alii apud Rotam in dicta Gallipolitana Associationis* 3. *Julii* 1711. §. *Certiùs, & §. Absque ulla coram Reverendissimo Molines.*

Non obstat, quod fundatio, & dotatio hujusmodi Cappellaniæ sit modalis, & conditionalis, nimirum demandata à fundatrice sub reservatione consensus Ordinarij, & sub obligatione acceptandi augumentum dotis de consensu Patronorum, quando quis vellet dotem Cappellaniæ augere, quæ conditio cùm non fuerit adimpleta, dum consensus Ordinarij non intervenit, & augumentum dotis non fuit acceptatum, immo positivè rejectum à Cappellano, dicitur res adhuc integra, ac proinde licuisse præfatæ fundatrici variare, & Cappellaniam revocare. Quoniam in primis, quod attinet ad consensum Ordinarij, iste licèt requiratur ad
12 reddendam reservationem Jurispatronatus irrevocabilem, cùm ab ea recedi possit, antequam superveniat consensus Ordinarij, tamen ut fundatio, & dotatio Cappellaniæ facta inter vivos sit irrevocabilis, non est necessarius consensus Ordinarij, cum statim ac bona donantur ad effectum erigendi, & fundandi Cappellaniam, sive Beneficium hoc acquirit Jus irrevocabile, & fundans, sive dotans Cappellaniam, non solùm non potest amplius resilire à dotatione, sed ulterius cogi valet ab Ordinario ad illius effectuationem juxta *Lambertin. de Jurepatr. par.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 4. *art.* 4. *Rota in dicta Gallipolitana Associationis §. finali.*

Deinde pro remotione objecti, tres di-
13 stinguo species fundationis, sive dotationis Cappellaniæ, aut Beneficii; Alia enim est fundatio, sive dotatio pura, & simplex nullum continens modum, & conditionem; & tunc per quamcumque mutationem, & variationem Cappellaniæ non resolvitur, nec revocatur ejus fundatio, & dotatio, nec bona data in dotem redeunt ad fundantem, & dotantem, sed remanent sub dispositione Summi Pontificis, quia taliter fundans, aut dotans Cappellaniam, censetur habere pro causa finali solum favorem Animæ, & pietatem, qui favor, & pietas, cùm non cesset propter mutationem, & variationem circumstantiarum Cappellaniæ, nec cessare debet hujus fundatio, & dotatio *ad Text. in §. Si quis in nomine magni Dei, & §. Si quis unum Sanctorum de Ecclesiast. tit. collat.* 9. *Fagnan. in cap. Relatum num.* 37. *ne Cler. vel Monach. Marant. respons.* 9. *num.* 68. *& seq. Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 7. *num.* 85. *Card. de Luca de Regul. disc.* 35. *num.* 8. *Carol. Anton. de Luca ad Gratian. cap.* 358. *num.* 9.

Alia est modalis continens modum, aut
14 conditionem purè, & simpliciter absque pacto resolutivo in casu non adimplementi; & tunc non adimpleto modo, & conditione, quibus fundatio, aut dotatio Cappellaniæ fuit concepta, non proinde hæc resolvitur, & revocari potest à fundante, ea ratione, quia cum Cappellania sit culpæ incapax, utpote existens sub ad-

m ini-

miniſtratione Cappellani, aut alterius non poteſt iſtius culpa, vel negligentia ei præjudicare, ſed eſt locus actioni ad adimplementum juxta *Textum expreſſum in cap. Verum de condit. app. ibique Gloſſ. verb. Conditione, Abb. num. 1. & 3. Alex. ne Nevo num. 1. 15. & 20. Barboſ. num. 1. & 7. Marant. reſponſ. 9. num. 23. pag. 69. Menoch. præſumpt. 175. num. 13. & ſeq. Card. de Luca de donat. diſc. 15. numer. 8. Rota deciſ. 7. num. 12. coram Buratt. & deciſ. 370. num. final. coram Royas.*

15 Alia eſt modalis continens modum, & conditionem cum pacto reſolutivo in caſu non adimplementi quomodocumque, & ex quacumque cauſa hoc proveniat, itaut modus, aut conditio ſit cauſa finalis; & tunc non adimpleto modo, aut conditione reſolvitur fundatio, & dotatio Cappellaniæ, quia cum cauſa finalis ſit origo, & principium, à quo omnia reguntur, hac una deficiente deficit, & ceſſat omnis diſpoſitio, & voluntas fundantis, qui ſub illo modo, & conditione, & non aliàs voluit fundare, & dotare Cappellaniam, & Eccleſia, quæ eſt juſtitiæ cultrix, non permittit ſibi appropriare Bona præter voluntatem concedentis juxta *Card. de Luca de Donat. diſc. 12. num. 2. & ſeqq. Rota deciſ. 970. num. 8. coram Emerix Jun. & deciſ. 365. num. 18. par. 16. & deciſ. 270. num. 22. apud Theſaur.*

16 Poſita hac diſtinctione; fundatio, & dotatio prædictæ Cappellaniæ eſt ſecundæ ſpeciei, videlicet modalis abſque pacto reſolutivo in caſu non implementi; unde non interventu conſenſu Ordinarij, nec acceptato augumento dotis, quibus fuit demandata fundatio, & dotatio Cappellaniæ, non proinde fundatrix potuit eamdem Cappellaniam revocare, & reſolvere, ſed ſolùm debebat inſtare, ut adimpleretur modus præſcriptus videlicet, ut interveniret idem conſenſus, & acceptaretur dictum augumentum dotis de conſenſu Patronorum juxta auctoritates ſuperiùs relatas *numer.* 14.

17 Ratio eſt, quia conſenſus Ordinarij, & augumentum dotis non fuit cauſa finalis fundandi Cappellaniam; eodem modo, quo demandata ab aliquo fundatione Monaſterij, Beneficij, aut Eccleſiæ in loco A, E. G. & aſſignatis pro ejus dote certis Bonis, ex ſola loci mutatione ſuperventa ex juſta, & rationabili cauſa, fundator non eximitur ab obligatione fundandi Monaſterium, Beneficium, aut Eccleſiam, nec poteſt fundationem revocare, & reſcindere, quando deſtinatio loci non eſt cauſa finalis, & non fuit explicata cum clauſulis, & pactis reſolutivis, ut noviſſimè deciſum fuit à Sacra Rota *in Colonien. fundationis Monaſterii 11. Januarii 1717. coram R. P. D. Foſcaro inferius legen. num.* 18.

Nec adverſatur, quod ſuperiùs in contrarium addebatur, videlicet Pias diſpoſitiones multoties ſubjacere mutationibus, & revocationibus; ſiquidem hoc procedit, quando ceſſat cauſa finalis, aut non adimpletur modus appoſitus cum pacto reſolutivo in caſu non adimplementi; ſecus quando durat cauſa finalis, & non fuit appoſitus modus cum pacto reſolutivo in caſu non adim-

18 plementi. Quod autem Teſtator poſſit revocare Teſtamentum, quoad cauſas pias, ſeu quoad relicta favore cauſæ piæ non eſt abſolutè verum, ſed procedendum eſt cum ea diſtinctione, quam ſuperiùs inſinuavi *Can. III. Caſ. VIII. numer. 37. ibi viden.*

R. P. D.

FOSCARO

Colonien. Fundationis Monaſterii.

Lunæ 11. Januarii 1717.

FUndatio Monaſterij ad uſum Ordinis Ciſtercienſis juxta ſtrictiorem S. Patris Benedicti Regulam exoptata à Reverendiſſimo Daemen Canonico Eccleſiæ Metropolitanæ Colonien., & Archiepiſcopo Adrianopolitano, atque etiam acceptata à Superioribus Religionis, & à Monachis Abbatiæ Aureæ Vallis, unde nova Colonia ducenda erat, & cui tanquam filiale futuris temporibus, do-

nec in ea viguisset prioris instituti observantia, subesse debebat Monasterium de novo erigendum, pro qua idem Reverendissimus Archiepiscopus Omnipotenti Deo, ac Beatissimæ Virgini obtulit, dicavit, & consecravit quandam Rheni Fluminis Insulam propè Dusseldorpium Luricensem nuncupatam, atque insuper ultra obligationem construendi Ædificia, & subministrandi supellectilia tradere promisit Capitale Imperialium 5000. implicandum pro substentatione Monachorum, quamvis pro his, quæ pendere videbantur à voluntate Partium libenter fuisset executioni jam demandata, cum ex parte Abbatis transmissi fuerint ad Insulam Religiosi, qui ibidem exoptatum introducerent institutum, & ex parte Archiepiscopi congregata extiterint materialia necessaria ad constructionem Ecclesiæ, & Monasterij perficiendam ad formam Plantæ ab eodem Archiepiscopo evulgatæ, quinimò aucto deinde ad ejus instantiam Monachorum numero, adaucta quoque fuit quantitas Capitalis usque ad Imperialia duodecim millia, quorum novem millia circiter implicanda forent de consensu Monachorum in bonis stabilibus, cum obligatione solvendi fructus pro residualibus, donec, & quousque etiam de his congruum perficeretur investimentum.

Adhuc tamen ad perfectionem, & stabilitatem perduci non valuit, nam ex inopportunitate loci crebris, & quidem insuperabilibus renascentibus incommodis, & molestijs, præsertim illis procedentibus ex impetu fluminis, quandoque exundantis, totamque Insulam invadentis admodum difficilis nedum, sed impossibilis in ea reddebatur observantia regularis, & Monachorum permanentia. Unde his agnitis difficultatibus excogitatus, & pertractatus fuit modus eamdem fundationem transferendi ad aptiorem locum; cumque præcæteris arrisisset Dusseltahl, seu Vallis Dusselana tribus ab Urbe Dusseldorpiensi quadrantibus dissita, conatus omnes, tum Archiepiscopi, tum Monachorum unicè steterunt in reportanda à Sereniſſimo Electore Palatino ejusdem Vallis concessione, qua tandem plures post tractatus obtenta, & postquàm Archiepiscopus illam indefinenter concupiverat, & probaverat ad effectum itidem transferendi Monasterij fundationem, pro qua etiam non modicam in computum dictorum Imperialium 12. millia implicaverat quantitatem in bonis stabilibus ad Monachorum commodum postea dimissis, dum ad terminos præcedentium conventionum cum Monachis, ac Sereniſſimo Electore initarum expectabatur cæterarum promissionum adimplementum, idem Reverendissimus Archiepiscopus in sua voluntate parum constans, nedum adimplere detrectavit ea, quæ pro fundationis perfectione agenda supererant, sed insuper propria authoritate, & de facto Monachos spoliavit possessione Villarum ab Ipso pro illorum alimonia, & substentatione in computum promissi Capitalis præcedenter assignatorum. Quare contestato Judicio coram Reverendissimo Sedis Apostolicæ Nuncio ad tractum Rheni, prolata tandem fuit sententia diffinitiva, qua mediante dictus Reverendissimus Archiepiscopus condemnatus remansit ad præstationem Imperialium 12. millia, una cum interesse à die moræ, necnon ad ædificationem Monasterij in Valle Dusselana, juxta Schema, seu Plantam in actis exhibitam, & demum ad refectionem expensarum; indeque devoluta causa ad nostrum Auditorium super Dubio prius de more subscripto, & in hodierna audientia proposito, scilicet: *An, & in quo loco, & quale Monasterium R. P. D. Daemen fundare teneretur, & quæ respectivè subministrare deberet*: Domini responderunt: *Monasterium esse fundandum, & respectivè esse subministrandas pecunias in præsenti decisione exprimendas, juxta tenorem sententiæ prolatæ à Reverendissimo Nuncio.*

Pro eo enim, quod respicit Monasterij fundationem in genere ab Archiepiscopo perficiendam, nulla se obtulit apud Dominos difficultas, cùm in hac parte clara nimis, & incontrovertibilis apparuisset ejusdem Archiepiscopi voluntas ducendi ad Luricensem Insulam ex Abbatia Aureæ Vallis Coloniam, ibique construendi, & fundandi Monasterium, ubi strictiorés Divi Benedicti regulæ obser-

va-

varentur, ut pleniſſimè devincebatur, tum ex primæva ipſius Inſulæ donatione ad hunc præciſum effectum expoſita, tum ex delineatione, ac tranſmiſſione Plantæ, jnxta quam explenda erat Eccleſiæ, & Monaſterij conſtructio, tum ex cura, & diligentia congerendi materialia ad eamdem conſtructionem perficiendam neceſſaria; tum denique cæteris omiſſis ab explicita ejus promiſſione pandita in reſponſione ad ſecundam poſitionem, nedum perficiendi neceſſaria ædificia, ſed etiam ſubminiſtrandi ſuppellectilia, necnon capitale Imperialium 5000. deinde ſcilicet ſub die 6. Februarij 1705. poſt excreſcentiam Monachorum ab illo procuratam, adauctum ad Imperialium 12. millia de conſenſu Monachorum ad eorum perpetuam ſubſtentationem inveſtienda. Unde eadem præmiſſa adeo conſtanti, & deliberata Archiepiſcopi voluntate perficiendi proprijs ſumptibus controverſam fundationem, ſuperventaque acceptatione Religionis, certiſſima inde emergit obligatio adimplendi mediante ſubminiſtratione illarum rerum, & pecuniarum, quas Ipſe pro eodem effectu tradere promiſit, *Surd. conſil.* 450. *num.* 4. *&* 32. *Rot. in Recent. deciſ.* 448. *num.* 1. *par.* 14. *deciſ.* 472. *nu.* 41. *par.* 19. *in Romana, ſeu Montis Faliſci bonorum* 5. *Maii* 1700. §. *Validitas coram Reverendiſſimo Domino meo Decano, & in Romana redditionis rationis* 26. *Martii* 1703. §. *Inconcuſſum, coram bo. mem. Caſſarello.*

19 Indeque etiam conſecutivè deſcendit obligatio fundandi Monaſterium in Valle Duſſellana, non obſtante, quod Archiepiſcopus illam ab initio expoſuiſſet pro Monaſterio erigendo in Inſula Luricenſi, nam cùm perventis ibidem Monachis ab Abbatia Aureæ Vallis tranſmiſſis, compertum fuerit, ex Rheni inundationibus aggeres quoſcumque contra vim, & impetum excreſcentis fluminis ſemper infirmos de facili ſuperantibus, totamque Inſulam ſæpe obruentibus, putreſcere commeſtibilia, excitari Nebulas, & vapores adeò perniciosos, ut plerumque graves inſurgant morbi, noa ſine Vitæ diſcrimine ob impoſſibilitatem opportunè advocandi Medicos, excipiendi pharmaca è proximis municipijs, aliaque etiam innumera oriri incommoda, quæ Inſulam inhabitabilem reddunt, ac periculis plenam, præſertim quando Fluvius in glaciem erumperet, quia tunc omnia Inſulæ munimina, atque etiam arbores, ipſaque Ædificia ſubſunt eradicationis, & deſtructionis periculo, ut prætermiſſis exemplis antiquioribus præcisè contigit anno proximè elapſo, quo ex eadem eruptione eradicatis, & ſubverſis ſepibus, arboribus, longoque 50. pedum pariete ipſamet Monachorum Domus aquarum ictibus laceſſita, exempta non fuit à periculo ſubverſionis, prout de his omnibus incommodis, & periculis latiùs depoſuerunt Teſtes pro parte Religionis examinati.

21 De plano conſequitur, fundationem transferri potuiſſe ad aptiorem locum, ubi Religioſi commodè valerent ſubſiſtere, ac ubi plenarium ſortiretur effectum pii Donatoris intentio ad incrementum Divini Cultûs, & ad majorem regularis obſervantiæ propagationem directa, *ut eſt Text. in cap. Nos quidem, verſic. Seu ſi ibi non poteſt de Teſtam.* & firmant *Innoc. ibidem nam.* 1. *verſic. Per Teſtatorem, Fagnan. numer.* 13. *& ſeqq. Rocc. de Curt. de Jurepatr. verb. Conſtruxit num.* 18. *Amoſtaz. de Cauſis Piis lib.* 1. *cap.* 14. *ſub numer.* 33. *Emanuel Rodriq. quæſt. Regular.* 125. *art.* 10. *tom.* 2. *Tondut. quæſt. beneficial. par.* 1. *cap.* 83. *num.* 5. *& ſequent. & cap.* 84. *num.* 8. *& ſequent. Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.* 10. *nu.* 10. *Rota part.* 1. *diverſ. deciſ.* 550. *numer.* 4. abſque eo quod Archiepiſcopi obligationes, & promiſſiones reſolutæ cenſeri valeant ex quo fundatio expleta non ſit in Inſula Luricenſi juxta illius primum deſiderium; Quia cum ejuſdem Vota reſpectum principaliter habuiſſent ad fundationem in genere pro qua *Omnipotenti Deo, & Deiparæ Virgini* primam expleverat donationem, ut arguunt *Fagnan. cap. Relatum num.* 27. *tit. ne Clerici, vel Monachi. Aymo conſ.* 243. *num.* 2. *Tondut. cit. cap.* 83. *num.* 5. *Card. de Luca de Donation. diſc.* 12. *num.* 2. *Rota coram Seraphin. deciſ.* 1149. *num.* 11. *& ſequent.* Ipſaque donatio præſetuliſſet Beneficium primariò collatum in Abbatiam Aureæ Vallis,

lis, unde prodire debebant Religiosi destinandi ad novum Monasterium, quod insuper dicendum erat filiale ejusdem Abbatiæ, nec de cætero Insula stetisset pro causa finali fundationis, neque designata fuisset conditionaliter, sive cum clausulis fundationis resolutionem denotantibus in casu quo Monasterium alibi construeretur, præcognita hinc ex superius enunciatis incommodis, & molestiis incongruentia, immo impossibilitate consequendi in Insula ejusdem Monasterii subsistentiam, adhuc Archiepiscopus obstrictus remanet ad ea, quæ promisit pro fundatione, à cujus onere Fundator numquam eximitur ex sola loci mutatione superventa ex justa, & rationabili Causa, nè Monachis continuis exponerentur incommodis, & periculis quæ Religiosam quietem, & regularem observantiam perturbarent, ut firmant, *Moneta de Commutationibus ultim. volunt. cap. 4. num. 172. Murg. de Benefic. quæst. 8. num. 22. Rot. in Recent. decis. 362. num. 4. & sequent. par. 4. tom. 2. decis. 705. num. 3. & per tot. eadem par. 4. tom. 3. & dec. 363. num. 6. par. 14.*

22 Nisi destinatio loci causam finalem involveret, aut nisi explicata fuisset cum clausulis, & pactis resolutionem præseferentibus, cum his seclusis circumstantiis, ducto etiam argumento ab intentione Donantis, semper prævalere debeat favor Piæ Causæ, ut distinguendo tradunt *Canonistæ in cap. Verùm de condit. apposit. Covar. var. resol. lib. 1. cap. 14. n. 16. Joann. Andr. Georg. allegat. 31. num. 26. & sequent. Card. de Luca de Donat. disc. 12. num. 5. & per tot. Tondut. quæst. benefic. cit. cap. 83. num. 4. tom. 1.* & post habitâ differentia loci verisimiliter, & juxta legalem interpretationem præclecti sub credulitate, quòd fuisset compatibilis cum fundatione, *ut ex cap. Exiit, §. Ad hæc, versic. Verisimiliter credam intentio de verb. signific. in 6. tradunt Fagnan. in dicto cap. Nos quidem num. 23. de Testam. ibidem Abb. num. 13. Tondut. quæst. benef. par. 3. cap. 175. num. 1. & seq. Rot. coram Seraph. dec. 1149. n. 13.* semper vigeat semel contracta obligatio eamdem explendi fundationem in alio diverso loco, ubi procul a periculis, & incommodis, sperari, & obtineri posset ejusdem fundationis adimplementum, juxta communem sententiam traditam ab *Anchorano in Clement. Quia contingit in 2. notab. de Religios. domib. Fagnan. in sæpè citato cap. Nos quidem de Testam. num. 13. & sequ. Sanch. cons. Moral. lib. 4. cap. 2. dub. 4. per tot. Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 3. numer. 78. Amostaz. de Causis Piis lib. 1. cap. 14. num. 33. Tondut. sæpè citat. cap. 83. par. 1. num. 5. & alii supra in §. De plano, Card. de Luca de Regular. disc. 35. num. 8. Francesc. de Eccles. Cathed. dicto cap. 10. num. 10. Rot. par. 1. diversi. dicta decis. 550. nu. 4.* quam ex ea Regularis Juris propositione, quod in quacumque obligatione, neglecto executionis modo unicè inspiciendus sit finis à Promittente principaliter volitus, juxta *Text. in leg. Damus, Cod. de condit. indeb. leg. Cum indebito Cod. de probat. Torr. de Majorit. Ital. tom. 1. cap. 33. num. 99. Rot. in Avenionen. Primogenituræ, seu Concursus 23. Januarii 1705. §. Adstipulante coram bon. mem. Muto, & in Placentina Legati Pii 14. Decembris 1705. §. Verba autem coram R. P. D. meo Lancetta,* & altera, quod nisi specificè præscripta fuisset certa, & invariabilis forma, sufficiat adimplere per æquipollens, ut generaliter *Peregrin. de fideicomm. art. 11. num. 46. Mantic. de conjectur. ultim. volunt. lib. 11. tit. 16. n. 4. Rocc. Episc. disput. Jur. cap. 25. num. 31. & sequen. Rota coram Bicch. decis. 196. nu. 14. & in Forosempronien. Donationis 23. Martii 1711. §. At præterea, coram R. P. D. meo Aldrovando, & specialiter Sanchez cons. moral. lib. 4. cap. 2. dub. 4. num. 4. & sequent. Card. de Luca annot. ad Sac. Conc. Triacnt. disc. 21. num. 3. §. Impropriè,* in terminis longè fortioribus, loci scilicet conditionaliter explicati admittunt, & extendunt, *Card. Tusch. pract. concluf. litt. L. concl. 114. num. 16. Joan. Andr. Georg. cit. allegat. 31. num. pariter 31. Tondut. loco cit. numer. 3. Carp. de execut. Testam. lib. 1. cap. 22. n. 11. & Barbos. de potest. Episc. par. 3. alleg. 83. num. 10.*

In quorum sensum eò facilius Domini 23 inclinarunt, quia ultra genericam Juris præsumptionem, quòd largitiones hujusmodi, utpote concernentes factum imposterum adimplendum, semper censeantur modales ad regulam *Text. in l. Quoniam*

Cod.

Cod. de rerum permutat. & in leg. Cum res, Cod. de Donat. quam in hac materia expendunt, *Serment. select. interpr. lib. 2. cap. 3. Jo: Andr. Georg. dicta allegat. num. 14. vers. Quando verò requirit, & seq. Tondut. cit. cap. 83. num. 2. versic. Secundò fuit*, unde consequitur, quod retractari non debeant ex mutatione loci, dum justa, immo indispensabilis se offerret causa transferendi fundationem, ut in specie advertunt *Carp. de execut. Testam. lib. primo cap. 22. num. 11. Gambar. de offic. legat. lib. 6. num. 223. Homobon. de examin. Eccles. tract. 9. cap. 10. quæst. 27. Ricc. collect. 558. in fin. Barbos. de Offic. & potest. Episc. par. 3. allegat. 83. num. 10. Capon. discept. 103. num. 7.* id ipsum clarius evincitur ex quo Reverendissimus Archiepiscopus, quatenus in Insula, aut in Abbatia Aureæ Vallis non observaretur strictior Divi Benedicti Regula, donationem transtulit in aliud Cistercienſe Monasterium, ubi ejusdem regulæ obser-
24 vantia vigeret. Quæ sane circumstantia certum præbet indicium, quòd donatio fuisset prorsus irrevocabilis, & immunis à quovis caducitatis, aut resolutionis periculo, nam si Donans illam non revocavit, in casu quo Monachi præfatam deserent observantiam ab Archiepiscopo principaliter volitam, ac repetitis vicibus, & cum verbis conditionalibus, causamque finalem denotantibus inculcatam, multominùs dicendum est, eam revocari voluisse propter solam variationem loci, absque ulla taxativa designati, quoque etiam derelicto integra adhuc manebant momenta, ex quibus donatio fuit celebrata, ut latè firmant *Surd. cons. 361. numer. 19. & seq. Marescott. var. resol. cap. 20. num. 8. lib. 2. Rocc. Episc. Isclan. disput. Jur. cap. 105. numer. 22. Rota coram Merlin. decis. 392. num. 12. coram Emerix Jun. decis. 970. numer. 11. & in Motulen. Salviani 6. Maii 1707. §. Pariformiter confirmata 23. Aprilis 1708. §. Quo verò coram bon. mem. Omaña.*

25 Hæcque voluntas non revocandi donationem in casu quo ex justa, & legitima causa, Monasterium extra Insulam construeretur, juxta saniorem interpretationem ex hactenus deductis firmata extra dubietatis Statum in hypothesi redacta dici poterat, ex quo ex continuatis actibus undique emerserat, quòd Archiepiscopus præcisè, & positivè consenserat, fundationem prius destinatam in Insula, transferendam esse ad Vallem Dusselanam; Quo stante consensu, & approbatione non ampliùs se se excusare valet à fundatione in prædicta Dusselana Valle perficienda, sive consensus acciperetur per modum declarandi obligationem præcedenter contractam, quam Ipsemet Donans nequaquam posset detorquere in sensum propriæ confessioni, & declarationi non uniformem, *Card. de Luca de Benefic. disc. 38. num. 8. & de Canonic. disc. 1. num. 9. Rota in Rec. decis. 226. num. 12. par. 9. decis. 250. n. 4. & 6. par. 10. in Civitatis Vetulæ Fideicommissi 4. Maii 1705. §. Quibus ita, coram R. P. D. Lancetta*, sive consideretur independenter, & de per se, nam, & in hoc secundo themate nullatenus ei datum foret recedere ab obligatione transferendi fundationem promissam antecedenter in Insula, *Castill. controv. par. 3. cap. 10. numer. 29. & par. 4. cap. 19. num. 35. & seq. Tamburin. de Jur. Abb. disput. 4. quæst. 13. num. 4. Card. de Luca de Testam. disc. 47. num. 11. Rota in Recent. part. 19. dec. 534. num. 9.* maximè postquam omnibus explanatis difficultatibus executioni demandata jam fuerat, tum ex parte Religionis tum à Serenissimo Electore Palatino, qui ejusdem fundationis intuitu ad instantiam Archiepiscopi expleverat donationem Dusselianæ Vallis, ubi erigendum erat Monasterium, *Guglielm. de Benedict. in cap. Raynutius de Testam. verb. Reliquit num. 19. Rot. in Nullius Tudelæ, seu Tirasonen. Decimarum 3. Julii 1702. §. His itaque, coram Eminentissimo Domino meo de la Tremoille, in Camerinen. Electionis super renunciatione 15. Junii 1708. §. Parum juvante, coram Magno Hispaniarum Inquisitore, & in Firmana Immissionis 14. Junii 1709. §. Et in Universum coram Eminentissimo Domino meo Scotto.*

26 Consensus autem Archiepiscopi recedendi ab Insula, construendique Monasterium in Dusselthal, vix poterat controverti, nam ex facti historia hìc per Dominos opportunè reassumpta patebat, quòd Archiepiscopus exceptis Monachorum conquæstionibus circa Insulæ asperitatem, & impossibilitatem ibidem moram trahendi, agnitoque quod ex continuis, & insupe-

superabilibus molestijs, incommodis, & periculis fundatio non poterat perfectionem, & complementum recipere, nedum destitit ab incæptò Ædificio, sed etiam alias post irritas diligentias se vertit ad dictum Serenissimum Electorem, ut ab ejus Zelo, & pietate tutiorem, & aptiorem locum impetraret, & dum ei affulsit spes obtinendi ejusdem loci donationem, per Epistolam ipsius Domini Electoris Ministro transmissam, Serenitatem suam summis laudibus cumulavit, gratesque reddidit, necnon Monachorum animos plurimum ad lætitiam excitavit, eos insuper monens, ut hanc Pij Principis intentionem ipsi quoque propriis stimulis adjuvarent, ut quamcitius in Dusselana Valle construeretur Monasterium prius destinatum in Insula, quæ in posterum Monachis ad aeris mutationem deserviret. Hinc oretenus concludendi erant tractatus, sed non valens ob Matris infirmitatem petere Dusseldorpium, rogare interim per Epistolas non omisit, tum Monachos, tum Ministros Electorales, ut eamdem liberalitatem foverent, & secundarent, eoque ad Civitatem Dusseldorpiensem pervento, oretenus cum Domino Electore composita, & concluſa remansit Monasterij translatio ab Insula ad Vallem Dusselanam ab eodem Domino Electore donandam.

27 Qua firmata conventione, Archiepiscopus eam statim Religiosis in Insula degentibus, non sine lætitiæ signis patefecit, deinde cum illorum comitatu Vallem Dusselanam invisit, probavit, & collaudavit, semperque in procuranda donationis publicatione, & effectuatione sollicitus, quandoque conquerebatur de dilationibus, quandoque etiam Serenissimi Electoris animum per interpositos benevolos, & Ministros excitabat. Quinimmò ejusdem translationis impatiens, cogitans præmaturè consulere constructioni Monasterij, & Monachorum subsistentationi, præcepit amoveri, & propriis sumptibus ad Vallem Dusselanam traduci ligna, aliaque materialia in Insula pro Ædificio parata, nec non ex Imperialium 12. millia donatis obtulit reinvestire Imperialium 3000. ad comparandas Villas in vicinia dictæ Vallis, atque etiam ad eumdem effectum, & ad commodum Monachorum reinvestire promisit alios Imperialium 8800. circiter in redemptione quatuor Villarum, quas de facto redemptas, de mense Martij anni 1706. favore Monachorum dimisit, qui in sequelam assignationis, & traditionis in illarum possessione per biennium pacificè permanserunt.

28 Unde cum post tot reiteratas instantias, & diligentias plenius in propria Sede recognitas supervenerit tandem sub die 13. Aprilis ejusdem anni 1706. tandiu exoptatæ donationis rescriptum, speciali etiam diplomate subinde confirmatum, nec non plenariè executioni demandatum, mediante bonorum donatorum effectiva traditione cum successiva erectione Abbatiæ, & Abbatis electionem, per Patrem Generalem Ordinis approbata. Quemadmodum exinde incontrovertibile redditur in facto, quod Archiepiscopus reparare cupiens fundationem præordinatam, in Insula, promoverat, & tractaverat fundationem Dusselanam, quodque ad eam perficiendam, Bona ad hunc effectum conquisita contulerat, reliquarum reinvestire promiserat, Serenissimum Electorem ad donandum impulerat, & Religionis Superiores induxerat ad erectionem Abbatiæ, Abbatisque electionem, ita de Jure fatendum est, quod fundationis translationi adeò efficaciter consensisset, ut sequuto jam cæterorum tractatuum adimplemento, nullatenus valeat amplius ab illa resilire, juxta tradita per *Natt. cons.* 250. *num.* 3. *lib.* 4. *Rota in Recent. decis.* 74. *sub num.* 2. *par.* 4. *decis.* 312. *num.* 6. *par.* 13. *decis.* 40. *num.* 4. *par.* 16. *& in Romana, seu Januen. Pecuniaria* 12. *Julii* 1710. §. *Neutrum autem coram R. P. D. meo Crispo.*

29 Absque eo quod dubitari contigisset de enunciatis actibus consensum, & approbationem præseferentibus, nam illorum probatio præcisivè etiam ab his, quæ concernunt actus permanentes, prout sunt donatio Vallis, Abbatiæ erectio, Villarumque redemptio, & assignatio, qui absque ulteriori justificatione jam patent ex publicis documentis, quoad reliquos tractatus, & conventiones perspicuè emerserat, tum ex responsionibus ab Archiepiscopo datis ad positiones, ex quibus concludens erui solet probatio, *Posth. de Manut. observ.* 83. *num.* 4. *in fin. Rota in*

Rec.

Rec. decis. 235. num. 2. part. 14. decis. 783. num. 7. par. 18. & in Giennen. Jurismutandi super restitutione in integrum 26. Aprilis 1700. §. Fortius, coram bon. mem. Muto. Tum ex Epistolis ab illo Monachis, & Ministris Electoralibus sæpe transmissis, quæ utpote in Partibus jam recognitæ, & judicialiter traductæ remanent ab omni exceptione immunes, *Bertassol. cons. 521. numer. 22. Rota coram Emerix decis. 948. num. 1. in Romana, seu Cammerinen. Salviani 10. Februarii 1702. §. fixal. coram Reverendissimo Labacen. & in Leodien. nunciationis novi operis super remissoria 3. Julii 1713. §. Hujusmodi autem, coram R. P. D. meo Crispo*, tum ex attestatione Priorissæ Cælestinarum, cui veluti ab Archiepiscopo Electæ ad procurandam Electoralem donationem, sicque ultra proprias qualitates, in hac parte figuram mediatricis gerenti, integra fides adhibenda est, *Samniat. centroverf. 187. num. 14. Card. de Luca de dot. disc. 16. num. 3. Rot. in recent. decis. 393. num. 10. part. 18. in Perusina affictus super associatione 10. Maii 1705. §. Singulariter coram bon. mem. Muto, & in Eorosempronien. Legatorum super reintegratione 18. Aprilis 1712. §. Quæ omnia coram R. P. D. meo Aldrovando.* Tum etiam ex attestationibus relatorum Ministrorum, qui in re ratione proprij Muneris pertractata, dicuntur omni exceptione majores, *Rot. decis. 398. num. 6. par. 16. decis. 86. num. 20. par. 19. recen. & in Romana Fideicommissi 14. Februarii 1707. §. His itaque, coram R. P. D. meo Lancetta, & in ejus confirmatoria 22. Junii 1708. §. Parum coram magno Hispaniarum Inquisitore.* Tum denique ex reiteratis sæpe laudati Serenissimi Electoris declarationibus emissis, tàm in diplomate donationis, quàm in ejus Epistola ad Urbem transmissa. Quibus inspectis Domini superflua penitus reputarunt cætera omnia documenta, & probationum adminicula, cum eis quoque prætermissis tutissima adhuc, & invincibilis dijudicanda veniat sola probatio procedens ex ore tam magni Principis, per ea, quæ habentur penes *Spad. consil. 173. numer. 114. lib. 3. Mascard. de probat. conclus. 1233. in fin. Rota coram Emerix Jun. dec. 317. num. 5. coram Reverendissimo Decano decis. 26. num. 12. & in Melevitana Prioratuum 15. Junii 1705. §. Quoniam, coram clar. mem. Card. Caprara, confirmat. 13. Decembris 1706. §. Adhuc in oppositam coram eodem Reverendissimo Decano.*

Nec præmissis probationibus adversatur, quòd de Mense Februarij anni 1715. Dominus Archiepiscopus, donando Imperialium 7000. onus adjecerit, seu conditionem, quòd Monachi permanerent in Insula. Etenim non omisso, quòd hujusmodi conditio adjecta ad præbendum obstaculum, ne unquam Monachi possent remigrare ab Abbatiam à qua discesserant, ut se præseferebat germana ejus intelligentia, nequibat suum effectum protendere ad impediendam fundationis translationem in ipsa conditione non comprehensam, ad firmata *per Rot. in Romana, seu Januen. bonorum 10. Decembris 1696. §. Quoniam, coram Magno Hispan. Inquisitore, & in Æsina hæreditatis 7. Martii 1704. §. Ad retardandam coram Eminentissimo Domino meo Priolo*, unde remota conditionaliter firmum remanet assumptum, quod ex justa, & legitima causa, Monasterium ritè valuisset de uno ad alium locum transferri, ut supra probatum fuit, exceptionem penitus eliminant superius recensiti tractatus, & conventiones, fundationem perficiendi in Dusselana Valle, quæ veluti posteriores omnibus, & quibuscumque præcedentibus conditionibus derogasient ex regula *Text. in §. Posteriore quoque Institut. quibmod. testam. infirm. Rot. in recent. dec. 288. num. 23. par. 6. decis. 190. num. 13. par. 19. & in Gerunden. Beneficii 10. Februarii 1698. §. Neque obstare, coram Eminentissimo Domino meo Scotto.*

30 Minusque resistit, quod de mense Maij, & Junii 1706. per Epistolas declaraverit, firmam manere debere fundationem Insulæ; tum quia de mense Aprilis ejusdem anni jam præcesserat donatio Serenissimi Electoris per actualem possessionem, etiam à Monachis acceptata. Quibus attentis re amplius non integra locus esse non poterat pœnitentiæ, *Boccac. ad constit. Marchiæ Gloss. 1. num. 12. Hodiern. ad Surd. dec. 111. num. 2. Rota coram Rojas decis. 314. nu. 2.*

31 tum etiam quia cum post exaratas dictas Epistolas Monasterio Dusselano pecunias assignaverit, ligna existentia in Insula transportari demandaverit, plurimaque

alia similia dederit signa Dusselanæ Fundationis approbationem denotantia, certissimum inde descendit argumentum, quòd voluerit ab illis recedere, & sæpedictam fundationis translationem confirmaverit, juxta regulam de qua *Cyriac. controv.* 548. *num.* 17. *Bonden. collect. legal.* 26. *num.* 43. *tom.* 2. *Rota coram Buratt. decis.* 207. *numer.* 14. *& in Firmana dotis, & fructuum* 30. *Januarii* 1705. §. *Necquidquam, coram bon. mem. Omaña.*

32 Quo retento principio, unde descendit, ut supra probatum est obligatio perficiendi fundationem in Dusselthal, transeuntes Domini ad reliquas dubij partes, exinde declararunt Ecclesiæ, & Monasterij construction decernendam esse ad formam Plantæ ex parte Monachorum exhibitæ, recusari enim non poterat ab Archiepiscopo, qui illam delineari curavit, & ad præcisum finem regulandi Ædificium ad Monachos Aureæ Vallis transmisit, juxta notata per *Francesc. de Ecclesia Cathedral. cap.* 16. *num.* 122. *Rota in recent. decis.* 52. *num.* 5. *part.* 8.

Rursus decreverunt Archiepiscopum teneri ad solutionem 12. millia Imperialium quos exbursare promisit ad effectum comparandi stabilia, ex quorum fructibus Religiosi possent recipere alimenta, & substentionem; Haud subsistente, quod in secunda promissione Imperialium 7000. inclusi censerentur Imperialium 5000. præcedenter promissi. Quoniam cæteris omissis contrarium liquet ex litterali ejusdem secundæ donationis dispositione, ubi declaratum legitur, quòd quantitas donata ascenderet ad Imperialium 12. millia.

Et denique responderunt de eisdem Imperialium 12. millia debitos esse interim fructus ad quos etiam Archiepiscopus teneri voluit, donec sequeretur investimentum. Hac enim præexistente obligatione, dubitari in hypothesi nequaquam valet, quin fructus legitimè exigi queant, nam cum prædicta summa destinata fuerit pro investimento, & de facto fuerit pro majori parte investita in quatuor Villis, quorum redditus Monachi per biennium perceperunt, rectè inde Archiepiscopus ad illorum refectionem cogendus est, ut firmatum fuit *in Baren. Censuum, & Legati* 20. *Januarii* 1710. §. *fin. coram Eminentissimo Domino meo Priolo, in Romana, seu Viterbien. legati super reservatis* 27. *Junii* 1710. §. *Assumpta itaque, coram R. P. D. meo Crispo, & in Rom. fideicommissi de Quadris super fructibus quoad petitam scut. mille* 17. *Junii* 1712. §. *Quo verò ad fructus coram eodem.* Eo indubitantius quia ob non factum investimentum Monachi de eisdem Villis spoliati in pauperiem pro lapsi, coguntur persolvere fructus pro debitis interea contractis, per ea, quæ habentur apud *Honded. cons.* 39. *num.* 4. & 5. *lib.* 2. *Rota coram Peuting. decis.* 369. *num.* 3. *in Recent. decis.* 165. *num.* 2. & 3. *part.* 12. *decis.* 168. *num.* 2. *part.* 18. *& in Romana Locorum Montium super fructibus* 3. *Februarii* 1700. §. *Sed, & in rectius in fine, coram Reverendissimo Domino meo Decano, confirmata* 16. *Februarii* 1705. §. *Agnoscebant coram Magno Hispaniarum Inquisitore.*

Et ita utraque &c.



CA-

CANON VII.

Ex Decreto Sylvestri Papæ II.

NEmini Regum, aut cuiquam hominum in proprium Jus liceat Monasterium tradere, nisi ad aliud Monasterium, vel commutare, nisi cum alio Monasterio, vel quocumque commercio vendere. Quòd si factum fuerit, non valebit, sed ipsum Monasterium in pristinum reformetur statum.

COMMENTARIUM.

EX hoc Canone sequens deducitur conclusio: UNUM JUSPATRONATUS POTEST CUM ALIO PERMUTARI, SEU JUSPATRONATUS IN ALIUM TRANSFERRI TITULO PERMUTATIONIS.

Quam conclusionem probant *Gloss. hic verb. Nemini, ibique Archidiac. Bellamer. num.* 1. *& Gloss. in cap. Cum sæculum de Jurepat. verb. Emptorum, ibique Butr. num.* 4. *Gonzalez num.* 3. *& Gloss. in Clement. Plures, §. Et ut facilius, verb. Liberè, ibique Abb. num.* 6. *Vitalin. num.* 12. *Federic. de Sen. cons.* 225. *num.* 2. *&* 234. *ante num.* 1. *Gemin. cons.* 45. *num.* 2. *Rocch. de Curt. de Jurepat. verb. Ipse, vel is, num.* 1. *& num.* 27. *Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 1. *& seq. & art.* 2. *num.* 1. *Paul. de Cittadin. eodem tractat. par.* 9. *num.* 13. *Vivian. eodem tractat. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 25. *tit.* 9. *num.* 45. *Barbos. de potest. Episcop. par.* 3. *alleg.* 71. *num.* 31.

1 Licèt enim Canon loquatur de Monasterio, & ab eo statuatur Monasterium commutari non posse, nisi cum alio Monasterio, tamen nomine Monasterii venit, & intelligitur hic Juspatronatus, sicuti multoties venit, & intelligitur Juspatronatus nomine Ecclesiæ, juxta *Gloss. in cap. Nullus de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 1. *art.* 14. *num.* 4.

2 Ratio autem conclusionis est, quia Jurapatronatus inter se habent symbolum, & similitudinem, & sunt ejusdem naturæ, scilicet annexa spiritualitati, unde inter ipsa conveniens est permutatio, & facilè titulo permutationis transferri possunt, cum in habentibus symbolum facilior sit transitus. *Imol. in cap. Exhibita de rer. permutat. num.* 25. *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 2. *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 25. *tit.* 9. *num.* 46.

Quoad hanc conclusionem sequens differitur Casus.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus Gentilitium, an permutari possit cum Jurepatronatus hæreditario, & an in permutatione Juriumpatronatus necessarius sit consensus, sive auctoritas legitimi Superioris.

SUMMARIUM.

1 *Juspatronatus cum re temporali permutari non potest.*
2 *Juspatronatus permutari non potest cum præstimonio, nec cum patrimonio, nec cum pensione.*
3 *Permutato Castro, cui sit annexum Juspatronatus cum re temporali, hoc transfertur titulo hujus permutationis.*
4 *Iuspatronatus non potest permutari cum Beneficio Ecclesiastico à Patrono Laico, secus à Patrono Ecclesiastico. Intellige, ut ibi.*
5 *Consilium Romani 317. quo sensu procedat? explicatur.*
6 *Iuspatronatus permutari potest cum altero Iurepatronatus.*
7 *In permutatione duorum Iuriumpatronatus merè Laicalium, an, & quando requiratur consensus Ordinarii?*
8 *In permutatione Iurispatronatus merè Laicalis cum Iurepatronatus Ecclesiastico requiritur Beneplacitum Apostolicum, & quare? Vide ibi.*
9 *Iuspatronatus Gentilium ab ultimo de familia permutari potest cum Iurepatronatus hæreditario.*
10 *Iuspatronatus Gentilitium permutari potest cum Iurepatronatus hæreditario, dummodo permutatio fiat in melius, & dummodo non appareat fundatorem habuisse ad illud particularem affectionem, & quare? Vide num. 15. secus si fiat in pejus, num. 12.*

CASUS UNICUS.

JUspatronatus cujusdam simplicis Beneficii tenuis redditus reservatum à fundatore pro illis de ejus familia permutatum fuit de consensu Ordinarii à Titio de dicta Familia possessore ejusdem Jurispatronatus cum Jurepatronatus Canonicatus pinguis redditus erecti in quadam Cathedrali, quod Cajus titulo hæreditario possidebat; Defuncto Titio, ac vacato memorato Beneficio, Cajus præsentavit ad illud Rectorem, cui præsentationi se oppositit, successor Titii de dicta familia, sub motivo, quòd ipse non poterat permutare Juspatronatus, quod in casu obitus tenebatur restituere illis de familia; quæritur proinde in hoc casu, an potuerit à Titio permutari Juspatronatus Gentilitium cum dicto Jurepatronatus hæreditario de consensu Ordinarii?

Pro clara resolutione hujusmodi quæstionis sciendum est Juspatronatus triplici respectu considerari posse, nimirum respectu rei totaliter profanæ, seu temporalis; respectu rei totaliter spiritualis; & respectu rei nec totaliter temporalis, nec totaliter spiritualis, sed spiritualitati annexæ.

Si consideretur Juspatronatus respectu
1 rei totaliter prophanæ, seu temporalis non potest cum ea permutari, alias committeretur Simonia, ad *Text. in cap. Quia Clerici, & in cap. De Iurepat. de quibus infra Part. II. Can. XII. & XIII. Imol. in cap. final. de rerum permut. ante numerum* 1. *& num.* 11. *Rocc. de Curt. de Iurepat. verb. Ipse, vel is num.* 27. *Lambert. eodem tract. lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 3. *artic.* 3. *num.* 1. *Vivian. eodem tract. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *numer.* 3. *Mantic. de tacit. lib.* 25. *tit.* 7. *numer.* 8. Sic Juspatronatus permutari non
2 potest cum præstimonio, quod sine titulo confertur, nec cum patrimonio, ad cujus titulum quis fuit promotus, quia utrumque est quid temporale. *Mantic. de tacitis, & ambig. lib.* 25. *tit.* 9. *num.* 37. *& seq.* Nec cum pensione ad tempus separata à redditibus Ecclesiæ, seu quæ simpliciter constituitur ad tempus super fructibus Beneficii, & Clerico assignatur ad particulare ejus commodum, quia hæc est temporalis, *Mantic. ubi supra num.* 35. ad differen-

ferentiam alterius Pensionis, quæ perpetuò auctoritate Superioris separatur à redditibus Ecclesiæ, ut sit unum Beneficium pro Clerico, juxta distinctionem, quam tradit *Fagnan. in cap. Ad Audientiam de rescript. num.* 41. 48. *& seqq. & dicam infra Part. II. Can. XXVII.* Sed licèt Juspatronatus de per se permutari non possit cum re temporali, potest tamen Castrum, seu Villa, cui sit annexum Juspatronatus permutati cum eadem re temporali, & in hoc Casu illud transit cum Villa, & Castro, juxta *Text. in cap. Ex litteris de Iurepatronat. de quo infra Parte II. Can. XIV.*

3

Si verò consideretur respectu rei totaliter spiritualis, E. G. respectu Ecclesiæ, aut Beneficii, non potest à Patrono Laico cum illa permutari, quia Laicus est incapax possidendi rem totaliter spiritualem *cap.* 2. *de Iudic. cap. Messana, & cap. Sacrosancta de elect. Lambertin. de Iurepatr. libro primo par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 2. Potest tamen hujusmodi permutatio Juspatronatus cum Beneficio, aut Ecclesia, fieri inter Patronum Ecclesiasticum, & Rectorem Beneficij, seu Ecclesiæ auctoritate tamen Summi Pontificis, quia Patronus Ecclesiasticus est capax possidendi rem totaliter spiritualem, scilicet Ecclesiam, aut Beneficium, *Imol. in cap. finali de rerum permut. num.* 25. *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 25. *tit.* 9. *num.* 45. dummodò tamen Rector Ecclesiæ, aut Beneficij, quod permutatur cum Jurepatronatus non sit promotus ad titulum ejusdem Beneficij, si enim ad hujus titulum sit promotus, & non habeat aliunde vivere, & de hoc non fuerit facta mentio Summo Pontifici, permutatio est nulla, juxta dispositionem *Concilii Tridentini cap.* 2. *sess.* 21. *de Reformat. ibique Barbos. num.* 28. *& Constitutionis Sancti Pii V. de qua Bullar. vet. in ordine la* 58. *Garz. de Benefic. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 218. *Gratian. discept.* 159. *num.* 1. *& seq. Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 25. *tit.* 7. *num.* 44. Nullatenus obstante, quòd Juspatronatus, & Ecclesia, seu Beneficium Ecclesiasticum sint diversæ qualitatis; quoniam sufficit, ut permutari possint, quod sint spiritualia, aut spiritualitati annexa, ut patet in Beneficio simplici, quod licèt sit diversæ qualitatis cum Beneficio curato, tamen inter utrumque fieri potest permutatio. *Federic. de Sen. de permut. qu.* 14. *Imol. in cap. final. de rerum permut. num.* 25. *& seq.*

4

5

Contra hoc objici potest Consilium *Romani* 317. *num.* 1. ubi videtur ab eo rejecta tamquam Simoniaca permutatio Juspatronatus cum Beneficio Ecclesiastico, ibi: *Breviter dicendum promissionem hanc factam per dictum Presbiterum Angelum de dando Stephano Canonicatum Sancti Secundini, si ipse sibi daret voces Patronorum, quas habet ad præsentationem Ecclesiæ Sancti Benedicti Simoniam continere igitur non servandam*: Sed hujusmodi Consilium minimè adversatur, procedit namque in permutatione Juspatronatus cum Beneficio Ecclesiastico facta à Permutantibus propria auctoritate, & præcedentibus pactis, & conventionibus, quæ quidem est prohibita, & Simoniaca, dum spiritualia cum spiritualibus non possunt propria auctoritate permutari, nec spiritualia, vel eis connexa permutare cupientes valent inter se paciscì ad *Text. in cap. Cum olim, & cap. Quæsitus de rer. permut. Mantic. de tacitis, & ambig. lib.* 25. *tit.* 7. *num.* 9. *&* 26.

6

Denique Juspatronatus, si consideretur respectu rei, nec totaliter temporalis, nec totaliter spiritualis, sed spiritualitati annexæ E. g. respectu alterius Juspatronatus potest cum hoc permutari juxta dispositionem præsentis Canonis, & auctoritates ibi in *Commentario* relatas.

7

Sciendum est insuper permutationem fieri posse inter duo Jurapatronatus merè Laicalia; Et hoc dupliciter. Primò. Quando plures Laici in communi, & unitim sunt Patroni plurium Ecclesiarum, & isti inter se disponant, quod unus sit Patronus in una, & alius in alia Ecclesia; Et in hac permutatione non requiritur de novo consensus Ordinarij, quia jam illi possident dicta Jurapatronatus de illius consensu, juxta *Glossam in Clementina Plures §. Et ut facilius de Jurepat. verb. Liberè, ibique Vitalin. num.* 10. Secundò, quandò sunt plures Patroni de per se, & unusquisque permutat inter se Juspatronatus, & in hac permutatione requiritur consensus Ordinarij; Quoniam licèt quis possideat Juspatronatus, quod permutat

de

de illius consensu, tamen respectu Juris-patronatus, cum quo permutatur non habet consensum Ordinarij; unde ut hoc validè possidere possit titulo permutationis requiritur hujusmodi consensus, cum absque illo Juspatronatus de per se possideri non possit. *Rocch. de Curt. de Iurepat. verb. Ipse, vel is num.* 28. *Lambertin. eodem tract. lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *numer.* 6. *& seq. Paul. de Cittadin. eodem tractat. par.* 9. *num.* 13. *Vivian. eodem tract. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 3.

8 Ac etiam fieri posse permutationem inter duo Jurapatronatus, quorum unum sit Laicale, & aliud Ecclesiasticum, nimirum, quod Patronus Laicus permutet suum Juspatronatus cum altero Jurepatronatus, quod habet Ecclesia respectu alterius Ecclesiæ, seu Beneficij; & in hac permutatione præter Causas necessitatis, & utilitatis requiritur Beneplacitum Apostolicum, non respectu Jurispatronatus Laicalis, quia hoc concedi potest Ecclesiæ absque ullo consensu Superioris, ut dicam infra *Part. II. Can. XV.* sed respectu Jurispatronatus Ecclesiastici, sive Laicus, & Ecclesia possideant dicta Jurapatronatus unitim ex eadem Causa, sive separatim de per se (quidquid sentiat *Lambertin.* existimans, quod quando Laicus, & Ecclesia possident plura Jurapatronatus in communi, & unitim possit fieri inter ipsa permutatio absque ullo consensu Superioris, *lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 2. quem sequitur *Vivian. eodem tract. parte prima libro* 4. *cap.* 3. *numero* 2.) Ratio est, quia cum permutatio sit species alienationis *cap. Nulli de rebus Eccles. non alienan. Castrens. cons.* 119. *num.* 1. *tomo* 1. *Mantic. de Tacitis, & ambig. lib.* 25. *tit.* 6. *Rota decis.* 157. *num.* 5. *parte* 3. *recent.* Juspatronatus alienari non potest ab Ecclesia absque Beneplacito Apostolico, juxta *Turricell. de rebus Eccles. non alienan. cap.* 2. *num.* 21. *& cap.* 8. *num.* 13. *& 53. Rota decis.* 157. *numero* 5. *parte* 3. *& decis.* 191. *numero* 8. *parte* 5. *& decis.* 129. *numero* 16. *parte* 7. *recent.*

His præmissis videtur in hoc casu dicendum non potuisse Titium permutare Juspatronatus Gentilitium Beneficij simplicis cum præfato Jurepatronatus hæreditario dicti Canonicatus. Quamvis enim ultimus

9 de vocatis ad Juspatronatus possit hoc permutare, & alienare, ut in terminis fideicommissi docent *Natt. cons.* 445. *num.* 19. *& 470. num.* 3. *Honded. cons.* 58. *num.* 16. *& cons.* 72. *num.* 19. *Tiraquell. de retract. Consanguin. §.* 26. *Gloss.* 1. *num.* 8. *& alii apud Medic. decis. Senen. examinat. III. num.* 69. quia Juspatronatus in ultimo de familia fit hæreditarium juxta notata infra *Parte II. Can. I. & II. Cas. XVII. n.* 1. Tamen existentibus eis de familia Juspatronatus Gentilitium permutari, & transferri non potest ad extraneum in præjudicium Vocatorum, *Tondut. quæst. Benefic.* 30. *num.* 19. *parte* 1. *Rota in Fossanen. Iurispatronatus* 12. *Martii* 1703. *§. final. coram bon. mem. Eminentissimo Caprara, & in Nolana Beneficii* 2. *Maii* 1712. *§ Neque attendi coram R. P. D. Falconerio, & dicam infra dicta Par. II. Can I. & LI. Cas. XIX. num.* 16. *& Can. XIV. & XV. Cas. II. n.* 6. Ratio est, quia Possessor Jurispatronatus Gentilitij, eo mortuo tenetur illud restituere Superstitibus de familia juxta voluntatem Testatoris, & iste reservando Juspatronatus pro eis de familia, si non expressè, saltem tacitè videtur prohibere quamcumque alienationem ejusdem Jurispatronatus etiam titulo permutationis in extraneum.

10 At his posthabitis censeo validè potuisse Titium in hoc casu de consensu legitimi Superioris permutare Juspatronatus Gentilitium cum Jurepatronatus, quod Cajus titulo hæreditario possidebat; Permutavit namque illud cum altero Jurepatronatus melioris conditionis, & utilioris familiæ, dum Juspatronatus hæreditarium Caij est respectu Canonicatus in Cathedrali, & pinguis redditus; Illud verò Gentilitium Titij est respectu simplicis Beneficij, cujus redditus sunt tenues, ex quo evidenter resultat, quòd sit melioris conditionis, & utilius familiæ primum, quam secundum Iuspatronatus, dum honorificentius, & magis decorum videtur esse præsentare ad Canonicatum in Cathedrali, quam præsentare ad simplex Beneficium, & illi de familia facilius in casu inopiæ subveniri, & alimentari poterunt à Proviso ejusdem Canonicatus, quam à Rectore dicti Beneficii, qua stante meliori conditione, & utilitate Iurispatronatus

hæc-

hæreditarij Caij validè potuit Titius permutare eum eo proprium Iuspatronatus Gentilitium, nec illi de familia hanc permutionem impugnare valent, cum sit â Jure non solum permissa, sed laudabilis permutatio rei subjectæ restitutioni; uti est Iuspatronatus Gentilitium cum altera re utiliori, dummodo prout in casu præsenti, non appareat Testatorem ad eam habuisse particularem affectionem *ad Text in L. Imperator*, § *Sed quod inde ff de Legat 2 ibique Barthol Fusar. de subst. quæst.* 134 *num* 7. & 9. & 10 & *quæstion* 530 *numer.* 1. *Card de Luca de Fideicomm. disc.* 177. *num* 6 & *disc.* 273 *nu* 18. § *Isto autem*, Rota *decis* 807 *num* 29. & *seq par.* 18. *recent.*

Ratio autem est, quia permutatio hæc
11 Iurispatronatus facta à Titio non est contraria, immo uniformis verisimili menti fundatoris; si enim hic viveret, & fuisset ei data occasio permutandi proprium Iuspatronatus cum alieno Jurepatronatus melioris conditionis, & utiliori verisimiliter permutationem hanc etiam ipse fecisset. *Merlin. de Primogen lib.* 4. *cap.* 4 *num* 12. *Card de Luca de Fideicomm. dicto discurs* 273 *num* 18. § *Ad duo*, *Medic. decis. Senen examinat* 3 *num* 55. *& seq.* Hæc vigore ejusdem permutationis privantur de familia Iurepatronatus, quia Iuspatronatus hæreditarium, cum quo Titius permutavit Iuspatronatus Gentilitium, subrogatur loco Gentilitij, & assumit hujus naturam, & qualitatem ut pariter in eo succedere debeant illi de sanguine ad instar rerum subjectarum fideicommisso, quæ si cum alijs permutentur, hæ suscipiunt eamdem naturam, & qualitatem, ut pariter sint subjectæ restitutioni. *Text. in L Imperator*, § *ultimo ff de Legat 2. Peregrin de Fideicomm. art* 39 *num* 12 *& art* 44 *num* 30. *Giovagnon. lib 2. respons.* 22 *num* 1 *Rota in Balneoregien. Depositi, & investimenti* 15 *Iunii* 1714. § *Nihil relevante*, *coram* R. *P. D. Falconerio, & 6. Decembris* 1715. §. *Quam parum coram* R. *P. D. Crispo.*

12 Nullatenus relevantibus eis, quæ superius in contrarium afferebantur; procedunt namque illa in casu, quo permutatio Iurispatronatus Gentilitij fiat in pejus, aut appareat fundatorem habuisse particularem affectionem ad illud, non verò quandò permutatio fit in meliùs, & de hac particulari affectione non constat; Examinandi erant hic plures casus spectantes ad permutationes, & resignationes Beneficiorum Patronalium, sed de his Deo dante agemus infra suo loco *Parte VI.*

FINIS.

FINIS



FARGNA
D DIVRE
PATRON
TOM. I.

53.

Th
396a